Digitized by Google

11.2.175

Digitized by Google

11.2.175 I

GREGORII CORTESII

MONACHI CASSINATIS

S. R. E. CARDINALIS


OMNIA,

QUÆ HUC USQUE COLLIGI POTUERUNT,

SIVE AB EO SCRIPTA,

SIVE AD ILLUM SPECTANTIA.

PARS II.



PATAVII. CIƆIƆCCLXXIV.
Excudebat JOSEPHUS COMINUS.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

II

Digitized by Google



Digitized by Google

JOANNES HIERONYMUS CATENA (*a*)

HERSILIÆ CORTESIÆ S. P. D.

E*Latus ſum lætitia, cum primum ſuperioribus diebus Bibliothecam Rainaldi Corſi ingreſſus, incidi in duo volumina Epiſtolarum Gregorii Cardinalis patrui tui, ampliſſimi viri, atque omnium bonarum artium ſcientia inſtructiſſimi. Quæ cum avide evolverem, & ſermonis elegantiam, tum expolitum, tum ſuave dicendi genus admirarer, cum Rainaldo bis verbis agere cœpi: Quid tu homo doctiſſime, atque eloquentiſſime pateris, rebus maxime præſtantibus, ac clariſſimis tenebras offundi? A quo ita edoctus ſum, te omnem (ut ajunt) moviſſe lapidem, ut reliqua, quæ deſiderantur opera, multa ſane, ac præſtantiora ab ipſo Cardinali conſcripta habere-*

(*a*) Latinis Corteſii noſtri epiſtolis elegantiſſimam præponimus Hieronymi Catenæ Epiſtolam, datam ad Herſiliam Corteſiam; tum quod in hac habetur præclariſſimum de earumdem epiſtolarum elegantia, de Auctore, ejuſque gente teſtimonium, tum quod hæc ipſa fortaſſe magna ex parte in cauſa fuit, ut veterem illam editionem Herſilia curaret ad perennem celeberrimi patrui gloriam. Excerpta eſt ex opere, quod Papiæ procuſum apud Hieronymum Bartolum 1577. inſcribitur *I. Hieronymi Catenæ Accademici Affidati Latina monumenta*. Opus idem dividitur in octo libros, in quorum ſeptimo pag. 138. habetur Epiſtola, quæ hic ſubjicitur. Hieronymus iſte Nurſiæ in Umbria ortum habuit; fuit a ſecretis Michaelis Bonelli Cardinalis Alexandrini, eodemque munere operam ſuam præſtitit Romanæ illi Congregationi, quæ Regularium negotiis incumbit. Præter Latina monumenta ſcripſit Catena Epiſtolarum volumen; res geſtas S. Pii V. Summi Pontificis, & alia nonnulla.

beremus, quæ terra, marique ut conquirerentur, præmandaſſe te, tamen nullo eſſe loco reperta; poſt demum uſque ad ultimam Britanniam homines delegaſſe, quando acceperas juſſu patrui tui ad Cardinalem Polum delata fuiſſe, ut illius egregii viri heredes convenirent. Verum omnis fruſtra diligentia adhibita eſt; nam cum illa hereditas ad litterarum ignaros perveniſſet, vel ea monumenta ſciderunt, quod nihil lucri continerent, vel, uti nunc ſunt tempora in his locis, perditiſſimorum hominum hæreticorum manus eo odio, quod in veram, atque antiquiſſimam religionem habent, cum his libris nil eſſet religioſius, lacerarunt. His potiſſimum cauſis ajebat Rainaldus te parum propenſo animo eſſe ad hæc Epiſtolarum fragmenta divulganda. Subverebaris enim, quod inconcinna, & non ſatis explicata viderentur, ne minima hæc patruus tuus, qui maxima opera molitus eſt, omnino ipſe contempſiſſet. Sed longè mei alia conſilii ratio eſt, dabis mihi hanc veniam, nobiliſſima Herſilia, ſi liberius tecum loquar. In primis illud exiſtimare debes, Gregorium Cardinalem ab ineunte ætate ſtudio litterarum incenſum, multum ad dicendum, & ad omnes bonarum rerum diſciplinas natura ipſa valuiſſe, quæ non ſolum familiæ Corteſiæ viros ad ſingularem quandam virtutis præſtantiam finxit, ſed etiam fæminas, inter quas, abſit aſſentationis ſuſpicio, tu cunctis ſemper præſtitiſti. Deinde doctrinam tum humanarum, tum divinarum rerum cum ingenii naturæque bonitate, ſummaque eloquentia conjunxiſſe. Poſtremo hic bonis cumulatum, in varis muneribus, quæ longum eſſet recenſere, & in Chriſtianæ Reip.

ad-

adminiſtratione diu verſatum eſſe, quibus rebus fieri neceſſe eſt, ut illius operibus ne reperiri quidem, quantum ad eloquentiam pertinet, ornatiora, quantum vero ad ſcientiam, ac rerum uſum, doctrina prudentiora, atque his temporibus utiliora poſſimus. Tantus in his epiſtolis lepos, tanta urbanitas, tam purus ſermo, ea, cum de Rep. loquitur, gravitas, ea dignitas, tanta ſententiarum, ac lectiſſimorum verborum ubertas, varietas, copia invenitur, ut profecto id cogitare debeant homines, eum & multo meliora, quam alii omnes aliis monumentis complexum eſſe, & ea, quæ mente agitarit, admirabili, ac divina quadam dicendi ratione explicuiſſe, rerumque pulchritudini verborum ſplendorem addidiſſe. Quæ cum ita ſint, & a me non ſolum ipſæ Epiſtolæ probentur, ſed a compluribus doctis viris, quibus jam notæ fuere, magnopere expetantur, hortari te, atque obſecrare volui pro mea, quæ tibi numquam defuit, obſervantia, ne eas in tenebris jacere permittas, nec tibi illa fingas, quæ dubitationem non habent. Nam præter quam quod nullam tanti viri memoriam retinere, ac poſteris prodere videberis, quod ingrati, & anguſti animi eſſet, ac præclaræ familiæ tuæ non parum officeres, maximam certe præſentibus hominibus eriperes utilitatem. Agimus cum Pont. Max. negotia; agimus cum ampliſſimorum ordinum, ac ſacrarum Societatum delectis viris; agimus quotidie de rebus Chriſtianis, de religioſis hominibus, ut noſtri ritus poſtulant. Si vero hujus ætatis Scriptores, quorum ſtudium eſt, ut cujuſque modi verbis cogitata exprimant, imitari volumus, inquinate prorſus loquemur,

nul-

nullamque in ſordibus, & illuvie orationis reperiemus dignitatem. Propterea a te precibus peto, ut pro tua prudentia animadvertas, ne ſtudioſis, atque eruditis viris in odium aliquod acerbiſſimum venias, in quod ſatis intelligo te venturam, ſi eas lucubrationes occulas, & quamprimum prodire in hominum manus non ſinas. Quod jure a te expectare nemo debet; neque enim quemquam tibi pluris fieri novimus, quam qui aliquo optimarum artium genere, vel poeſi, vel ornatis epiſtolis, aut orationibus cæteros antecellat. Et cum a compluribus hac tempeſtate, & iis quidem in dignitate poſitis hujuſmodi docti viri potius contemnantur, quam cari habeantur, ipſa eo quo viges animo, ideſt amplo, & excelſo, atque omnium virtutum laude præſtantiſſimo, uti ea es familia nata, quæ ſemper & ſuſcepit, & aluit, ac peperit doctos viros, ita eos benevolentia complecteris, ut illuſtris jam & pervagata ſit tuorum in omne genus hominum fama meritorum. Nec ab re dictum eſſe exiſtimato complures domum tuam eximios, egregioſque viros procreaſſe, ſi quidem in Italicis quibuſdam monumentis Corteſia gens clara maxime lectiſſima, atque ornatiſſima habetur. Mutinam enim, quam Barbari ſolo æquarant Caroli Magni ope inſtauratam illuſtriores nonnullæ in Ciſalpina regione commorantes familiæ ad urbis renaſcentis ſplendorem incoluerunt. Qua ratione Gentiles tui domicilium in ea Civitate collocarunt. Nam Ludovicus Corteſius, qui in Gallia nobiliſſimus celebrabatur Pipini Italiæ regis apud Ticinum Vicarius, ac ſummus conſiliarius Alimediam ex excelſo Gaſſanorum genere

ortam

Google

ortam uxorem duxit, liberoſque ſuſcepit, & ſtirpis in eo ſolo Corteſiæ initium poſuit præclariſſimum, ex quo eruditiſſimi, conſultiſſimique viri in hunc uſque diem profluxerunt. Sed id, atque alia hujus generis hoc loco longius perſequenda non ſunt, ne forte videar tuam gratiam aucupari velle, quo magis tuum animum in meam ſententiam attraham. Nihil dico, cogitent homines quidquid velint. Hoc dico, habere te Rainaldum Corſum omnium rerum magnarum cognitione in primis inſtructum, tum ſingulari eloquentia, tum probitate, atque humanitate ornatum, ac perpolitum. Omnia hæc cum eo communicare potes, ut vanitas (ſic tu interdum ſoles appellare gloriolam) veritati cedat; ſi illi, cujus acre judicium eſt in cognoſcendis, ac perpendendis auctoribus, probabuntur, neminem judico fore qui improbet. Cæterum credas hoc mihi velim, quod puto te exiſtimare, brevi eventurum, ut exemplo tuo nonnulli, qui reliqua opera Gregorii Corteſii Cardinalis fortaſſe domi occultant, excitato laudis atque gloriæ tuæ ſtudio, ea in apertum referant. Illud te moveat neceſſe eſt, ſi ea quam profiteris, benevolentia patruum tuum proſequeris, atque ejus ſcripta maxime; quæ uti nulla interpoſita mora, vel pauca, vel multa inveniantur, quam celerrime edas, ſtude, atque elabora. Vale.

S. D. N.

Digitized by Google

(a) *S. D. N. GREGORIO XIII. PONT. OPT. MAX.*

HERSILIA CORTESIA DE MONTE. S. P. D.

Cum Epiſtolarum Volumen, & Opuſculum de cathedra Divi Petri a bonæ memoriæ Cardinali Corteſio patruo meo, dum in humanis eſſet, conſcripta, quæ aliquot poſt ejus obitum annos latuerant, & paulo ante non ſine labore atque induſtria mea inventa fuerunt, nunc eruditorum, præſtantiumque virorum hortatu impulſa, edere in lucem decreverim, cogitans cui potiſſimum illa dicarem, nemini magis id muneris convenire viſum eſt, quam Veſtræ Beatitudini. Nam cum divina faciente bonitate, Sanctitas V. & ſumma ſua cum laude, & maximo Eccleſiæ, populorumque ſuorum beneficio, in ipſamet cathedra hoc tempore ſedeat, atque eundem Cardinalem animo benevolo, grataque memoria proſecuta omni tempore fuerit, in me autem humillimam ipſius famulam, ea paternæ benignitatis indicia dederit, quæ nec parva, nec obſcura fuerunt; jure optimo hic libellus Veſtræ Beatitudinis tutelæ, & auctoritati eſt commendandus. Eum igitur, ut qua conſuevit benignitate ſuſcipere dignetur, humillime rogo, Deum orans, ut eandem S. V. nobis, Sanctæque Eccleſiæ quam diutiſſime ſervet incolumem.

GRE-

(a) *Nuncupatoriam Herſiliæ Corteſiæ de Monte ad Gregorium XIII. epiſtolam, prout habetur in priſca editione, brevemque, quæ ibi ſubſequitur, Latinam Gregorii Corteſii vitam hic addimus, ne quidquam in noſtra hac editione deſit ex iis, quæ alibi reperiuntur ad Auctorem noſtrum ſpectantia.*

GREGORII CORTESII

CARDINALIS.

VITA.

GREGORIUS CORTESIUS *Mutinenſis, Monachus Caſinas, ex nobiliſſima Corteſiorum Familia originem duxit: quæ quidem, teſte Planuſio Campano, in libro de* Familiis Italicis*, a tempore Caroli Magni, Mutinam novam ab eodem ex ruinis antiquæ Mutinæ a Gothis, Longobardiſque, deſtructæ, reædificatam, habitare cæpit. Hæc enim Corteſiorum Familia, a quodam Imperiali Vicario nomine Ludovicus Cortes, inter Gallos nobiliſſimus, ortum ſuum habuit, qui cum eſſet a Conſiliis Pipini Regis Italiæ, Caroli filii, Civitatem illam inhabitavit. Ex ea igitur Gregorius hic noſter natus eſt; qui Græcis, Latiniſque litteris mirum in modum eruditus ab ineunte ætate, Civili, Canonicoque juri operam dedit, & apud Joannem Medicem Cardinalem, poſtea Leonem Decimum Pontificem Max. audiendarum cauſarum munus exercuit, ut ipſemet fatetur in quadam ad eum Epiſtola. Demum, eum hujuſcemodi laboris onere premeretur, & ad divinarum litterarum ſtudium, quietamque tranſigendam vitam, divino quodam inſtinctu pertraheretur, ad Cœnobium Divi Benedicti apud Mantuam convolavit, ac Monaci indutus habitum, in eo vivendi genere ita profecit; ut omnibus muneribus, quibus apud cœnobitas illos potiri conſuetum eſt, mira fuerit prudentia functus. Tandem ejus virtutis, probitatis, Religionis, ac ſcientiæ fama inductus Paulus III. Pont. Max. in Collegium Cardinalium illum aſcivit anno ſui Pont. VIII. Domini vero MDXLII. die undecima Junii. Factus ergo S. R. E. Præsbiter Cardinalis Tit. S. Ciriaci in Thermis, nihil ob eam dignitatem candoris, nihil probitatis, nihilque antiquæ comitatis amiſit, ſed omnibus gratus, in Sacrarum litterarum ſtudiis, innocenter ac pie noctes, dieſque tranſibat. Anno vero ejuſdem Pauli III. decimo quarto, acri morbo correptus XI. Kalendas Octobris Romæ e vivis exceſſit, & in Baſilica XII. SS. Apoſtolorum honorifice ante Altare S. Eugeniæ, omnium, & ma-*

xime ſuorum luctu, ſepultus eſt. Plurima hujus clariſſimi viri monumenta relicta ſunt, ingenium ejus ac doctrinam teſtantia, præter hoc Epiſtolarum compendiolum, & adverſus negantem Beatum Petrum Romæ fuiſſe Tractatum: quæ tamen a nobis hucuſque deſiderantur; ea autem ſunt.

De Theologica inſtitutione Liber.
De poteſtate Eccleſiaſtica Tractatus.
Hymnorum, & Carminum Liber.
Tractatus D. Cypriani de Virginitate e Græco in Latinum verſus.
Epiſtolarum Familiarium etruſco ſermone Liber.

Quamplurima etiam Opuſcula ab eodem edita, cum ad Theologicam, tum Philoſophicam facultatem ſpectantia Græce, Latineque conſcripta: quæ (faxit Deus) ut aliquando virorum proborum opera in lucem prodeant, ne hujuſcemodi lucernæ diutius ſub modio lateant, neve hujus illuſtriſſimi viri gloriæ quis invidere videatur.



EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA I. (*a*)

JOANNI MEDICES CARDINALI S. MARIÆ IN DOMNICA

GREGORIUS S. (*b*).

ARGUMENTUM.

Arreptum a Gregorio monaſticæ vitæ Inſtitutum nihil admodum probaverat Joannes Cardinalis Mediceus; hinc hortator fuerat, ut ad priſtinam vitæ rationem rediret. Ei gratias agit pro amore Gregorius, tum docet, quibus ductus rationibus id perfecerit, nempe ut liberius Chriſtianæ pietatis operibus, Sacriſque ſtudiis det operam, nullo modo jam ſuſceptum vitæ genus relicturus.

ACCEPI litteras tuas, quibus ſcribis te admirari conſilium meum, quod relicta Urbe Roma, relictis honeſtiſſimis ſtudiis, relicta parente, quæ jamdiu vidua pudice, & parce vitam agens, in unica ſpe progreſſus mei acquieſcebat, relicto denique te ipſo, cui pene ſacramento in perpetuum addictus eram, me penitus in ſolitudinem abdiderim, petiſque fieri certior, quibus rationibus adductus id conſilium ſecutus fuerim: poſtremo plus amori, quam Religioni concedens perſuadere niteris, ut immutato conſilio ad priſtinum vivendi genus, & ad conſuetudinem tuam omnino revertar. Ego vero pro ejuſmodi amore im-

(*a*) Semel dumtaxat in lucem prodierunt Epiſtolæ Gregorii Cardinalis Corteſii, ex tamen adeo inordinatæ, nulla ſervata methodo, ut operæ pretium duxerimus eas in meliorem ordinem redigere. Facta hiſtorica, de quibus in epiſtolis habetur ſermo, naturalis rerum ſeries ex contextu deprompta, præſertim Vita Cardinalis noſtri a perilluſtri olim Clodienſi, nunc Cenetenſi Epiſcopo conſcripta, maximo adjumento fuerunt. Non id tamen nos aſſecutos confidimus, ut unaquæque eum locum obtinuerit, quem debuerat obtinere. Quomodo liceret id divinare, nunquam fere appoſitis neque loci, neque diebus, quibus datæ ſunt? Satis nobis fuit errores contra rationem temporum graviores tollere, & vero ſimilem magis ordinem ſequi.

(*b*) Neminem arbitramur ignorare hunc eſſe Joannem illum Mediceum, qui poſtea Leo-

immortales tibi gratias ago; video enim adhortationem iſtam tuam ab amiciſſimo animo proficiſci, eoque te decipi, quod, hoc vivendi genus, ut plerique omnes, omnino improbandum eſſe ducis. Quod ſi & animi mei indolem memoria teneres, & ea quæ tecum ſæpius locutus ſum, nequaquam me novum hoc genus vitæ ſequi velle, tantopere admirareris: magis autem nunc demum id me arripuiſſe tibi eſſet admirandum. Satis enim ex quo me in numero domeſticorum tuorum aſcripſiſti, a te cognoſci potuit, nihil adeo animo meo impreſſum, inſculptumque eſſe, quam ut omnino ex Chriſtiana pietate vitam agens, iis potiſſimum ſtudiis operam darem, quibus & animus excoli poſſet, & ea, quam tantopere deſiderabam, vera Religio intelligeretur, ad quam impoſterum tanquam ad certum, deſtinatumque locum omnes cogitatus meos dirigere poſſem. Id vero cum perſuaſum mihi eſſet inter hominum turbas, & fori jurgia me aſſequi non poſſe, in Religionis Portum me contuli. Non quod in communi hac omnium hominum vita ſalutem inveniri poſse non ſuſpicer, ſed quod jam inde ab ineunte pueritia, pravis admodum conſultoribus uſus, ambitione ſcilicet, & quærendi cupiditate, quæ quicunque mihi erant a latere, ut animo meo altius inſigerent ſummopere laborarant, ejuſmodi laqueis me impeditum eſſe ſentiebam, ut niſi omnino immutato vitæ genere, non ſtudiorum, non Chriſtianæ pietatis, non libertatis denique ratio aliqua a me haberi poſſet; vix dum enim decimum, & ſeptimum ætatis annum attigeram, cum me fratres inſigniis ejus dignitatis ornari ſecerunt, cui a docendo vulgo nomen inditum eſt, cum jam quinquennium juriſconſultis operam dediſſem, ſtatimque inter domeſticos tuos aſcriptus, curam abs te accepi audiendarum litium. Hic vero nemo melius te ipſo teſtatam animi mei moleſtiam poteſt derelinquere; ſic enim quantopere angi conſueverim, cum ab honeſtioribus diſciplinis, & Sacrarum præcipue litterarum ſtudiis ob lites, & jurgia retrahebar, his deinde, intra menſes ſeptem, graviſſimo morbo afflictatus, cum omnes Romanum cœlum nobis confugiendum eſſe clamarent, Mutinam me contuli: ibi vero cum otii ſpes aliqua ſe mihi primo obtuliſſet, repente gentilis quidam meus, qui pro Mutinenſi Epiſcopo juriſdictionis, Sacrorumque procurationem habuerat, e medio ſublatus eſt, tum vero me invitum, & reluctantem, propinqui, neceſſariique idem munus obire coegerunt. In quo cum non corporis ſolum mentiſque laborem, ſed maximum etiam animi periculum experirer, omni ſtudio, diligentiaque cogitare cœpi, ſi qua ratione difficillimis illis laqueis me expedire poſſem, nullaque mihi viſa eſt opportunior, quam ſi ex ejuſmodi tempeſta-

te in

Leonis X. nomine univerſæ Eccleſiæ præfuit. Huic Epiſtolæ priorem inter cæteras locum tribuimus cum eam ſcripſerit Gregorius, ſemetipſo teſte, quarto menſe poſtquam ingreſſus eſt Monaſterium Polironianum, nempe anno MDVII.

te in Cœnobii alicujus Portum effugiſſem: ſtatimque ſe mihi obtulit Collegium hoc Divi Benedicti Mantuani, in quo jam menſes quatuor ſolutus omnibus curis, quæ antea animum meum exedebant, totus in Sacrarum litterarum ſtudiis, & in Sacrificiis divinarum laudum conquieſco, fruorque litterato, & gratiſſimo otio, a quo ſi me revocare iterum tentaveris, Sponſæ verbis ex Salomonis Epithalamio tibi ſum reſponſurus. *Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Et ut finem aliquando faciam, libenter omnes Romanos faſtus, libentius delitias, libentiſſime animi corporiſque pericula vobis derelinquo, qui & generoſiore indole, & excelſiore animo prædITI per ejuſmodi ſenticeta illæſi poteſtis incedere. Ego vero in minima Cellula deliteſcens, præclare mecum agi putabo, ſi prioris vitæ vulneribus cicatrices a me obduci potuerint. Vale.

EPISTOLA II.

JOANNI MEDICES CARDINALI.

GREG. S. (a)

ARGUMENTUM.

Sacerdotii Caſſinatis redditus, ſive, ut vocant, Commendam dimittere cogitaverat Cardinalis Mediceus, quo hujuſmodi redditus in religioſos uſus & ad promovendum in Religioſa Familia divinum cultum impenderentur. Approbat, laudat, promovet Gregorius conſilium maximo Principe, homine Chriſtiano, & Eccleſiæ Sacris addicto dignum.

DEtulit ad me Aloyſius Lottus, quem ſecretis tuis adhibere ſolitus es, te noctes dieſque cogitare, ſi qua ratione afflictas perditaſque res Caſſinatis Cœnobii poſſis inſtaurare, ut revocato ibi divino cultu, & Benedicti inſtitutionum obſervatione, ſpeciem aliquam primævæ majeſtatis

(a) Hanc quoque datam credimus eodem anno MDVII. juxta ea, quæ habentur in Annotationibus ad Vitam Cardinalis: Num, 22.

tis recuperare poſſit, habereque te Julium Pont. Maximum, & Conſalvum Ferrandum Regis Hiſpaniæ copiarum Ducem, ejus conſilii non participes ſolum, ſed arbitros etiam, & mirificos adjutores. Digna ſane cogitatio animi tui magnitudine, & anteactæ vitæ conſentanea: digna Patris tui Laurentii, atque Atavi Coſmæ Religione, qui & vetuſtate collapſa Templa plurima priſtinæ reſtituerunt magnificentiæ, & complura a fundamentis incredibili impenſa extruxerunt. Tu vero non parietes ipſos, non contignationes, non cœteras partes ædificii ſanctas tectaſque reddes, ſed Religionem, ſed caſtitatem morum, ſed pietatem priſtinam, Benedictum denique ipſum ſuis ædibus hac ratione reſtitues. Huc accedit, quod cum multa celebrentur majorum tuorum in re publica, atque privata geſta præclariſſime, maxime quod illorum favore, atque auſpiciis extincta dudum liberalia ſtudia revixerunt; debetur quidem tibi neſcio quo pacto hæreditatis jure pars quædam ejus laudis, ſed ea ratione, ut rei ſoliditate ipſis majoribus derelicta, umbram ſolum, & velut auram quampiam tibi inde vendicàre poſſis. Enimvero, ſi id quod tanta cum indole aggredi cogitas, a te fuerit confectum, tum demum conſequeris, ut integram laudem conſilio, pietati, atque ingenio tuo omnes aſſignandam ducant. Præterea quotquot futuris retro temporibus, &, pene dixerim, in omni æternitate in auguſtiſſimis illis ædibus ſacris operabuntur, illi omnes in primis te ipſum, familiamque tuam, vel certe ſecundum Deum tanti operis auctorem confitebuntur, cum Sacrificiis, laudibus, continentia, adorationibus divinum favorem generi humano ſatagent demereri. Movit te ad hoc, ut opinor, cogitandum, quod Sacerdotium id tibi commendatum eſſe putas, non ut ex ejus annuis fructibus equorum magna multitudo, canes venatici, volucres ad aucupia nutrirentur, nec idcirco ut majori pompa, & numeroſiore caterva ſtipatus ad Pontificias ædes deducerere: non ut uno alterove Epiſcopis eſſes in equitando comitatior: quæ ut Chriſtianæ ſimplicitati, & bonis moribus certum eſt magnopere repugnare, ſic ab animo, cogitationibuſque tuis longiſſime abeſſe debent. Sed ut ſacerrimæ illæ ædes, divinis laudibus multiplicatis, die noctuque pſallentium vocibus reſonarent: ut quæ olim ibi viguerunt liberalium artium ſtudia, reviviſcerent, denique ut ex Chriſtiana Religione illic omnia adminiſtrarentur. Etenim locus ipſe, ut noſti, divina quadam providentia electus eſſe videtur, qui & bonarum artium, & omnis eruditionis, ut ita dicam, officina aſſidue futurus eſſet. Sic namque ante exhibitam nobis a Chriſto optimo Maximo admirandam Humanitatem, M. Varronis Academia eſt nobilitatus; ſic deinde ſtudiis omnium diſciplinarum floruit, ut medicos, philoſophos, poſtremo Thomam Aquinatem illi debeamus, inter eos, qui novum hoc Theologicæ genus profeſſi ſunt, facile principem. Nam de Benedicto ipſo loqui quid attinet, cum nulla ferme regio ſit, nulla civitas, atque adeo nullum ignobile

oppi-

oppidulum, quod non & illi dicatis ædibus, & ejus diſciplinæ profeſſoribus ſit refertum? Ut mihi videatur acerrimus ille humani generis hoſtis jure quodam ſuo, Caſſinate Cœnobium præ cæteris omnibus odio, & malevolentia proſequi, quod ex eo potiſſimum pene infiniti duces extiterint, qui collatis ſecum ſignis ſæpius victoriam exportarunt. Quare pro ejuſmodi cogitatione tibi mirum in modum gratulor, hortorque, atque obſecro, uti ne diutius cunctando negotium differas. Scio te & quamplurimos, & acres adverſarios habiturum, partim mentito nomine Chriſtiano, Chriſtianæ Religionis hoſtes acerbiſſimos, partim etiam, qui iniquiſſimo animo ſunt laturi ejus Sacerdotii opulentiam non amplius ad luxum, & delicias, ſed ad divini cultus decorem, & pauperes nutriendos convertendam eſſe. Tu vero, certe ſcio, qua animi magnitudine negotium aggreſſus es, eadem atque etiam longe majore ad exitum uſque proſequere, ut nec pietas in voluntate, nec in propoſito conſtantia, nec conſilium in exequendo deſiderari poſſit. Qua de re, tecum pluribus aget (*a*) Euſebius Mutinenſis Ordinis noſtri Præſidens, qui has noſtras, ut opinor, tibi eſt redditurus, & ejus fidei quædam a me commendata ſunt ad te deferenda, ut gratiſſimum omnino mihi facturus ſis, ſi de omnibus fidem illi adhibere volueris. Vale.

EPISTOLA III.

LEONI X. PONTIFICI MAXIMO.

GREG. S. (*b*)

ARGUMENTUM.

Leoni Summo Pontifici gratulatur Summum Sacerdotium, cujus & amplitudinem, & ſupra cæteras quaſcunque dignitates eminentiam proſequi·

(*a*) Is eſt Euſebius ex nobili Mutinenſi familia Fontana, qui jam tertio tunc erat Caſſinenſis Congregationis Præſes Generalis. Mutinæ obiit circa annum MDIX.

(*b*) Cum Leo X. poſt Julii II. obitum Petri cathedram aſcenderit V. Idus Martii anno MDXIII. eodem anno debuit hic noſter hanc Epiſtolam ſcribere.

Digitized by Google

ſequitur; gratulatur & ſibi, & Chriſtianæ Reip., quod is electus ſit, qui omnium judicio iis dotibus præſulget, quæ ad tantum munus requiruntur; ita tamen gratulatur, ut ſimul moneat, quantum periculum, quantæque curæ eam dignitatem comitentur.

SCio fore complures, qui tibi ob demandatam ampliſſimam dignitatem, maximumque Pontificatum, mirum in modum ſint gratulaturi, idque non ſuo ſibi tantum judicio, ſed fortaſſe etiam cæterorum omnium recte atque ordine facere videbuntur. Si enim cum mediocris alicujus dignitatis cuipiam, quo cum nobis vetus amicitia intercedit, fiat acceſſio, alienum quippiam ab officio facere videmur, ſi non perinde oſtenderimus eo nomine lætari, quaſi noſmetipſi eodem honore aucti, & cumulati fuerimus. Quid eos facturos putamus, cum tibi hæc dignitas, præſertim nec ambienti, nec expectanti ſit demandata; qua major, aut amplior ab homine Chriſtiano nec deſiderari quidem poſſe videtur? Habet enim ſummum illud Sacerdotium amplius quiddam atque auguſtius, quam ut id in cæteris dignitatibus invenire poſſimus. Excellit qui eo fungitur communem hominum ſtatum, medius inter divos atque mortales eſt conſtitutus. Cæteris nempe ut ſint maximi, ut ſint potentiſſimi reges, in corpora tantum, atque res noſtras imperium exercere eſt permiſſum, ut recte a quoppiam dictum ſit, æquam eos cum cantharide vim eſſe ſortitos. Tibi vero immortalis illa noſtri, atque adeo divina pars, animus ipſe, ſcilicet, eſt ſubiectus. Nihil in juriſdictione tua humanum, nihil terreſtre invenitur, divina omnia, atque cœleſtia ſunt. Quo fit, ut non certis limitibus, montibus ſcilicet, fluminibus, aut mari imperium tuum terminetur; quodcunque ab ortu ad occaſum die noctuque ſol aſpicit, tuis nutibus, tuoque imperio eſt ſubiectum, nec ea ratione ut id imminui aliquando aut labefactari poſſit, quoad Romana religio, quoad nomen Chriſtianum, denique quoad Chriſtus ipſe regnabit, quod futurum eſt ad omnem æternitatem, eatenus ſummi Pontificis auctoritas, majeſtas, atque imperium perdurabunt. Hæc atque ejus generis complura ſcio eorum nomine, qui tibi gratulantur ad te quotidie perferri, aureſque tuas ejuſmodi vocibus circumſonare, ut mihi nequaquam ſit neceſſe, trito jam veſtigiis omnium, & conculcato itinere proficiſci. Ego vero pro hac dignitate, quæ omnium patrum ſuffragiis tibi nec expectanti, nec deſideranti eſt demandata, omnium ordinum Sacerdotibus, Principibus, Regibuſque, qui eadem nobiſcum religione cenſentur, univerſæ denique Reip. Chriſtianæ mirum in modum gratulor. Cum enim vitam, moreſque tuos ab ineunte ætate conſidero, cum caſtiſſime ſuperatam

tam adoleſcentiam, juventutem actam graviſſime, atque ſanctiſſime; cum præterea intueor quanta animi fortitudine, atque conſtantia, paupertatem, diuturnumque exilium toleraveris, qua prudentia, errore fortaſſe aliquo, gravem tibi adverſarium Alexandrum Pontificem Maximum, eo deduxeris facilitate tua, & ſuaviſſimis moribus, ut non modo odium diſſimulare vellet, ſed etiam ad declinandam invidiam, ſe tibi cuperet haberi amiciſſimum. Omitto hic domeſticam familiæ tuæ diſciplinam, qua nihil ſanctius, nihil moderatius, præſertim in hac morum corruptela, excogitari poteſt. Hæc atque ejuſmodi pleraque mihi ad memoriam revocanti, facile perſuadetur fore, ut plane oſtendas, non te hac potiſſimum ætate electum eſſe, ut ad corruptos hujus temporis mores, hi qui te ſibi prætulerunt ſuffragia ſua accommodarent, ſed ut declararent iſtis quoque temporibus mira accidere poſſe, & cum admodum juvenis, nondum ſcilicet annum quintum, & trigeſimum ſupergreſſus, tanto oneri idoneus es judicatus, id ea ratione factum eſſe, quod quaſi lumen quoddam in hiſce tenebris elucere viderent ſanctitatem, & prudentiam, & magnitudinem tuam. Præterea te eſſe ſolum qui poſſes ad tam vaſtæ navis gubernacula, veluti in ſumma puppi ſedere, inter medios fluctus, & undique circumſtrepentes procellas tuto curſum tenere. Quo fit, ut nunc demum ſibi omnes polliceantur priſtinos Chriſtianorum ritus, & mores ſanctiſſimos, qui ex minimis initiis in hunc ampliſſimum rerum ſtatum, Remp. noſtram provexerunt. Tibi vero privatim haud ſatis ſcio an debeam grattulari; & ſi enim fieri non poteſt, ut maxima te dignitate auctum pro ea, quæ mihi tecum ab adoleſcentia interceſſit, ſervitute, non vehementer gaudeam, ſæpius tamen mihi venit in mentem periculi quam dignitatis tuæ. Licet enim ad maxima quæque natus eſſe videaris, licet magnanimitatis, atque innocentiæ nemo me tibi teſtis certior eſſe poſſit, tam grave tamen eſt onus, quod tibi nuper impoſitum eſt, præſertim cum tibi tam lubrico, infeſtoque itinere ſit incedendum, ut nulli dubium ſit, minimum eſſe debere ſecuritati, maximum autem timori locum. Quid enim, ut in aliquo ſimili verſer, nonne paſtori timendum eſſet, cujus curæ innumeri greges, infinita armenta ea ratione commendarentur, ut capitis ſui periculo cuſtodienda ſuſciperet, præſertim lege poſita, ut culpam omnem, & periculum ipſe eſſet præſtiturus?

Vigilandum utique aſſidue, ſui minima, gregis autem maxima cura eſſet habenda. In hoc rerum ſtatu, cum tibi, Leo, agendum eſſe videam, mihi quidem gratulor, cæteriſque omnibus, qui tuo æquiſſimo imperio ſunt ſubiecti, tibi vero eo tantum nomine, quod poſt diuturnos, maximoſque labores, poſt pericula maxima, quæ ſpero fore, uti præclara hac indole virtutibus omnibus cumulata, facile ſuperes; par tanto diſcrimini, atque adeo longe major merces eſt præparata: danda igitur tibi opera eſt, ut ei opinioni, quam de

te inferioribus magiſtratibus concitaſti, in maximo hoc atque ſupremo, ſtudio, labore, diligentia, atque animi magnitudine reſpondeas. Et ut patres, qui tibi munus hoc demandarunt, in eo admirandi eſſe videantur, quod ſi ſe æquo animo paſſi ſunt præteriri, id maximo judicio feciſſe ſint putandi, quod ei potiſſimum ceſſerunt, qui ingenio, atque induſtria, adde etiam moribus, & ſanctitate, tantum cæteros omnes excelleret, quantum loco, & dignitate eſset præſtiturus. Vale.

EPISTOLA IV.

JULIANO MONACHO.

GREG. S. (*a*)

ARGUMENTUM.

Juliano cuidam monacho gratulatur, quod ejuſdem ad Dionyſium monachum litteras legerit eleganter, & candide ſcriptas. Ut incæpta bonarum litterarum ſtudia perſequatur, ſtimulos addit, & eos in exemplum proponit, qui doctrinam cum vitæ ſanctitate conjunxerunt.

OStendit mihi nuper tuas ad ſe litteras Dionyſius noſter, quarum elegantia, & candore mirum in modum delectatus mihi ipſi imperare nequivi, quin ſtatim tibi plurimum eo nomine gratularer. Nec pro eo tantum, quod hactenus te conſecutum video, (etſi id eſt maximum) quantum quod in poſterum certiſſimam mihi ſpem attulerunt mirifici progreſsus tui, ut veriſſime mihi perſuadeam, te hoc itinere pergentem, facile in arcem diſciplinarum brevi evaſurum eſse. Perge igitur, Juliane, perge. Eandem nempe viam ſibi munientes majores illi noſtri ad eum, & doctrinæ, & ſanctitatis gradum pervenerunt, ut non tantum ſibi ipſis, ſed poſteris etiam præclaro illo, & admirabili labore profuerint. Quæ enim omnino vita eſſet eorum, qui ſe religioni totos dediderunt, niſi ducibus viæ majorum lucubrationibus manutentim, ut ita dicam, per hos anfractus, tenebroſaque loca incolumes deducerentur? Studia nempe litterarum conjuncta pari pietate, Hieronymos, Gregorios, Baſilios, & ejuſmodi complures nunquam ſatis laudatos pro meritis nobis pepe-

(*a*) Non niſi divinanti liceret aſſequi, quis ſit hic Julianus. Hoc idem perſæpe eveniet in conſequentibus Epiſtolis cum præſertim mentio incidit de Monachis, quibus fere nullus erat tunc agnominum uſus.

pepèrere. Per quorum veſtigia quiſnam eſt, qui tute poſſit incedere; niſi itineris omnes difficultates, & diſcrimina ab eiſdem & exploratas, & litteris traditas cognoſcere valeat? Quod profecto facere nequeunt, qui ſpretis honeſtiſſimis ſtudiis nihil fere ſupra communem hominum conſuetudinem rationem veræ vitæ, & religionis leges valent perveſtigare. Nobis admodum placet divina illa Auguſtini ſententia Deum alloquentis: *Beatus*, inquit, *qui te novit, etiam ſi iſta neſciat, longe tamen futurus beatior, ſi & te, & iſta cognoverit*. Verum cum initio propoſitum mihi fuiſſet, non exhortatione uti, ſed gratulatione potius, neſcio quo pacto ad te exhortandum imprudens delapſus ſum. Quare hac potiſſimum ſententia concludam epiſtolam: Libenter tibi eos audiendos eſſe, qui te ad honeſtarum diſciplinarum ſtudia accendentes, equo ſponte currenti calcaria adhibent. Si qui vero ſecus facere tentaverint, quod vix contingere poſſe mihi perſuaſum eſt, eos putare debes miniſtros ejus eſſe, cui nihil rectum, nihil ſanctum, nihil laudabile placere poteſt. Vale.

EPISTOLA V.

LAMBERTO EPISCOPO VENUSINO

GREGORIUS S. (*a*).

ARGUMENTUM.

Laudat Antonium quemdam, quod inter juris ſtudia primorum ſtudiorum non obliviſcatur, & bonarum litterarum candoris. Requiſitus quoſnam præ cæteris probaret libros, qui coemantur, probat Chryſoſtomi commentarios in Geneſim cum latino interprete; græce tantum ſcriptos jam apud ſe eſſe; cæterum in libros quoſcunque bene erogari pecuniam, cum ex omnibus quidpiam utilitatis poſſit erui.

ANtonii noſtri ingenium, & diligentiam nequeo ſummopere non probare, qui, etſi, ut audio, humanioribus litteris nuntium remiſit, & in

(*a*) Lambertum, vel Ambertum Arbaud Antipoli ortum Julius II. Summus Pontifex anno 1510. elegit Epiſcopum Venuſinum. Concilio Lateranenſi interfuit ſub eodem Julio, obiit anno 1527.

Ughellius eum aſſerit translatum a Vencienſi ſede in Provincia. Id tamen non adeo certum eſt, eum in ejus Eccleſiæ Catalogis Lamberti nomen non legatur. Potuit fortaſſe in illa Eccleſia vice fungi Alexandri Farneſii Cardinalis, qui tenuit Epiſcopatum illum commendatum, & qui juxta eoſdem catalogos eum dimiſit anno 1511. favore cujuſdam Baptiſtæ Bonjoanni Romani, vel etiam potuit eligi a Capitulo, cui grave erat habere Epiſcopum Commendatarium. Sane Farneſius, qui poſtea Paulus III., anno 1509. tamquam Epiſcopus Vencienſis ejus Eccleſiæ Capitulo dedit litteras.

& in interdictis totus, & actionibus verſatur; jucundam tamen adhuc memoriam retinet priſtinorum ſtudiorum, nec æquo animo pati poteſt, bonarum litterarum candorem, quem tanto ſibi labore, & ſtudio comparavit, barbarorum ſordibus maculari. Declarant nimirum iſtud erudit:, & pereleganter ad te ſcriptæ litteræ, & inveſtigandis Bibliopolarum officinis mirifica diligentia. Cæterum quod requiris, quoſnam libros judicio meo magis probem, ex his, quorum nomina ad te dedit, facis tu quidem humaniter & amice, ut quorum (ut ego interpretor) uſum mihi tecum communem fore deſideras, in his etiam coemendis, judicium meum velis interponi. Sed ut omnino temerarium opinor de his, quæ nunquam viderim, imprudenter judicare, ſic Chryſoſtomi commentarios in Geneſim, modo acceſſerit interpretis fides, & diligentia, omnino tibi habendos puto. Sunt enim apud me iidem græce ſcripti, quibus nihil fieri poſſe opinor in eo ſcriptorum genere abſolutius. Enimvero, quid opus eſt ſingula perſequi, cum Plinii ſententia omnes tibi probati eſſe poſſint? Nullus adeo malus liber eſt inquit, ex quo non quippiam utilitatis erui poſſit. Non igitur timenda eſt hæc quantulæ pecuniolæ jactura, præſertim ſi cum ejuſmodi re commutetur, quæ facile omnibus pecuniis longo intervallo pretioſior judicari debeat. Vale.

EPISTOLA VI.

JACOBO FERRO NINENSI

GREG. S. (a)

ARGUMENTUM.

Viri cujuſdam Principis de religioſæ vitæ inſtituto capeſſendo propoſitum quorumdam animos offenderat, qui vel parum religioſi, vel nimium rebus ſuis metuentes, id ſibi incommodum evenire arbitrabantur. Conſilii vel auctor, vel adjutor habebatur Gregorius. Hoc cum præſtitiſſe ſe neget, culpam tamen hujuſmodi a ſe non deprecaretur, ſi præſtitiſſet.

ET ex litteris tuis, & ex verbis ejus, qui ſub fidei tuæ teſtimonio litteras ad nos detulit, facile cognovi, quanto amore Collegium hoc noſtrum proſequaris. Etſi iſtud ipſum jamdiu & pollicitationes tuæ mihi teſta-

(a) Ex alia Gregorii epiſtola innoteſcit Jacobum fuiſſe Philoſophum, & Medicum; eique fuiſſe aliquando demandatam curam ſalutis Regis Galliæ.

teſtatiſſimum; & ſuſcepti pro nobis labores perſpectiſſimum fecerant, nuper tamen hoc officio per te ſponte ſuſcepto vidi, ut ea quæ oculis cerni ſolent, tibi, cui nota ſit hujus Collegii integritas, curæ etiam eſſe, ut pro meritis bene audiat, quippe qui, ut nimium amantes ſolent, vulgi etiam rumuſculis commoveare. Ego vero, mi Jacobe, tantum abeſt, ut hac vulgari fama in alterutram partem afficiar, ut mihi magis minuſve placeam, ut etiam tunc recte me quippiam feciſſe probatis viris probaturum credam, cum factum aliquod meum vulgi ſermonibus damnari cognovero, quippe cui nunquam non ſint cordi mendacium, & vanitas. Rectiſſimeque inquit Tertullianus, eam famæ eſſe conditionem, ut non niſi cum mentitur, perſeveret: & ita demum vera nunciare, cum deſinit eſſe fama. Quod ſi antea aliquando, nunc tamen potiſſimum, ut opinor, verum id eſſe a te cognoſci potuit. Tam nempe diverſa, tam involuta, tam etiam inter ſe pugnantia de Borbienſi Regulo vulgo erant diſſeminata, ut quemlibet vel mediocri præditum prudentia ſuppudere poſſit, eo fremitu fuiſſe commotum; perinde quaſi non ſit ille vulgi mos tam in laudabilibus, quam etiam in malefactis tranſverſum ferri in erroris ſcopulos. Quæ vero mihi nunciata ſunt ejuſmodi extitere, ut niſi, te teſte, nunquam fuerim fidem adhibiturus eſſe iſtic tam levem, tamque otioſam plebeculam. Quid eſt enim, quod tantopere admirentur, ſi vir unus, atque adeo omnium teſtimonio recti exempli, & probatæ integritatis cupiat ſacris initiari? Novum quippiam credo, aut inauditum? An non quotidie, ut quæque civitas maxime Chriſto ſervatori operatur, ita & libentiſſime aliquid audit ejuſmodi, & maxima inſuper laude proſequitur? Sed opinor eos mirari, quod hic inter principes civitatis erat; at iſtud ipſum admirationem debuerat imminuere. Quis enim facilius caduca hæc, & inconſtantia, quæ falſo nomine bona appellamus, contemnere poteſt, quam qui fuerit ſæpius eorum blanditiis deceptus, vexatus moleſtiis, eluſus mutabilitate? Nam quod in nos vulgo culpa rejicitur, quos dicunt dudum hunc hominem ſolliciiare, id vero ejuſmodi eſt, ut & verum eſſe negemus, nec tamen, ſi ſit, culpam deprecari velimus, quippe quod neſcio quid commune habeat cum actis Apoſtolorum, quos conſtat univerſum pene orbem peragraſſe, ut eadem ratione animos ſollicitarent. Quod vero ad hominis patrimonium attinet, non ſatis video, cur deteriorem ejus conditionem eſſe velint, qui ſe, remque ſuam, quam qui nudus ſemetipſum Chriſto offerat, curque ſi hoc laudaturi fuerant, illud tantopere damnent. An forte iccirco ſtomachantur, quod, ut inquit Flaccus, deluſerit hiantes corvos? Nam & affines, & propinquos habent, quibus præ cæteris conſultum eſſe voluiſſent, quaſi vero illis omnibus, qui pretium ad pedes Apoſtolorum projiciebant, nulli fuerint affines, aut propinqui. Quid ſi etiam cognatorum non mediocris illi cura futura eſt, num adeo indignum videri debet, ſi qui profanus integro uſurus erat patrimonio, nunc ſacris addictus parte frui velit, quaſi ipſe ſibi non

Digitized by Google

ſit hæres legitimus, aut Chriſtus ipſi? Hactenus ad ea quæ vulgo jactantur: ſibi vero perſuaſiſſimum eſſe certo ſcio, nihil nos aut cupide, aut inconſulto facturos. Fit enim omnibus copia conveniendi hominem, & quinquagenarium, & ſuæ ſpontis, & qui ſermone patrio loqui novit explicite. Nudius tertius etiam cum eodem congreſſi ſunt complures affinium, quos puto non mediocri rubore affectos abſceſſiſſe ob ea, quæ de nobis paſſim falſoque jactaverant, cum præter opinionem repererint illum nec mutaſſe veſtem, nec dominium rerum ſuarum a ſe alienaſſe. Quid vero deinceps novitius hic noſter acturus ſit, ſcio me tam ignorare, quam etiam non curioſe inquirere, quod ex ejus hæreditate nulla mihi ad commodius vivendum fieri poſſit acceſſio, nec etiam ſi futuram ſperem, maximopere id ſim curaturus. Credo equidem Patres meos, nec precibus ab eo quippiam, non modo non vi, expreſſuros, nec tamen munus aliquod ſi ab eo offeratur, repudiaturos eſſe. Quod reliquum eſt, me tibi, & fuiſſe ſemper amiciſſimum exiſtimes velim, & futurum etiam confidas. Vale.

EPISTOLA VII.

HELISÆO MONACHO

GREGORIUS S.

ARGUMENTUM.

Lerinam (a) contendit nec fuiſſe, nec eſſe a Muſis alienam. In teſtem, & in exemplum ſe ipſum ſubjicit, qui quamvis a Muſis alienus, eas loci amœnitate captus ibi repperit; cumque amœnitati loci acceptum referat munus, in ejus laudibus voluit prima carmina ludere, quæ Heliſæi judicio committit.

ITa ne omnino alienam putas eſſe Lerinam meam a Muſis, ut quod Flaccus ait, iratis Diis, atque poetis nata ſit? Ego vero ſi uſquam eſt,

(a) Lerinam tam ſæpe nominat hic noſter, ut de ea neceſſarium ſit pauca dicere. Itaque Lerinæ nomine duæ Inſulæ intelliguntur Mediterranei Maris ad latera Provinciæ e Regione parvæ Urbis Canæ non longe ab Antipoli. Quæ dicitur parva Lerina, vocatur quoque Inſula S. Honorati; ibi enim S. Honoratus, qui poſtea fuit Epiſcopus Arelatenſis anno Æræ Vulgaris 410. celebre erexit Monaſterium; inde expulit angues, qui Inſulam reddebant inhoſpitam, fontemque aquæ dulcis, ut memoriæ proditum eſt, vi precum elicere potuit. Solitudo hæc per plura ſæcula Seminarium fuit Epiſcoporum Provinciæ, & vicinarum regionum. Ex ea deducti jam numerabantur,

eſt, non Helicon, aut Caſtalia, ſed terreſtris ille (a) παράδεισος hic potiſſimum eſſe, ut mihi veriſimillime perſuaſerim. Ut tibi etiam ſuadere non vereor, hanc Inſulam Pindarum ſomniaſſe, cum Beatorum ſedem deſcriberet, (b) ἔνθα μακάρων νᾶσον ὠκεανίδες αὖραι περιπνέοισιν· ἄνθεμα δὲ χρυσοῦ φλέγει, τὰ μὲν χερσόθεν ἀπ' ἀγλαῶν δενδρέων, ὕδωρ δ' ἄλλα φέρβει· ὅρμοισι τῶν χέρας ἀναπλέκοντι καὶ στεφάνοις. Viros enim omni genere doctrinæ excellentis, & non modo, ut ais, non (c) ἀμούσους, ſed cum omni prorſus antiquitate illa comparandos hanc ſolitudinem nutriviſſe ex his quæ ſcripta reliquerunt manifeſtius eſt, quam ut hac epiſtola a me declarari debeat: nec defuiſſe præterea Muſarum jucunditatem, atque facetias præclare teſtificantur Hilarii carmina, quibus ob elegantiam, candorem, & gravitatem, cave ut quippiam putes eſſe in eo genere abſolutius. Ne tamen vel me ipſum amore loci deceptum hæc ad te ſcribere putes, vel aliter, quam ſcribam, ſentientem te decipere voluiſſe, ut ea ratione huc ad nos te attraherem: ſcias velim me, ut noſti, a Muſis penitus alienum, Muſas hic reperiſſe, cumque hoc ob loci amœnitatem accidiſſe putarem, ſciremque munus hoc illi me debere acceptum referre, ſtatui primum poema in ejus laudibus ludere. Quod genus exercitationis tum denique impoſterum non in-

tur elapſo ſæculo duodecim Archiepiſcopi, totidem Epiſcopi, Abbates decem, Monachi quatuor in album Sanctorum Confeſſorum relati, Martyres pene innumeri, complures alii doctrina, & pietate conſpicui. Ab initio ſubjectum fuit Monaſterium Epiſcopi Forojulienſis in Provincia, poſtmodum Epiſcopi Graſſenſis Juriſdictioni. Ab erectione vixit ſub regula Sancti Macarii; ab anno 993. ſub regula S. Benedicti. Hujus obſervantiam jam ante prænuntiaverat S. Abbas Aigulfus Floriacenſis Monachus, qui impiorum hominum fraude poſt multas ærumnas mortem oppetiit anno 675. Aigulfi Succeſſorum Sanctitas Succeſſores alios attraxit, quos fama eſt exceſſiſſe, quingentos, cum Saraceni anno 730. vel 731. in Inſulam deſcenderunt. S. Porcarius tunc temporis Abbas, cui jam antea innotuerat periculum, juſſerat in Italiam deduci triginta ſex juvenes Monachos, & pueros ſexdecim, qui ibi inſtituebantur: cæteri omnes inhumane tunc ſunt interempti præter ſenem unum Eleutherium nomine, qui cum ſe abdidiſſet, poſtea fuit Abbas, & præter quatuor juvenes monachos, quibus contigit e vinculis in quoddam nemus aufugere, ex quo deinde Lerinam redierunt. In Gallia, & Hiſpania Prioratus nonnulli Abbati Lerinenſi ſubjiciebantur; ei ſubjiciebantur etiam nonnulla Virginum Monaſteria, inter quæ Taraſconenſe unum, ſicut & aliud Canonicorum Regularium. Auguſtinus Grimaldus Epiſcopus Graſſenſis anno 1505. Abbas Commendatarius Lerinenſis Monaſterium ſubdidit Benedictinis Caſſinenſibus, alias S. Juſtinæ Patavii, qui anno 1515. illud adepti ſunt. Toti etiam Inſulæ præerat Monaſterium.

(a) Paradiſus.

(b) Totum autem ſic vertitur: *ubi Beatorum Inſulam Oceanitides aura perflant: flores autem auro fulgent; alii quidem ex humo ab amœnis arboribus: alios vero alit aqua, quorum monilibus, & fertis manus implicant*. Vel ut ſuus Pindarico carmini ſtet honos, & gratia.

Inſulam ſedem placidam Beatorum
Ab mari perflans levis aura mulcet;
Floribus fulvum decus addit aurum,
Addit honorem.
Arboris culmen tenet alter, humor
Alterum jugis recreat: monile
Alter eſt collo, caput hic, manuſque
Implicat alter.

Conſule Pindar. Ode 2. Olymp. Antiſt. 4. v. 23.

(c) Imperitos.

intermittam; ſi judicio tuo præſens (*a*) *προγύμνασμα* non omnino fuerit improbatum. Vale. (*)

EPISTOLA VIII.

HELISÆO MONACHO.

GREGORIUS S.

ARGUMENTUM.

Annuens Heliſæi precibus Sapphicum tranſmittit, quod exaravit, cum Graſſenſis (b) Pontifex Hieroſolymam navigaſſet.

PAuca illa carmina, quæ mihi amor olim expreſſit pro deſiderio Graſſenſis Pontificis cum ille Hieroſolymas navigaſſet, perierant omnino, niſi tu illis in longius tempus vitam proferre voluiſſes. Quæ, ut verum fatear, diutiſſime quæſita, vix tandem ex multitudine ſcriptorum eruere potui. Opinor ea tibi ſola brevitate placitura eſſe, niſi etiam iccirco probentur, quod cum pauca ſint, minima etiam temporis jactura in eis legendis a te fieri poteſt. Vale. (*)

(*a*) Progymnaſma; latine præexercitamentum, prœludium, proluſio.

(*) Sapphicum de Lerinæ laudibus, quod huic Epiſtolæ ſubjiciendum eſſet, ſicut revera ſubjicitur in veteri editione, hic omittimus. Habetur enim cum adjecta Italica verſione in prima Parte ſub numero II. inter res poeticas hujus noſtri.

(*b*) Graſſenſis Epiſcopus is erat Auguſtinus Grimaldi, de quo in ſuperiori Annotatione Num. 9. ex prænobili Genuenſi Familia, Gregorii noſtri amantiſſimus, ut ex ſequentibus innoteſcet. Fuit Conſiliarius, & Eleemoſinis Præfectus Ludovici XII. Galliarum Regis.

(*) Carmina, de quibus in hac Epiſtola, quorum initium *Agminis Sacri Pater, atque Princeps*, habes in Parte prima ſub numero III.

EPISTOLA IX.

CHRISTOPHORO LONGOLIO

G R E G. S. (*a*)

ARGUMENTUM.

Venuſini officiis ſe plurimum debere ſcribit, quod illa Longolium ſibi amicum conciliaverint. Tum Lerinenſem inſulam laudat ex ſalubritate, ex amœnitate, ex liberalium artium ſtudiis, ex ſolitudine; ejus deſiderium jam animo conceptum augere ſatagit amico, cui & fidem, & operam pollicetur ſuam.

QUod fieri poſſe non arbitrabar, ut ad Venuſini noſtri in me innumerabilia merita cumulus aliquis accederet, hoc proximis diebus, dum Romæ eſſet, ſum conſecutus. Ut eſt enim in explendis omnibus amicitiæ numeris non officioſus modo, ſed pene dixerim ambitioſus, non ſatis ei fuit (quod quidem erat maximum) te ſibi conciliaſſe, niſi me quoque in amicitiam tuam inſinuaret, & quidem tam arcte, ut, ſi repentinus ejus diſceſsus non obſtitiſset, fueris litteras ad me daturus. Quæ etſi mihi pergratæ futuræ fuerunt, facile tamen patior, partem aliquam inſtituendæ inter nos amicitiæ mihi abs te ſuiſse relictam. Quando enim tot tuis meritis reſponderem, qui nec etiam nunc, qua ratione id perficiam, ſcio? Quanti enim me putas facere, quod prior ad me amandum

(*a*) Chriſtophorus Longolius natus eſt in Urbe Mechlinienſi anno 1488. patre Antonio Epiſcopo S. Pauli Leonenſis in minori Britannia, & Conſiliario Annæ Britannienſis Reginæ, apud quem legationem gerebat. Vix ingreſſus adoleſcentiam Chriſtophorus, Lutetiam Pariſiorum deductus, ibi ſcientias omnes excoluit, ſtudia ſcilicet humaniorum litterarum, penitioris antiquitatis, idiomatum peregrinorum, juris, Medicinæ, Theologiæ. Nihil ex ejus memoria excidebat; eleganter ſcribebat tam verſibus, quam ſoluta oratione. Adhuc adoleſcens prudentiæ ſimul, & ſagacitatis indicia præ ſe tulit, Italiam, Hiſpaniam, Germaniam, Angliam peragravit. Ad Orientales regiones non perrexit Turcarum bellis deterritus. Helvetiorum regionem cum pertranſiret poſt Marignanenſem pugnam anni 1515., ab Helvetis captus eſt, quibus inviſa erat Gallorum natio. Ab iis tamquam explorator habitus in captivitatem ductus eſt. Duorum ejus ſociorum alter dum contra nititur, mortem oppetiit, alter natans Rhodanum tranſmiſit. Per menſem unum in captivitate multa pertulit, & Epiſcopi Sionenſis opera libertatem nactus eſt. Eum Leo X. Romæ libenter excepit, atque ut orantem audivit, de ejus eloquentia magnifice ſenſit. In Galliam rediit, ſed brevi venit iterum in Italiam, & Patavii obiit trigeſimo quarto ætatis anno tertio Idus Sept. anno 1522. Petrus Bembus ejus tumulum epitaphio exornavit.

dum acceſſeris, non modo nullo beneficio aſtrictus, ſed nec de facie quidem cognitus? Si enim cumulatiore menſura Heſodius reddere (*a*) αἴ κε δύνηαι quid faciemus beneficio provocati? Illud vero non jam amicitiæ fructum, ſed felicitatis partem non modicam nobis polliceri videtur, quod te deſiderio hujus noſtræ ſolitudinis non mediocriter affici intellexi. Nequeo enim id maximopere non probare, quo & delector ipſe vehementiſſime, & tranquilliſſime fruor. Cave vero credas, locum aliquem ſalubriorem amœnioremve eſſe inſula Lerinenſi, cujus cœlum cum ad corporis firmitatem, tum etiam ad excitanda ingenia plurimum valere cognovi. Etſi enim non ſatis mihi probantur vis terræ occulta, aut locorum genii, quæ Platonicis video placuiſſe, referre tamen plurimum, quo ſub cœlo quiſque degat, Thebanorum, & Athenienſium argumento, graviſſimos etiam philoſophos opinari novimus. Cum vero omnium fere inſularum hoc proprium ſit, ut liberrimo, & ſereniſſimo cœlo gaudeant (quare commodiſſime in inſulis viſus eſt ſibi Homerus fingere ſedes beatorum) ea tamen potiſſimum Lerinenſis inſulæ natura eſt, atque adeo, ut nullus unquam dies fuerit, quin aliqua ejus hora ſolem viderimus, ne jam de unis Syracuſis hoc dici poſſe videatur. Quam autem faveat ingeniis, conjectura facile poſſumus aſſequi, ex uberrimo doctiſſimorum hominum proventu, qui inde aliquando prodierunt. Taceo liberalium artium ſtudia, quæ hic tam nunc floride reviviſcunt, quam olim ſitu, & incuria exaruerant. Nec quidem arroganter dictum velim exiſtimes, cum per omnes diſciplinas, & merito laudatam (*b*) ἐγκυκλοπαιδείαν in arcem doctrinarum certatim conentur, qui hic degunt evadere. Solitudo vero ea eſt, ut profanum modo vulgus oderit, & arceat, qua nihil puto amicius ingeniis, qui maximum neſcio quid ſpectantes, totos ſe liberalibus ſtudiis tradiderunt. Accedit Epiſcopi Graſſenſis mira quædam liberalitas, & honeſtus amor in litteratiſſimos quoſque, hoc eſt, tui ſimiles. Quæ omnia, cum & prædicationem noſtram, & opinionem tuam ſuperare non dubitem, te ſummopere hortor, ut quam tibi mentem Deus Opt. Max. dedit, eam audias, illi obſequaris, nec te aſpectus ille urbis, & fallaces illecebræ, in quibus tanquam in æſtu jactaris, tranſverſum ferant. Magnum eſt quidem in urbe totius orbis facile principe, inter doctiſſimos viros, vel primum, vel in primis numerari; magnum, quis neſcit? At vero illud maximum, quod te audio animo concepiſſe, tranquillo ſolitudinis litteratoque otio triennium ad ſummumve quadriennium frui, quo poſſis totius antiquitatis monumenta excutere, & æmulari, tibi immortale nomen, ætati noſtræ decus, poſteritati utilitatem non mediocrem pariturus.

(*a*) *Siquidem poſſis*, ſi modo poſſis.

(*b*) Diſciplinarum omnium cognitionem ad verbum *orbicularem doctrinam*. A Quintiliano, & ab Auctore appellatur *orbis ille doctrinæ*: omnigena doctrina.

turus. Qua quidem in re (ſi ſolitudinem hanc adamaris) & fidem, & operam meam tibi polliceor. Nec iccirco credas velim, me, quid mea interſit, potius quam quid tibi conducat, proſpicere. Longiſſime id quidem & ab animo, & ab inſtituto meo eſt, ut meis potius commodis, quam amicorum progreſſibus conſultum velim. Expecto equidem quid de hac re ſtatueris, quamprimum fieri certior. Etſi enim te magis, quam tuas litteras deſideramus, erit tamen quod tibi acceptum referam, ſi litteris ſaltem inſtitutam amicitiam excolere non gravaberis. Vale.

EPISTOLA X.

GREGORIO CORTESIO MONACHO

CHRISTOPHORUS LONGOLIUS. S.

ARGUMENTUM.

Immodica de ſe prædicaſſe Venuſinum, quæ Gregorius ipſe a vero aliena experiatur, ſcribit Longolius. Gaudere tamen ſe, quod hæc & amicitiam, & operam, & fidem comparaverint viri doctiſſimi, cujus conſuetudine quamprimum frui ſtatuit in amæniſſimo receſſu.

ITa eſt, ut ſcribis. Venuſinus noſter in explendis omnibus amicitiæ numeris, non officioſus eſt modo, ſed pene dixerim ambitioſus. Parum ei ſcilicet viſum fuit, me, nihil tale neque merentem, neque ſperantem, in amicorum ſuorum album retuliſſe, quod certe apud me maximi eſt beneficii inſtar, niſi & iſtic te quoque mihi conciliaret: & quidem tam arcte, ut etiam litteras ad me confeſtim dederis, tui in me amoris indices locupletiſſimas. Ne quid hic de eximio illarum candore, & vere priſca illa elegantia commemorem, quibus ſane dotibus a reſcribendo me tam facile deterres, dum invitas, quam earum humanitate etiam atque etiam provocas, ut haud ſatis compertum habeam meritus ne ſit de me Venuſinus antiſtes optime, quod mihi tantum amicum compararit; an peſſime, quod me ad hanc reſcriptionis aleam, hoc eſt infantiæ meæ profeſſionem incautum perduxerit. Profecto niſi me aut conjectura, aut ejus in me fallit amor, ea vobis de me pollicitus eſt, quæ nec vir modeſtus agnoſcat, nec homo Gallus præſtare queat. Alioqui, ubi in mentem qui veniſſet, homini longe doctiſſimo, ut me, quem ne nomine quidem noras, ad amicitiam ultro provocares? ad contubernium tam humaniter invitares? Verum quibus ille me laudibus oneraverit, quid tu illi de me oppido quam amanter nuganti temere credideris, vos ipſi videritis. Ego namque cum id etiam ſim ætatis, ut litteras honeſte amplecti

 poſ-

Digitized by Google

poſſim, ea inſcitia ut maxime debeam, eo animo ut ſummopere cupiam, fruar interea illius amore, tuo errore, amborum haud ſcio quam vana, mi certe frugifera perſuaſione, videbor mihi hactenus operam in re litteraria haud omnino luſiſſe, quod cum illi tam belle imponere, tum te virum tam anxie eruditum rebus meis adjicere potuerim. Licet ille fidem immodica mei prædicatione ſua apud te labefactarit, licet tu commendationem ejus ſecutus, nunc te falſum doleas, meus tamen es, quando nullo meo dolo malo huc deductus es, uti ſyngrapham ad me dares, qua mihi & te amicum profiteris, & fidem, operamque tuam ingenue promittis. Hic tecum ſummo jure experiar, vir doctiſſime, quatenus intelligas nihil tua referre, mea plurimum intereſſe, ut iſtuc quamprimum devolem, illo veſtro amœniſſimo receſſu per otium uſurus, conſuetudine tua fruiturus, commercio tot doctiſſimorum dicam an ſanctiſſimorum hominum? beatus futurus. Nam ut partim ab iis, qui iſtinc quotidie veniunt, audio, partim ex Sapphico illo carmine, quin etiam ex litteris tuis intelligo, ſi uſquam gentium terreſtris illius (*a*) παραδείσου ſimulacrum conſpici poteſt, iſtic poteſt, ut mihi haud dubie Lerina inſula cum ob cœli clementiam, atque ſoli benignitatem, tum ob circumjacentis maris, continentiſque felicitatem, quibus veluti bonorum omnium cumulus accedit incolarum divinitas, fortunata merito dici poſſit, niſi forte juſtius eſt, eam a præclaris illis heroibus multiplex cognomentum trahere, ut eadem *honorata*, eadem *amanda*, eadem *hilaris* appelletur. Sed hæc hujus non ſunt temporis. Mitto ad te exemplum illarum, quibus te ad amicitiam provocavi, litterarum, ne in hoc tibi imprudens blandiaris, quod inſtituendæ inter nos amicitiæ auctor fueris. Ego enim, ſi neſcis, ut par erat, princeps ad te græce ſcripſi, dedique epiſtolam eodem, quo hinc Venuſinus noſter profectus eſt, die, ut mirum mihi ſit, eam tibi nondum fuiſſe redditam. Vale: Romæ, octavo Kal. Februarii.

(*a*) Paradiſi.

EPI-

EPISTOLA XI.

HIERONYMO MONFERRATENSI ABBATI GREG. S. (a)

ARGUMENTUM.

Quum maximo Reip. Chriſtianæ detrimento complurium præclarorum virorum lucubrationes perierint, ne perirent pariter eximia quædam Hilarii, & Eucherii fragmenta, curavit Gregorius, qui ea jam collecta Hieronymo tranſmittit, ut ejus opera, & ſtudio emendatiſſima exeant. Utriuſque auctoris ſtylum, & indolem eleganter deſcribit; utriuſque ætatem, inſtitutum, munera, pietatem refert.

MAximam præclarorum auctorum jacturam, quam ſævis agitata tempeſtatibus Chriſtiana Reſp. facere coacta eſt, neminem eſſe opinor, qui recte poſſit intelligere, niſi idem & genus illud antiquorum ſcriptorum cognoverit, & is fuerit, qui inter priſcos illos, eoſque qui loco illorum ſucceſſerunt, valeat judicare. Ut enim omittam celebratiſſimi apud Latinos nominis, Apollonium, Victorinum, Minutium, & complures alios, quorum labores vel temporum iniquitate, vel hominum negligentia perierunt: hanc potiſſimum Inſulam maximo doctorum hominum proventu, nec minus eruditione, quam ſanctitate illuſtrium, mirificum adjumentum laboranti religioni præſtitiſſe, neminem puto fore qui ambigat, quorum pene omnium admirabilia ſcripta, eodem genere calamitatis, quo cætera periere. Sic Vincentii, & Syagrii labores penitus amiſimus; Fauſti, & Salviani, & Cæſarii deſiderantur complura. Hilarii, & Eucherii virorum ingenio, & doctrina excellentium, parvæ quidem, ſed admirabiles

(a) Duo extiterunt fere eodem tempore, eodem nomine, eadem patria, eadem dignitate inſigniti, alter Monaſterii Parmenſis alumnus, Padolironiani alter. Hieronymus Parmenſis regulam profeſſus eſt anno 1487.; fuit Abbas S. Salvatoris Ticinenſis anno 1511. & S. Joannis Parmenſis anno 1495., & 1522., quo pariter obiit. Hieronymus Padolironianus regulam profeſſus eſt anno 1496., Abbas fuit Florentini Monaſterii anno 1520., & Padolironiani anno 1525. & 1528., quo mortuus eſt. Nominis, & patriæ ſimilitudine factum eſt, ut de utroque memoriæ traditum ſit, ter univerſæ congregationi præfuiſſe, quod tamen nonniſi Padolironiano convenit, qui annis 1521, 1525., & 1528. fuit Præſidens Generalis. Cum itaque ob hanc dignitatis acceſſionem in majori exiſtimatione debuerit eſſe Padolironianus, cum inſuper Gregorius ejuſdem Monaſterii alumnus eſſet; vero ſimilius arbitramur ad Hieronymum Padolironianum datas Gregorii noſtri litteras.

biles reliquiæ ſævam illam vaſtitatem vix evadere potuerunt. Quas ne forte caſu aliquo idem excidium aliquando pati contingeret, viſum mihi eſt, collectis quaſi ex maximo naufragio parvis tabulis, illas ad te mittere, ut fide, & diligentia tua ab interitu vindicentur. Ex his enim veluti membris facile conjectura aſſequi poteris, quantum, & quam grave fuerit damnum illud, quod ex integri corporis amiſſione perceptum eſt. Non enim admodum multa apud Latinos reperies, & eos præcipue qui in ſacrarum litterarum ſtudio ſunt verſati, quæ eloquentia, eruditione, & artificio iſtis anteponi debere viderentur. Illud vero vehementer tibi mirum viſum iri non dubito, quod cum uterque ſummus in ſuo genere ſit, nihil tamen diſſimilius, quam ipſi inter ſe ſunt, fieri poſſe videatur. Eſt in Eucherio plus candoris, & elegantiæ; ſuperat Hilarius acumine, & crebritate ſententiarum. Numeroſiores illi ambitus, hic ſpretis numeris pondere rerum examinatior. Exultat ille florenti, & venuſta, ut ita dicam, oratione; hic identidem ſevera gravitate ſuſpenſus ſic delicias horret, ut in eo tamen jejunitatem non poſſis reprehendere. Solutus ille ab Oratorum legibus proprii ingenii impetu decurrens fertur; hic intra Rhetorum placita ſemetipſum coercens, etſi locis communibus, quoad ejus fieri poteſt, diſſimulatis, mirifice tamen Oratoriæ artis præceptiones obſervat. Ad ſummum ille abſque cura comptior, hic, quamvis cultu adhibito, longe tamen horridior invenitur. Vixiſſe autem illos non eodem tantum loco, ſed iiſdem etiam temporibus, argumento eſt, quod uterque alterius mentionem facit. Cum præterea accedat locuples Gennadii teſtimonium, qui ſub Valentiniano, & Martiano Imperatoribus utrumque deceſſiſſe ſcribit. Certiſſimam inſuper ejus rei fidem facere poteſt, quod cum nullus ſit in ratione temporum veſtiganda paulo diligentior, qui neſciat Auguſtinum, & Caſſianum eadem ætate vixiſſe, prioris certe ad Hilarium libri, alterius vero Collationes, (ſic enim ipſe appellavit) ad Eucherium, & Honoratum, vulgo etiam habentur in manibus. Quare ſummopere admiror quemdam ex recentioribus Scriptoribus, qui pro Hilario Evagrium ſupponere auſus eſt, quod ſtulte illic idem nomen repetitum arbitraretur. Id vero illi accidiſſe nemini dubium eſt, quod præter Pictavenſem alios etiam ejus nominis doctrina celebres fuiſſe ignoraverit. Enimvero ſi qua diligentia Eucherium prius apud Gennadium inveſtigaverat, eadem deinde quæſiſſet Hilarium, vidiſſet profecto quatuor, aut ad ſummum quinque interpoſitis, ejus nomen ſubſequi, de quo tantopere dubitabat, & qui non Pontifex tantum, ſed Monachus etiam in Lerina fuiſſet. Cui præterea ampliſſimam teſtificationem doctrinæ, & nobilitatis reddidit Proſper Aquitanus in illis litteris, quas de Prædeſtinationis quæſtione ad Auguſtinum ſcripſit. Pontifices autem fuiſſe, poſt diutinam Lerinæ habitationem, Lugdunenſis alterum, alterum Arelatenſis Eccleſiæ, publicis, anniverſariiſque ſacris illorum nominibus inſtitutis, utraque Civitas teſtatiſſimum fecit, quorum etiam Reliquias pie, pureque venerantur.

Digitized by Google

tur. Exuberavit vero hæc Inſula adeo fœcundo proventu hominum juxta moribus, & doctrina excellentium, ut ad hanc uſque diem eæ urbes in Gallia beatiſſimæ judicentur, quibus ex illorum numero aliquando Pontifices contigere. Tibi vero perſuadeas velim, maximam te cum apud omnes homines, tum præcipue apud ipſos, quorum nomen ab interitu vindicabis, gratiam initurum, ſi diligentia tua parvæ quidem, ſed maximi pretii lucubrationes, in manus hominum quam emendatiſſimæ exibunt. Vale.

EPISTOLA XII.

GEORGIO MONACHO

GREGORIUS S.

ARGUMENTUM.

Erudite, & peramanter reſcribit cuidam monacho, qui de rebus compluribus Græcæ linguæ peritiam ſpectantibus doceri poſtulaverat.

Omnino melius, cumulatiusque ad ea quæ ſcripſiſti ſatis feciſſem, ſi te coram alloqui licuiſſet, cum magis longa, quam ſubtili enarratione omnia indigere videantur. Nitar tamen, quoad ejus fieri poterit, univerſa breviter epiſtola complecti. Quod primum quæris de vocabulario Joannis Placentini, ſic enim ais, etſi quod ad rectam ſcribendi regulam attinet, ſatis mihi eſt exploratum, diligentiam ab Aldo adhiberi conſueſſe; nollem tamen, virum aliquem mediocris etiam doctrinæ ejus ſcripturæ inniti teſtimonio. Fieri enim poteſt, ut vel perperam impoſitus apex, vel unica littera tranſpoſita, in pudendum trahat errorem. Titubatum vero non eſſe aliquando inter tot vocabulorum millia, quis tam temerarius eſt, ut affirmare audeat? Qui enim græce ſciunt, non magnopere advertunt minuta illa, etiamſi in ea inciderint, a quibus in errorem abduci non poſſunt. At vero eos, qui græce neſciunt, neceſſario conſequens eſt non animadvertere poſſe. Sed demus nihil erratum in eo eſſe, quis ferre poſſet non ſaltem probati alicujus auctoris, ſed deſcriptoris illiterati teſtimonio, rem quæ in dubium vocetur, affirmari? Sunt ejuſmodi vocabulorum apud græcos collectores, quorum auctoritate honeſtius uti poteris: Suidas, Pollux, Eſychius, & complures alii, in quibus nihil fere eſt quod deſideretur. Quæ vero ſingillatim in epiſtola requiris, recte ſe omnia

mnia habere arbitror, ut ſcripſiſti: (*a*) οἰνόφορον enim latine œnophorum ſcribi debet, ut Juvenalis, totum ænophorum ſitiens, compoſitum ἀπὸ τοῦ οἴνου καὶ φέρειν; porro οἶνος fieri dicunt, ἀπὸ τοῦ καὶ οἰνέως, vel, ut Plato in Cratylo opinatur, διὰ τὸ οἰήσεως τὸν νοῦν ἐμπιμπλᾶν, quod falſis ſcilicet opinionibus mentem impleat: in ſecunda vero ſyllaba ο μικρὸν eſt, quod præter omnino pauca, ſemper remanet in compoſitione penultima ſyllaba mutavit ε in ο, φέρω φόρος, quod facere conſueverunt omnia nomina, quæ a verbis deducuntur, habentibus vocalem illam in eo loco λέγω λόγος, σπείρω σπόρος. At vero κήρωμα latine Ceroma, tam prima, quam altera producta dici debet, quod, ut noſti, oleum erat ceratum, quo ſe luctatori perfundebant, unde & unctores Ceromatiſtæ dicti. Græce autem κηρὸς, cera eſt, unde recta deductione verbum κεκήρωμαι, & inde κήρωμα, quo fit, ut contra complurium conſuetudinem, ceram arbitror apud Latinos abſque diphthongo ſcribi debere. αἱμόῤῥους, ſive αἱμοῤῥοῒς, ille enim mas, hæc fæmina, iccirco duplici ρ ſcribuntur, quia compoſita ſunt (*b*) ἀπὸ τοῦ αἵματος καὶ ῥέειν, quotieſcunque enim verba ab eo elemento incipientia in compoſitionem veniunt, illud duplicant, niſi poſt ipſum ſtatim ſequatur conſonans, ut ſunt (*c*) ἀποῤῥήγω καὶ ἀποῤῥίπτω, eſt autem, ut recte noſti, hæmorrhois fluxus ſanguinis, & ſerpentis ſpecies (*d*) ἐν τοῖς πετρώδεσι χηράμοις ἔχων τὰς διατριβὰς, ut ait Suidas. Illud vero te non ignorare certus ſum, quod inde nomen habeat, quod ſi quis ab eo percuſſus fuerit, tam præſenti veneno eſt, ut illico ex toto corpore ſanguis defluat. Cæterum elementum illud, de quo tam multa diximus, quotieſcunque duplex fuerit, prius tenue eſt, ſequens vero ſpiritum habet, cujus rei ratio pluribus verbis ab Herodiano aſſignata eſt. De Elegia vero integrum eſt Elegeja ἀπὸ τοῦ ἒ λέγειν, eſt enim elegos luctus (*e*) κατὰ ὀνοματοποιΐαν, ex eo ficta vox: quod lugentes ſæpius ἒ ἒ dicunt, (*f*) κατὰ συναίρεσιν vero eſt ἐλεγεία. Utriuſque exemplum apud Latinos quoque habes; Papinius; *Quas inter multum petulans elegia propinquat*; & illud Ovidii *Flebilis indignos elegeja ſolve capillos*. De Sophrone, & Sophronio, nulla eſt dubitatio. Eſt enim (*g*) σώφρων ex eo genere nominum, quæ cum in recto habeant ω μέγα, in obliquis tamen ſumunt ο μικρὸν, ut (*h*) γείτων γείτονος, τέκτων τέκτονος. σωφρόνιος vero præter primam ſyllabam nuſquam habere poteſt ω magnum, ſive ſit a nomine σώφρων ſive a verbo (*i*) σωφρονῶ. καλὸς, & pulchrum ſignificat, & honeſ-

(*a*) Hæc inepte verteris: nihilominus verba græca latinis exprimam: οἶνος vinum: φέρω, fero. Porro οἶνον fieri dicunt ἀπὸ τοῦ οἰνέως: οἰνεὺς eſt nomen proprium. Quid illud ſit ignoro, *vel ut Plato in Cratylo opinatur, quod mentem cogitationibus, falſis opinionibus* vertit Auctor, *compleat*. φόρος *tributum*, σπείρω *ſero*, σπόρος *ſatio*.

(*b*) Quod eſt *ſanguis* καὶ ῥέειν, quod eſt *fluere*.

(*c*) *Perfringo*: abjicio.

(*d*) Qui *in petroſis latibulis commorari ſolet*.

(*e*) Per onomatopœiam, hoc eſt *nominis fictionem*.

(*f*) Per *ſynæreſim*, vel *contractionem*.

(*g*) *Sobrius*, *prudens*.

(*h*) *Vicinus*: *artifex*.

(*i*) Hoc eſt *ſapere*, *aut ſobrium eſſe*.

honeſtum : unde & ſub Luciani nomine dialogum habemus (*a*) περὶ τοῦ καλοῦ. Cicero ad Atticum : *O hominem amentem , & miſerum , qui ne umbram quidem unquam* (*b*) τοῦ καλοῦ *viderit* . De hujus vocabuli derivatione ſic ait Euſtathius: καλὸς, παρὰ τοῦ καίζω, τοῦ κοσμῶ, (*c*) ἢ παρὰ τοῦ καλῶ, διὰ τὸ καλεῖν πρὸς ἑαυτὸν ἕκαστον, ὡς τὸ ἀγαθὸν, ἐφ' ὃ ἄγαν θέωμεν, & magnus Baſilius in Pſalmi 44. commentariis (*d*): κάλλος ἐστὶ τὸ ἐν τῇ συνθέσει τῶν μελῶν εὐάρμοστον ἐπανθοῦσαν αὐτῷ τὴν χάριν ἔχων. Proclus vero Lycius in commentariis in Platonis Alcibiadem qui & ipſe περὶ τοῦ καλοῦ inſcribitur , dici vult τὸ καλὸν ἀπὸ τοῦ κηλεῖν, quod eſt demulcere , icciirco quod nihil efficacius ſit ad demulcendum quam pulcritudo : porro (*e*) Καλὸς duplicis (*f*) λ. diverſa etiam inclinatione (*g*) συμμετρίαν τῶν ὁμοιομερῶν ἐν ἡμῖν δηλοῖ, ut Suidas ait . Prius illud epitheton eſt , hoc autem pulcritudinem ipſam notat , utrumque autem ſcilicet καλὸς & κάλλος unico carmine Homerus expreſſit in Ἐ Ὀδυσσείας , (*h*) κάλλει μὲν οἱ πρῶτα πρόσωπα τε καλὰ κάθηρεν. De creopoli , & creopolio nihil eſt quod mireris , & ſi enim naſcuntur a verbo (*i*) πωλῶ quod utrinque habet ω magnum , ipſum tamen tam in verbis , quam in nominibus compoſitis contrahit prius ω magnum in parvum (*k*) ὀνειροπολῶ, ὀνειροπόλος, quæ, authore Herodiano : (*l*) Ἀπὸ τοῦ πωλῶ derivantur (*m*), προπόλος , ἀμφίπολος , θυηπόλος , quare & (*n*) κρεώπολος erit, & κρεωπόλιον. Recte præterea ſentis multa ex græcis ſumpta , latinos immutaſſe : idem enim tecum ſenſere Quintilianus , & Priſcianus , cujuſmodi ſunt (*o*) λάκκος & γράββατον: ex altero enim κ , ex altero β detriverunt . Quid autem de Polluce , & Hercule dicemus , quæ pene integra

(*a*) De Honeſto.

(*b*) Honeſti.

(*c*) Κάζω autem & κοσμῶ ornare ſignificant : καλῶ vero arceſſere . Sequentia ſic verte : eo quod ad ſe ſe unumquemque arceſſat , vel alliciat : ſicut bonum græce dicitur τὸ ἀγαθὸν , ἐφ' ὃ ἄγαν θέωμεν : hoc eſt in quod nimis intuemur.

(*d*) Pulcritudo illud eſt quod membrorum compoſitione aptum efflorescentem in ſe gratiam habet.

(*e*) Pulcer.

(*f*) Et Pulcritudo.

(*g*) Proportionem ſimilium membrorum in nobis ſignificat.

(*h*) Lib. 18. Verſ. 191. Ad verbum: Pulcritudine quidem ei primum vultuſque pulcros purificavit divina , Ἀμβροσίῳ. Hic κάλλος fingitur ὡς θεῖόν τι ὑγρὸν quo lavari , & inungi quis poſſit : unde quidam interpretes verterunt = onguento ei pulcros vultus purgavit immortali. Eſt ſermo de Penelope , cui poſtquam paulum interdiu redormiviſſet , facies ſucci plenior , & vividior facta fuit.

(*i*) Vendo.

(*k*) In ſomniorum interpretatione verſari : ſomniorum interpres.

(*l*) Quod eſt vertere , verſare.

(*m*) Miniſter , Famulus , Ancilla , Sacrificus.

(*n*) Ita ad mentem auctoris dicitur græce , quem Latini lanium , ſive lanionem appellant , ſed quam id verum ſit , neſcio. Ego potius Κρεωπώλης dicerem per ω magnum , ſicut & φαρμακοπώλης *Pharmacopola* , & προπώλης , negociator, & ſicut Κρεωπώλιον ; non enim a πολέω verſor , quemadmodum alia , quibus auctor contendit firmare ſententiam ſuam , trahunt originem , ſed a πωλῶ *vendo* : Conſule Lexic. Scapulæ , aut Theſ. Henr. Steph.

(*o*) Lacus, Grabatum , ſive Lectulus.

tegra ſunt immutata, cum ſint apud græcos ἡράκλεης, πολυδεύκης. Nam crepidam, etſi græce eſt κρηπὶς, ſunt tamen qui a crepando dictam velint, moti ſcilicet primæ ſyllabæ quantitate. De Chiragra vero, neceſſe eſt fateri Syſtolen a latinis fieri, quotieſcunque contrahitur vel ex diphthongo ει. priorem literam detrahi. Horatius:

Poſtquam lapidoſa Chiragra fregerat articulos.

Eadem enim ratione conſueverunt poetæ græci, & præcipue dorica utentes dialecto poſteriorem litteram ex ea diphthongo detrahere (*a*) χερὸς & χερὶ dicentes. Pindarus in Olympiis (*b*) ὐ χθόνα τεράσσοντες ἐν χερὶ ἀλκᾷ. Rurſuſque (*c*) ἀφθονεστερόντι χερί: Theocritus in Cyclope (*d*) καὶ τὰν χέρα τεῦ ἐφίλασα. De Catomide, quod ſcribis lectionem apud Spartianum a Beroaldo in Commentariis Apuleji immutaram, ubi decoctores non catomidari ſed catonudari legit; id quidem mihi non ſatis probatur, cum quod nihil neceſſe ſit lectionem immutari, tum etiam, quod ſi immutari deberet, ſcimus ex Fabio ejuſmodi ſemigræca vocabula derideri ſolere. Quare quid mihi ſuccurrat, ad te ſcribam. Legi Romæ in Bibliotheca Vaticana Lexicon incerti authoris, in quo ſic eſt aſcriptum: Catomides cardi ferrei, vel virgæ nodoſæ. Videtur vero, & ipſe Beroaldus librum illum legiſſe, cum apud eundem Apulejum verbum *diribere* exponeret. Ajunt præterea hi, qui Martyrum hiſtorias ſcribunt, Vitum adoleſcentem Catomidibus cæſum. Quare fieri poteſt, ut quo modo ab humero fit (*e*) ἐπωμὶς, in Sacris literis celebratiſſimum veſtis genus, ſic quia præcipue humeri cæderentur ut eadem deductione κατωμίδες appellatæ ſint, & inde verbum κατωμιδεῖν. Intelligemuſque apud Spartianum decoctores illos publice theatro virgis cæſos fuiſſe. Dici quoque poteſt aliquando contumeliæ genere affectos, quo ea tempeſtate qui decoxiſſent, conſueſſent affici, dicique Catamidiari a verbo καταμειδιᾶν, quod deridere, & contemptui habere ſignificat. Eſt enim μειδιᾶν ridere, & Epitheton apud Homerum frequens μειδιόωσα. φ. Iliados (*f*) αὐτοῖσι δ' ἄρ ἔθεινε παρ' οὔατα μειδιόωσα. Veneris epitheton φιλομειδὴς. (*g*) γ. Iliados (*h*) δίφρον ἐλῶσα φιλομειδὴς ἀφροδίτη. Habet vero hæc præpoſitio κατὰ quoties contingit eam componi, vim ejuſmodi ut ferme id deſtruat, cui connectitur (*i*) γελᾶν, καταγελᾶν, φρονεῖν, καταφρονεῖν. Neſcio præterea quid in mentem venerit ei,

de

(*a*) Manus, Manui. At hæc inepte verteris.

(*b*) Vera tamen lectio eſt: ὐ χθόνα ταράσσοντες ἀλκᾷ χερῶν. Non terram turbantes robore manuum. Conſule Pindarum. Od. 2. Olymp. V. 6. ſtroph. 4.

(*c*) *Largioremque manum.*

(*d*) *Et manum tuam oſculatus ſum.*

(*e*) Superhumerale.

(*f*) Ipſiſque *percuſſit ad aures ridens.* Cumque ipſis aures vultu ridente flagellat. Vel atque ipſis circumridendo perculit aures. Conſule Homerum.

(*g*) *Amans riſus.*

(*h*) *Currum conſcendens riſibus apta Venus.*

(*i*) *Ridere*, deridere, proſpicere, deſpicere.

Digitized by Google

de quo ad me ſcribis, dubitare prophetæ nomen græcumne eſſet, an hebræum, cum nihil manifeſtius ſit quam (*a*) ἀπὸ τοῦ προφᾶναι, προφήτης ſic dici, ut (*b*) ἀπὸ τοῦ ὑποφᾶναι, ὑποφήτης. Utunturque eo vocabulo celeberrimi Græcorum authores. Pindarus in Nemeis de Tireſia loquens: (*c*) Διὸς ὑψίστου προφήταν ἔξοχον appellat. Lucianus in Alexandri, & Diogenis Dialogo (*d*) οὐδὲ ὑγιὲς οὔ τε ἡ μήτηρ, οὔτε οἱ τοῦ Ἀμμωνίου προφῆται ἔλεγον. Quin & fœmininum genus ab eo fit. Dicuntur enim (*e*) προφήτιδες. Euripides in Jone (*f*) προφῆτις εἰσβάνουσα μαντεῖον θεοῦ. Quin & Latini eo vocabulo præter Sacros Scriptores uſi ſunt. Sex. Pomp. *Prophetas*, inquit, in Adraſto Livius nominat Antiſtites Phanorum, Oraculorumque Interpretes. Quod vero ad cætera attinet, volumen parvum, in quod multa ex græco Lexico conjeciſti, percurri totum; nihilque inveni, quare mihi dubitandum eſſet, niſi forte aliquid ſubterfugit: legi tamen in eo pleraque quæ ut opinor, nollent Latine, ut Græce dici conſueverunt, pronunciari. Si enim τύπτομαι Typtome dicamus, erit penitus latinis auribus, non modo inſolens, ſed etiam abſonum. Accedit quod diphthongus illa *ai* non ſemper apud Græcos longa eſt, quemadmodum apud nos *ae*, quotieſcumque enim in nominibus, verbiſque dictionem terminat, toties brevis eſt, præterquam in modo illo, quem ipſi (*g*) εὐκτικὸν vocant. Etſi videri poteſt Virgilius græcum morem ſecutus, cum dixit, *Inſulæ Jonio in magno*; illud tamen dici ſolet aliis de cauſis factum eiſe. Quæſiſti præterea ſit ne aliquis author græcus, qui de Syllabis ſcripſerit. Extant certe, quidem multi; Apollonius cognomento (*h*) δύσκολος ejuſque filius Herodianus: Junior item Apollonius, Epheſtion, Maximus Planudes monachus, Theodorus Theſſalonicenſis, & complures alii; quod tamen in latinam linguam converſum ſit, nihil aliud vidi, ut tu de Conſtantino ſcribis, quem tamen non Aldus, ut videris opinari, ſed Joannes Craſtonus, vir græce & latine doctiſſimus Romane docuit loqui. Præterea, etſi Opus hoc tuum de Syllabis iccirco ſcripſiſti, ut ſimpliciores fratres (ſic enim ais) eo potiſſimum utantur, nollem tamen ſcriptum aliquod a noſtri Ordinis hominibus prodire, quod non ut minus eruditis utile, ſic etiam eruditiſſimis eſſet probatum, quorum ratio in primis habenda eſt. Quare certamina illa, quæ tibi ſumis cum authoribus poſtremæ notæ, ſupervacua mihi penitus eſſe videntur. Nam & eruditi ad eos evolvendos nunquam, ut opinor, ſunt acceſſuri, & qui eru-

(*a*) Quod eſt præmonſtrare, prænunciare. *Prophetam; Vatem.*

(*b*) Quod eſt declarare. Nuncium, Miniſtrum vatis.

(*c*) *Jovis altiſſimi Vatem eximium.*

(*d*) *Nihil ſanctum neque Mater, neque Jovis Ammonis Vates extiterant.*

(*e*) Hæ Vates.

(*f*) *Vates ingreſſa Oraculum Dei*, vel Numinis.

(*g*) Optativum.

(*h*) Dyſcolus, difficilis, moroſus; ſed homini cognomen retineri debet.

eruditionis cupidi ſunt, ab illorum lectione mihi penitus abſterrendi eſſe videntur. Quare, ſi eos ſilentio præterieris, fiet hoc pacto, ut volumen illud immenſum, quod ad me miſiſti, amputato inutilium illarum contentionum faſtidio, ejuſmodi ſit, ut a ſe legendo neminem ſua prolixitate deterreat. Scriberem qui authores ſunt, quos a te omitti vellem, niſi & mihi perſuaſum eſſet, te facile id conjectura aſſecuturum, & jam tales eſſent, ut vel nuda tantum ipſorum nomina, barbarum neſcio quid in Epiſtola noſtra ſonitura eſſent. Hæc ſunt, mi Georgi, ea, in quibus nos repueraſcere coegiſti, indigna fortaſſe & ætate tua, & ſtudiis noſtris: ſed parendum fuit & ejus juſſis, qui ad me litteras tuas detulit, & modeſtiſſimæ petitioni tuæ. Imminebat certe utrinque periculum, ne mihi nota arrogantiæ inureretur, vel ſi ſcripſiſſem, vel ſi conticuiſſem, tunc enim te docere velle, hic te ſpernere videri poteram: at utrunque certe tam nequeo, quam nolo. Malui igitur ſcribendo in id crimen incurrere, quod humaniſſima Epiſtola tua diluere mihi poſſe videbar, quam tacendo in ſuſpicionem venire parum habitæ a me rationis, vel ætatis, vel humanitatis tuæ. Non enim fortaſſe deeſſent, qui opinarentur, me non tam neſcire, quam noluiſſe ad ea quæ quæſieras reſpondere. Quorum quidem ita mihi diſpliciturum fuerat judicium, ut tamen deſideraturus fuerim, non omnino falſa eſſe, quæ de me falſo opinarentur: Vale.

EPISTOLA XIII.

BENEDICTO THEOCRENO

GREG. S. (*a*)

ARGUMENTUM.

Theocreni judicium plus æquo ſibi favens, & immeritum contendit Gregorius, qui tamen ex illo ſe aſſecutum gaudet, quod in amicitiam irrepſerit viri numeris omnibus probatiſſimi, & prudentiſſimorum virorum teſtimonio, & auctoritate commendati.

NIſi me humanitas, officiumque coegiſſent, melius omnino modeſtiæ rationem habere potuiſſem, ſi nullas ad te dediſſem litteras. Tuæ nam-

(*a*) Intimum fuiſſe Theocrenum Gregorio ex conſequentibus apparet. Erat is patria Januenſis, & alterius Benedicti conſanguineus, qui res a Genuenſibus geſtas deſcripſit: Doctrinæ fama jam conſpicuus in Gallias perrexit, Regique Franciſco I. innotuit. Huic Benedicto renunciato primum Abbati Fontis Frigidi in Narbonenſi diœceſi,

namque & ſi amiciſſime ſcriptæ, ingenium facundiamque tuam ſummopere declarabant, me tamen tam multiplici laude onerabant, ut fere etiam tui ſimiles, & jure laudatiſſimi, magis vim amoris in eo, qui ſcripſerit, excuſare, quam ejuſmodi præconium recognoſcere potuerint. Quare non aliter cauſam hanc explicari poſſe exiſtimavi, quam ut vel tacitus locum hunc præterirem, vel quamlibet elaborata epiſtola, quantum de me deciperere locupletiſſimum afferrem teſtimonium. Tu igitur videris quid de me ſentias, viderit Saulius noſter, quantum in hac ſententia peccet, viderit denique Longolius, etſi eſt omnium (*a*) πάνυ διδασκαλικώτερος quam inconſulto in hoc judicium venerit. Ego certe ſatis habebo, ſi vel hac ratione in amicitiam tuam irrepſero, quem (*b*) οὐκ ἀνθρωπίσκον, οὐ τ' ἄμουσον, ut inquis (*c*) ἀλλὰ τὸν περιφανῆ ἄνδρα, καὶ πολυμαθέστατον, non ego tantum, ſed doctiſſimi quique te & diligunt, & obſervant. Quod niſi fidem de te mihi feciſſent elegantiſſimæ illæ tuæ litteræ, vere ex divino fonte manantes, ſatis declarare poterat, quali eſſes ingenio, quantaque doctrina, quod unus electus ſis a Fulgoſiis principibus, qui illis aſſidue hæreas, quorum id eſt judicium, ea prudentia, ut cum omnibus abſque controverſia ſplendore, & animi magnitudine præſtent, magis tamen in eo ſunt admirabiles, quod hi prudentiſſimi judicantur, qui illorum prudentiam, non dico aſſequi, ſed quanta ſit intelligere poſſunt. Quod cum ita ſit, nemo eſt qui ambigat, nihil illis probari poſſe, quod non idem in ſuo genere ſit omnium probatiſſimum. Tantum igitur abeſt, ut vel abſens, vel præſens aliquid a me diſcere poſſis, ut præclare etiam mecum agi putem, quod me in amicorum tuorum numerum aſcribere non gravaris: niſi forte juxta ſenſum Græci Proverbii mihi volueris eſſe diſcipulus (*d*) πολλοὶ γὰρ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων. Poſthac certe ita tibi perſuadeas velim, multos eſſe qui virtutes tuas etſi cupiant æmulari, aſſequi tamen poſſe diffidant; innumeros qui tantum admirentur. Me ſane unum eſſe, qui cum illarum luce perſtringar, amorem erga me tuum omni humanæ felicitati anteponam. Illud modo ſupereſt, ut mutuis & officiis, & litteris inſtitutam amicitiam

ceſi, poſtmodum Abbati Nantevilenſi in diœceſi Pictavienſi idem Franciſcus Rex inſtitutionem Filii, Aurelianenſis Ducis, qui poſtea Henricus II. commiſit. Anno 1533., vel 1534. abdicante Renato Bellajo Epiſcopatum Graſſenſem obtinuit. Aventone obiit poſtridie Id. Octobris anni 1536. Paulo ante quam ſupremum diem obiret, publici juris fecit carmina quædam, quæ admodum adoleſcens exaraverat. Ejus potiſſimum opera, & precibus Juris Conſultus Carolus de Moulin ſcripto aſſeruit legitimum Galliæ Regum jus in urbem Nicænam, & Epiſcoporum Graſſenſium in eamdem auctoritatem.

(*a*) Omnium *longe* doctiſſimus.

(*b*) Quem nec homuncionem, nec inelegantem. Ἄμουσος, proprie *muſarum expers*, muſis inviſus.

(*c*) Sed conſpicuum virum, & eruditiſſimum. πολυμαθέστατος, *multarum rerum ſcientiſſimus*.

(*d*) *Multi*, quippe, *Diſcipuli præſtantiores ſunt Magiſtris*.

Digitized by Google

tiam excolamus . Si quid igitur in re tua deinceps accidet, ut quippiam a me tibi gratum proficiſci poſſit , id de me tibi licet polliceare , quod de homine a teneris (ut græci dicunt) unguiculis , tibi conjunctiſſimo. Vale.

EPISTOLA XIV.

JULIANO MONACHO

GREG. S.

ARGUMENTUM.

Laudibus non admodum ſinceris ſuas commendaſſe litteras Gregorium ſuperiori Epiſtola IV. ſuſpicatus eſt Julianus. Suſpicionem removet Gregorius , qui fatetur in Juliano non tam laudaſſe ſe , quod eſt aſſecutus, quam ſtudium voluntatemque proficiendi. Hortatur denuo, ut bene cœpta melius procedant , & ut impedimenta tollantur , quæcumque poſſent curſum retardare .

QUam verum fuit priores tuas litteras candidas , & elegantes fuiſſe , tam mirum nuper mihi viſum eſt , animum tuum vel leviſſima ſuſpicione ob laudationem noſtram potuiſse pulſari . Quid enim longius abeſſe debet a noſtro erga te amore , quam conſilium , & voluntas adulandi ? Eſset namque plane nequam hominis , atque adeo in rebus maximis ſponte peccantis , ſi verbis noſtris in id vitium inducerere , quo nec majus quidem excogitari poſse videtur , ut tui ſcilicet ipſius ignoratione decipereris . Veriſſime igitur tantopere prius ingenium tuum laudavi , quantopere nunc quoque , moderationem admiror , qui admonitus etiam , & ab eo potiſſimum , qui ita te amat , ut non poſſit decipere , te ita diligenter obſervat , ut nequeat decipi , nec hac quidem ratione germina virtutis quæ in te ſunt , poſſis recognoſcere . Sed ne omnino tibi imprudens blandiare , nequaquam te ignorare volo , me , non tam id quod hactenus aſsecutus es , quam ſtudium , & voluntatem tuam ſummis laudibus celebraſse . Illæ nempe virtutes fuerunt , quæ maximam in me expectationem concitarunt fore , ut facile partem aliquam aſsequaris , ejus , quod in animum induxiſti , ut conſequerere . Totum enim ipſum adeo magnum eſt , & pene dixerim infinitum , ut cum in eo omnem ætatem conſumpſeris , mirifico etiam progreſsu , longe tamen plura ſuperſutura ſint , quam quæ fueris aſsecutus . Nec id ſane dixi quo tardare velim ſtudia tua , aut rei difficultate deterrere : ſed ut facilius

co-

cognoſcas quantopere tibi ſit elaborandum, in eo, quod incredibili etiam labore partum, omnes labores ſui dignitate compenſabit: ſatis enim magna merces eſt, pro maximis etiam laboribus, quantulacunque pars veræ virtutis acquiſitæ (*a*) *ὁ γὰρ πλάτων τοὺς τῆς ἀρετῆς κλῶνας, ἱδρῶτι καὶ πόνοις ἔλεγε φύεσθαι*. Omnis vero humanarum rerum cura, omnis ſupervacua ſollicitudo, longiſſime ab animo tuo debet abeſse: divinæ ſiquidem ſapientiæ amor, adeo tener eſt, & ut ita dicam ſuſpicioſus, ut quemvis alium amorem, non rivalem tantum, ſed nec ſocium pati queat. Quid enim ſocium patiatur, qui nihil præter ſapientiam non conſueverit, ut Paulus ait, (*b*) *ὥσπερ σκύβαλα* parviſacere? Qua, inquam, ratione eorum quæ in terris ſunt, amicitiam non ſpernat, qui non modo terrena omnia, animi ſui magnitudine inſeriora eſse arbitratur, ſed & terram ipſam inſtar puncti habere intellexerit? Qui fieri poteſt, ut hominum honores non rideat, qui mentem habeat peritus humana deſpicientem? Jam vero minima illa etiam pudet attingere, a quibus animum tuum omnino alienum eſse puto, & quæ viliora, tantum, ut ita dicam, ingenia apud nos torquere conſueverunt a quibus etiam tantopere te aliquando a me deterritum ſuiſse recordor, ut nulla ratione fieri poſse dixerim, ut & ſtudiis, & his quæ in cœnobiis quotidie accidere conſueverunt, animum poſses intendere. Enimvero dum imprudens tecum mihi loqui viderer, fecit error ipſe Epiſtolam loquaciorem. Cæterum quod te adeo vehementi noſtri deſiderio teneri ſcribis; ſcias velim, præclare a me rationem initam eſse, quo iſti tuo deſiderio poſſis ſatisfacere. Qua de re, tecum verbis meis loquetur Lerinenſis Præſul. Vale.

(*a*) *Etenim Plato, virtutis germina ſudore, ac laboribus* procreari, *dicebat.*

(*b*) *Tamquam ſtercora.*

EPI-

EPISTOLA XV. (*a*)

GULIELMO LANGIÆO

Regis Franciæ a ſecretis.

G R E G. S.

ARGUMENTUM.

A Langiæo enixe petit, ut qua pollet gratia apud Regem bonarum artium adjutorem amantiſſimum, ea utatur, ut qui ad Regem mittitur pro liberalibus ſtudiis in Lerinenſi Cœnobio conſtituendis, ejuſdem Regis favorem obtineat, & quæ præclaro fini futura ſint opportuniora.

CUM jam reverſionem tuam ex Africa expectaremus, teque de rebus illis & eloquenter, & copioſe narrantem ſperarem nos propediem audituros eſſe, repente nobis renunciatum eſt, te adhuc Ticini apud Regem commorari: Id vero, etſi etiam quod ad cætera attinet, honeſtis gravibuſque de cauſis accidiſſe non dubito, ea tamen potiſſimum ratione ſupra quam dici poteſt, nobis jucundum extitit, quod cum nunc demum ſtatuerim certum hominem ad Regem mittere pro liberalibus ſtudiis in hoc cœnobio conſtituendis, video te non modo mirificum adjutorem, ſed ut Græcorum proverbium eſt (*b*) *πρώραν καὶ πρύμναν* nobis in hoc negotio divinitus præſtitum eſſe. Non enim memoria exciderunt amiciſſimæ illæ pollicitationes, quas te cumulatiſſimis officiis præclare ſuperatum eſſe non dubito. Perſuaſere hoc nempe mihi humaniſſimi illi mores tui, & cum incredibili eruditione conjunctus amor amplificandi honeſtiſſima ſtudia. Qua in re, etſi fieri poteſt ut quamplurimæ opportunitates tibi ſe in poſterum offerant, tantum tamen & huic Inſulæ

& in-

(*a*) Data fortaſſe eſt hæc Epiſtola anno 1516., quo jam Franciſcus I. Galliarum Rex Ticinum occupaverat, anno altero ab adventu Gregorii Lerinam; Lerinam enim venit Gregorius anno 1515., cum primum a Graſſenſi Epiſcopo traditum fuit Monaſterium Caſſinatibus. Gullielmus Bellajus Langiæus, vir antiqua nobilitate, virtute bellica, prudentia, doctrinaque inſignis, Martini Normandiæ Progubernatoris, qui Franciſci I. res geſtas ornate conſcripſit, & Joannis Bellaj Cardinalis, & Archiepiſcopi Pariſienſis Frater. In Hiſpania, Italia, Anglia, Germania ejus dexteritati difficillima negotia ab anno 1525. ad annum uſque 1542. commiſſa ſunt. Taurinenſi provinciæ Præfectus, maximiſque honoribus auctus V. Id. Januarii 1543. inter Lugdunum, & Rhotomagum obiit.

(*b*) *Proram, & Puppim.*

& inceptis, ac deſiderio noſtro a me tribuitur, ut nullam putem accidere poſſe, quæ longo intervallo huic, quæ propemodum in manibus eſt, comparari poſſit: juſſus eſt igitur is qui pro hac re conſtituenda iſtuc proficiſcitur, te primum adire, te duce, te conſiliario, te patrono ſic uti, ut in omnibus ſententiam, voluntatemque tuam ſequatur. Et ſi enim locupletiſſimis teſtimoniis jampridem nobis perſpectum eſt, quantum ob virtutes tuas apud Regem gratia, & authoritate valeas, honeſtas tamen hujus negotii, quod ut mihi perſuaſum eſt, maximo ornamento univerſæ Galliæ in poſterum eſt futurum, facit ut omnia tibi & faciliora, & procliviora futura non dubitem. Ita enim omnes de maximo hoc, ſapientiſſimoque Rege prædicant, ut ad cæteras animi præclaras dotes hanc præcipuam dicant accedere, ut nihil æque deſideret, quam ut bonarum litterarum ſtudia, quæ pene funditus everſa jacent, ejus potiſſimum favore excitentur. Peto igitur abs te maximis precibus, atque adeo vehementer, ut magis ex animo petere non poſſim, uti totum iſtud negotium & ſuſcipias, & conficias. Si enim Regis beneficio mihi contigerit, ut in hac Inſula quiete, & tranquillitate animi frui poſſim, in id potiſſimum omnia ſtudia meaque cogitata directurum me eſſe tibi recipio, ut Regis ipſius præclara admirandaque geſta, per nos ſempiternæ memoriæ commendentur. Nec velim ut arroganter tibi id nos recepiſſe exiſtimes; ſi enim incredibilis amor meus ad tam præclaram, tamque memorabilem materiam acceſſerit, jam prævideo animo in eo opere me & vires, & facultatem meam longo intervallo ſuperaturum eſſe. Vale.

EPISTOLA XVI.

HIERONYMO MONFERRATENSI ABBATI

GREG. S.

ARGUMENTUM.

Sæpius a Hieronymo provocatus, ut de S. Honorato ſcriberet, renuit ſemper & operis difficultate territus, & aliorum exemplo, qui jam antea id egregie præſtiterant. Sedata inſperato, die ejus memoriæ ſacro, cum maxima omnium lætitia, tempeſtas, quæ proxime omnes terruerat diu noctuque, æſtrum tandem permovit, quo concitus ſcripſit Sapphicum, quod a Hieronymo petit emendari.

CUM me poſteaquam in hanc Inſulam venimus, ſæpius hortatus eſſes, ut aliquid de Divi Honorati moribus, & vita ſcriberem, eo

genere carminis, quo nos plurimum (*a*) ἐν τῇ συνάξει utimur, id ego diutius ſacere renui. Non quod neſcirem & ritu, & legibus noſtris non poſſe quippiam a me tibi denegari, & amori præterea tuo tantum a me tribui debere, quantum nec recipere modeſtiæ, nec præſtare facultatis noſtræ videri poſſet. Fecit tamen rei magnitudo, conjuncta diuturna deſuetudine noſtra ad id genus ſcribendi, ut diutius ad eam rem animum non adjecerim. Sciebam præterea, quantæ eloquentiæ laudatores Honorato contigiſsent, poſt quos verba me facere velle, omnes homines non mediocri impudentiæ aſſignaturos exiſtimabam. Accedebant Viri præclariſſimi admirabilia geſta, quæ cum mihi æque admirabilem ſcriptorem poſtulare viderentur, omnes etiam illos eruditiſſimos, qui illi contigerant inferiores ejus meritis eſſe non dubitabam. Cumque inter hæc dubius animi multo tempore pependiſſem, advenit tandem dies, quæ diem Honorati memoriæ dedicatam præcedit, ea vero eſt XVIII. Cal. Februarii, quo ſcilicet anni tempore acrius hiems ſævire conſuevit, nec tum quidem juris ſui oblita, adeo horribili tempeſtate cœlum, mareque agitare cœpit, ut proſpectus tantum ex terra nobis eſſet formidabilis, ſævire venti, imbres ruere, fluctus ad cœlum uſque ſuſtolli, ſequi denique omnia terribiliora, ut poetica Satyrici tempeſtas nobis eſſe videretur. Dolebamus omnes vehementer, quod mirifica illa lætitia nos carituros eſſe opinaremur, quam ex frequentia eorum, qui vota ſoluturi, acturique gratias ad Inſulam eo potiſſimum die veniunt, percipere conſueveramus. Nox ſupervenit, magis magiſque intumeſcit mare, ſæviunt venti, vis imbrium conduplicatur. In noctis medio de more ex ſtratis ſurgimus, nocturnas Deo laudes, ipſique Honorato cantaturi. Hic vero bone Deus; quis fragor tonitruum, quis fulgurum impetus aures, oculoſque feriebant. Cum vero jam ut illuceſceret aurora expectaretur, majores ſe tenebræ intendere cœperunt, ut jam nulla ſupereſſet ſpes diem illum ſolita cum lætitia celebrandi. Et ecce tibi in ipſo ſolis ortu vehementiſſimo coro expulſæ nubes, tantam ſerenitatem reliquerunt, ut ſecutus paulo poſt Zephyrus, in media hyeme ver nobis advexiſſe videretur, deinde tranquillitas, atque adeo malacia, uti ne ſentirentur quidem fluctus cum litoribus ludere. Tum vero innumera turba cymbarum undique convenire cœpit, lætiſſimo quodam celeuſmate inſperatam conteſtans lætitiam. Porro qui mutam mæſtamque diem illam nos celebraturos eſſe opinati fueramus, ejuſmodi primum miraculo, deinde populi frequentia excitati, tanta cum animi noſtri lætitia rite Sacris operam dedimus, ut nullus omnino hominum fuerit, qui præter pompam, & reliquum apparatum, ejuſmodi celebritatem in ea Inſula ſe aliquando vidiſ-

(*a*) *In ſacro cætu*. Melius: inter *divinum officium*, quod ab antiquis dicebatur *ſynaxis ſacra*.

vidiſſe conteſtaretur. Tunc ego quoque veluti divino quodam inſtinctu afflatus, mihi ipſi imperare nequivi, quin confeſtim in hymnos, carminaque prorumperem. Itaque hac potiſſimum ratione quod ipſemet a me dudum impetrare nequiveram, id ab invito expreſſit Honoratus. Et ſi ita me invitum confiteor, quicquid id eſt operis perfeciſſe, ut tamen in poſterum nec pigere, nec pœnitere me poſſit. Quod in præſentia ad te mitto, ut ſi quid in eo a me peccatum eſt, quod quidem accidiſſe non dubito, id omne tuo judicio emendetur. Vale.

Idem de S. Honorati laudibus, cujus initium. Unde reſplendet &c. *Vide in prima Parte ſub numero IV.*

EPISTOLA XVII.

PAMPHILUS SAXUS

GREGORIO S. (*a*)

ARGUMENTUM.

S. Geminiani vitam ſe ſcripſiſſe ait Pamphilus, ut ejus maximis, & innumeris in patriam Mutinam beneficiis grates aliquo modo redderet. Tum edicit, quantum debeat Gregorio Lerina, quæ & lucem, & animam hauſit ex illo. Hortatur tandem Gregorium, ut curam habeat valetudinis, cui cenſet profuturos maxime Aquarianos (*b*) *latices.*

Vitam Divi Geminiani hinc ad me dato, quam ego compoſui, non, ut dictis facta ejus æquarem. Non ſum enim tam amens, ut, quæ mente non concipio, verbis explicare contendam, ſed ut quas poſſum, quando quas vellem non poſſum, gratias illi agerem. Nullum enim tam largum flumen ingenii eſt, tam ingens copia dicendi, quæ beneficia ejus in nos collata, oratione complecti poſſit. Quare tam amplum eſt, quod illi debemus, ut nihil amplius ſit. Debemus enim aras,

(*a*) Pamphilus Saxus nobilis Mutinenſis tam Italica, quam Latina Poeſi adeo excelluit, ut merito connumerari poſſit inter inſigniores poetas, qui Mutina aliquando proderint. Extemporanea præſertim carmina mirifice fundere familiare ita illi fuit, ut hoc nomine ſummis eum laudibus celebrent Giraldus, Baptiſta Mantuanus, Areoſtus. Quotidie per unius horæ ſpatium Dantem; Petrarcam, vel alium hujuſmodi auctorem domi ſuæ interpretabatur, eique ſemper plerique aderant auditores, qui ejus præceptis imbui contendebant.

(*b*) Aquariani latices ſaluberrimi in Montibus ditionis Mutinenſis.

aras, focos; arcem, corpora ſimul, & animas. Quoties devaſtati agri, depopulatæ fruges, direptæ fortunæ, & everſa nobis mœnia fuiſſent? Quoties atrati in ſquallore, & luctu omnes fuiſſemus? Ita me dii ament, ut non modo urbs noſtra non extaret, ſed nec urbis veſtigia viderentur. Quamobrem ſtudioſi omnes, & præſertim hi qui litteris mitioribus (ut tu) politi ſunt, jure tenentur Deo huic noſtro tutelari maximum honorem, qui propter maxima merita cuipiam debetur, exhibere, hoc eſt, laudes cumulatiſſimas, cærimonias, & cultum præſtare. Sed de his ſatis. Lerinam tuam ad te mitto, cur enim tuam non appellaverim, quam tu, non ex putri ſemine, ſed ſincero, & incorrupto genuiſti, quam novus Juppiter excuſſo capite, ſine matre procreaſti? protuliſtique fœtum, qui nulla vi nulla injuria frangi debilitarive poteſt. Eduxiſti illam ex tenebris in lucem, ex caligine in ſplendorem, ex nocte in diem. Igitur genuiſti. Noſtin' argumentationem? Verum te parentem probavi, quando nihil aliud eſt gignere quempiam, quam illi lucem, ideſt animam dare. Sed tu illuſtraſti eam, pateſeciſti, in lumen, in nitorem dediſti, quæ in occulto latebat. Hæc anima, hæc vita eſt. Quæ nec deleri tempore, nec morbo, aut ſenectute corrumpi poteſt: quando illam memoria alit ſuo nectare, & æternitas paſcit ambroſia. O quam magna, & alta de te percipio, ſi vixeris! Sed vives ſi valetudinem curaveris, intermiſeris ſtudia, relaxaveris animum, & in te aliquando deſcenderis, & ad ſenſus redieris, roremque cœleſtem illum biberis, quem ego ſoleo Deum parentemque ſalutis noſtræ non immerito appellare. Quoniam ſine horrore remedia, ſine tormento curas, imminutam denique nobis ſanitatem gratis etiam offert. De Aquariano latice intelligo, in quo procul dubio incolumitas tua, & ſalus ſitæ ſunt. Cura igitur qua majore potes diligentia, ut qui ſemper ſanctiſſime vixiſti, firmiter aliquando, & proſperere vivas. Nec mireris ſi ſemel atque iterum de curatione valetudinis tuæ te admoneo, tua enim cautio, mea cautio eſt, & in tua vita, noſtra conſiſtit anima. Vale.

EPI-

EPISTOLA XVIII.

PAMPHILO SAXO MUTINENSI

GREG. S.

ARGUMENTUM.

Aptius pro dignitate ſcripſiſſe Pamphilum de Geminiano, quam de Lerina Gregorium, qui jam Aquarianos latices experiri non renuit, & quidquid juvare poſſit corporis firmitatem; cum cæterum infirma valetudo adeo incommoda ſit, ut curam ejus omnem abjiceret, niſi contrarie ſuaderent amicorum curæ, & anxietas.

SI tantum mihi deberet Lerina mea, quantum tibi Geminianus noſter atque eo nomine cives tui, non recuſarem, quin me & datorem lucis, & parentem appellares. Video vero laudationem meam tantum ab ejus loci pulcritudine ſuperari, quantum tu ad Geminiani majeſtatem ingenio, & eloquentia proxime accedis. Nam ut verum fatear, cum ſuperi omnes & pie, & caſte venerandi ſint, ſacriſque, & cerimoniis propitiandi, præcipua tamen quadam ratione a communi patria honoribus, quam maximi excogitari poſſunt numen hoc tutelare noſtrum afficiendum eſſe videtur. Nec ea tantum de cauſa quod civis noſter, quod Pontifex fuit, ſunt hæc certe maxima, ſed longe illa majora quæ tu & copioſe, & eleganter enumeraſti. In quibus mihi viſus es, cum admirandis ejus viri meritis, amplitudine, & magnificentia orationis velle contendere. Cæterum quod tantum mihi tribuis, & tantopere de ſalute mea ſollicitus es, magis certe vim quaudam amoris incredibilem in te recognoſco, & iccirco me tibi plurimum debere confiteor, quam in me quippiam tale videam, quale tu de me tibi polliceri videris. Utar tamen & conſilio, & adhortatione tua in Aquariano latice bibendo, omniſque a me adhibebitur diligentia, ut ſi ea res minus ex voto ſucceſſerit, nihil tamen a me prætermiſſum eſſe conqueri poſſis, eorum, quæ ad corporis firmitatem, valetudinemque recuperandam proficere poſſunt. Magis plane ut diutius ſuaviſſima conſuetudine tua cæterorumque amicorum mihi frui liceat, quam ut ſperem quippiam jucundum ex ea re mihi contingere poſſe. Quid enim eſt cur inter aſſiduas ægritudines, totque noſtra, & miniſtrorum incommoda diuturnitas vitæ nobis exoptanda ſit? Niſi fortaſſe ut, quo ea fuerit longior, ſic ego quotidie magis ingraveſcente vi morbi acerbius torquear. Ut omnibus qui me dili-

diligunt miſerabilis magis quam jucundus eſſe poſſim: Veruntamen ſi ſpes aliqua nobis oſtendetur commodius hac ratione vivendi, quando in vita mea animam tuam conſiſtere ſcribis, non committam, ut, & ſi tam anxia cura va...udinis mea cauſa mihi admodum moleſta eſt, humano generi tantum detrimenti afferam, ut aliqua noſtra negligentia maximo vitæ tuæ fructu morte mea privetur. Vale.

EPISTOLA XIX. (*a*)

(*b*) *JACOBO SADOLETO*

Epiſcopo Carpentoratenſi

GREG. S.

ARGUMENTUM.

Inſulæ Lerinenſis incola Gregorius frui ſperat conſuetudine Carpentoratenſis Pontificis Sadoleti, cujus & ingenium, & doctrinam celebrat, & amicitiam expoſtulat. Voti compotem ſe fieri confidit, & ex Graſſenſis ſibi amiciſſimi apud Sadoletum auctoritate, & ex officiis cujuſdam Avenionenſis Archidiaconi, cujus laudes proſequitur.

CUm primum in hanc provinciam veni, vehementer admiratus ſum, nominis tui apud omnes eam eſſe claritatem, ut nihil ſibi omnino ſcire

(*a*) Hæc, & ſubſequens certo pertinet ad Annum 1518., quod utinam potuiſſet æque innoteſcere ſi non pro ſingulis, ſaltem pro majori parte.

(*b*) Jacobus Sadoletus Mutinæ ortum habuit anno 1478. Cum Græce, & latine loqui eleganter didiciſſet ſub patre Jacobo illuſtri Ferrariæ doctore, mirifice in Philoſophiæ ſtudio profecit Nicolao Leoniceno præceptore. Romam petiit, ibique aliquandiu manſit apud Cardinalem Oliverium Carafam. Ibi amicos nactus eſt Federicum Fregoſium, & Petrum Bembum, qui erat Leonis X. a ſecretis. Eximius fuit Orator, Poeta, Philoſophus, Theologus. Pontificis juſſu coactus eſt Carpentoratenſem Cathedram aſcendere, a qua neque gloriæ, neque dignitatum cupidus abhorrebat. Leone X. vita functo ad ſuam ſedem ſe contulit. Jubente Clemente VII. debuit Romam redire, impetrata tamen facultate iterum ad ſuam Eccleſiam redeundi poſt triennium. Hoc revera præſtitit; exinde apud Lugdunum Franciſcum I. convenit, qui eum magno in honore habuit. Anno 1534. ſecutus eſt Paulum III. Nicæam proficiſcentem, qui eum Nuntii dignitate decoratum Regi legavit ad pacem cum Carolo V. ſtabiliendam. Summus Pontifex tandem ob præclara Sadoleti merita eum Cardinalium collegio adſcripſit anno 1536. Jam Cardinalis interfuit colloquio Parmæ habito inter ſummum Pontificem, & Imperatorem. Demum Romam reverſus ibi

ſcire videretur, qui memoriæ lucubrationes tuas non commendaſſet. Nec eo ſane admirabar, quod neſcirem virtutes tuas facile opinionem omnium vincere, ſed quod nequaquam tantum humanitatis judicii, & litterarum in provincialium ingeniis reſidere cognoveram. Cum vero omnia illa prædicatione noſtra longe majora comperiſſem, ſæpius ſtatui de ea re, datis ad te litteris, fundamentum aliquod amicitiæ ponere: Veruntamen, neſcio quo pacto, ſimul atque id cogitaſſem, deterrebat me pudor quidam (ut Cicero inquit) pene ſubruſticus, quod verebar eum, præſertim occupatiſſimum interpellare, in quem nullum non modo officium noſtrum extaret, ſed nec paulo firmius conſtituta intercederet amicitia. Mirifice tamen accidit, ut, dum hæc cogitarem, tu Pontifex Carpentoratenſis crearere. Id vero poſtquam mihi renunciatum eſt, ſtatim in ſpem maximam veni, fore ut aliquando conſuetudine tua frui poſſem. Cum enim ego patriam hac provincia commutarim, tibi etiam honeſtiſſima impoſita ſit neceſſitas ætatem in ea traducendi, videbam me non diutius id fruſtra deſideraturum. Nuper autem cum Graſſenſis noſter ex Syria reverti ſſet, cujus beneficio & otium, & facultas nobis ſuppeditatur in ſtudiis acquieſcendi, eumque tibi intellexiſſem eſſe amiciſſimum, illico has ad te literas dare conſtitui. Accedebat patriæ vinculum, & ſanctiſſimum illud neceſſitudinis genus, quo haud ſcio, an aliud gravius excogitari poſſit, ſtudiorum videlicet ſimilitudo quædam, etſi ea quidem valde diſſimilis; vix enim ſimilitudo dici poteſt, ubi, quamvis in eadem ſtudia incumbamus, incredibilis tamen eſt progreſſus diſtantia. Tibi vero tam facile docti etiam omnes concedunt, ut cum doctorum princeps citra controverſiam judicere, ſummopere omnes gaudeant te potiſſimum ea auctum & gratia, & poteſtate, ut doctis omnibus, quantum ingenio, & doctrina, tantum etiam dignitate præſtes, & eis prodeſſe non minus poſſis, ac velis. Ne tamen aliquid deeſſet ad excitandam voluntatem meam, opportune accidit acceſſus Archidiaconi Avenionenſis (*a*), ad urbem dicam, an ad te? quando is tibi uni tantum tribuit, ut non gravate fuerit ſi iſtinc abeſſes, urbe cariturus: cum vero adſis, pluris urbem quam patriam faciendam eſſe ducit. Cum eo mihi ſumma eſt neceſſitudo, rurſuſque eum tibi plane ſcio eſſe amiciſſimum: quare gaudeo hunc præcipue teſtem accidiſſe quam te colam, & obſervem. At qualem teſtem? qui ſuavitate con-

ibi conſtitit uſque ad obitum, nempe uſque ad annum 1547., ætatis ſeptuageſimum. Qui plura de præclariſſimo hoc Mutinæ ornamento deſiderat, videat Sadoleti vitam ab Antonio Florebello ſcriptam, pereruditis annotationibus auctam a doctiſſimo Vincentio Alexandro Conſtantio, & præmiſſam Romanæ Epiſtolarum Sadoleti editioni, quam nuperrime idem doctiſſimus Conſtantius curavit, & adornavit.

(*a*) Is erat fortaſſe Bartholomæus Caſtellanus, quem egregie in Litteris verſatum eſſe teſtatur Bembus binis datis ad eum Epiſtolis.

congreſſus, morum gravitate, rerum experientia, totius vitæ integritate nemini forte concedat. Jam vero quam ſancte, & diligenter amicitiam colat, tibi etiam credo eſſe perſpectiſſimum. De quo, niſi ad te proficiſceretur, parcius omnino verba facerem; nunc vero, cum non verear ne me abuti ignoratione tua credas, & ne virtus ejus prædicationi meæ non reſpondeat, tibi polliceor te majoris conſilii, gravitatis, modeſtiæ, adde quod caput eſt, erga te benevolentiæ vidiſſe neminem. Nam quantos habeat in liberalibus ſtudiis progreſſus, tu facile præſens poteris judicare. Quanti vero eum faciat Graſſenſis noſter, vel inde poteris cognoſcere, quod cum nihil habeat quo magis amicos demereri poſſit, quam ut tibi illos conciliet, te tamen hujus præ cæteris cupit eſſe amantiſſimum. Supereſt ut quoniam tres tales viri in amicitiam conſpiraſtis, me tam ſuavis, & honeſtæ conjunctionis, quam ſpero apud poſteros fore celebrem, non ſocium, ſed ſpectatorem, & præconem aſcribere ne gravemini: nolim enim, ne ſi concedatur quidem, gratiarum meo interventu turbare congreſſum. Nunc quoniam adventum tuum ad hanc provinciam propediem futurum intellexi, me interim ea ſpe conſolabor, fruarque aſſidue & Graſſenſi noſtro & Lerinenſis Inſulæ ſolitudine amœniſſimæ, in qua mira litterarum, & religionis contentio viget, ut tamen conjunctis animis cum ſquallida barbarorum colluvie continenter bellum gerant, ita græcis, & latinis litteris humanæ, & divinæ philoſophiæ juxta dies noctesque illic incumbunt. Quod cum tibi gratiſſimum, tum etiam ſummo Pontifici, ut eſt virtutum omnium ſupra quam dici poteſt amantiſſimus, jucundiſſimum fore confido. Vale.

EPISTOLA XX.

JACOBUS SADOLETUS,

Epiſcopus Carpentoratenſis

GREG. S.

ARGUMENTUM.

Vicem reddit Sadoletus Gregorio, quem ſummis laudibus exornat. Ejus amicitiam ſibi jucundiſſimam profitetur, quin & conſuetudinem exoptat, quam tamen nunc aſſequi poſſe ſe diffitetur, ſicut & otium, quo maxime delectaretur.

ETſi fidem mihi de te faciebant litteræ tuæ: ſcriptæ enim amice ac pereleganter declarabant ſingulare ingenium tuum, conjunctum pari

erga

Digitized by Google

erga me benevolentia, tamen, poſtquam etiam Archidiaconi Avenionenſis teſtimonium acceſſit, ea de te prædicantis, quæ de optimo viro, & homine doctiſſimo poterant commemorari, non dubitavi, quin tu eſſes non modo mea (id enim non tanti eſt) verum omnium bonorum benevolentia digniſſimus. Ita enim intellexi te, cum ſumma religione, & integritate vitæ, conjuncta habere omnium artium ſtudia optimarum. Nec id tantum quod ab ordine veſtro præſtari, aut expectari ſolitum eſt, poſuiſſe te operam in dialecticis, & phyſicis, aut his etiam quæ pertinent ad Theologiam litteris, ſed hæc omnia latinitatis lumine, hoc eſt, eloquentiæ cultu, ac divitiis inſtituiſſe ornanda, quamquam hujus quidem inſtituti tui, atque judicii egregium teſtimonium litteræ mihi tuæ attulerunt. Sed ego quo rariora hæc in te ornamenta eſſe conſpicor, hoc ſum magis ad te diligendum, tum communi meo in tales viros ſtudio, tum propria erga te voluntate incenſus. Nam & ſanctiſſimum, ut tu rectiſſime perſcribis, accedit patriæ vinculum, & ſtudiorum ſimilitudo, in quibus ego non modo non primas appeto partes, ſed & commode agi mecum arbitror, ſi in maximis occupationibus, quæ & animum meum, & operam diſtrahunt, aliquod retineam veſtigium priſtinæ voluntatis. Omnino ocio nihil beatius optabiliuſque, quod quidem in legendis, aut etiam æmulandis doctiſſimorum virorum monumentis traducatur. Quo poſtea quam ego ſpoliatus ſum, tu qui id optimi, & liberaliſſimi præſulis Graſſenſis noſtri beneficio, ut ſcribis, es aſſecutus, partem tibi beatæ vitæ maximam ab eo eſse collatam debes exiſtimare. In quo ego & tuo, & bonarum artium, ac litterarum nomine habeo illi optime merenti gratiam, libentiſſimeque profiteor, me quoque tali pro munere ei eſse obſtrictum. Ac mihi utinam aliqua aliquando tribuatur occaſio ad vos, & in iſtam provinciam proficiſcendi, ut cum conſuetudine veſtra, tum eo ipſo quod cæteris rebus omnibus antepono, ocio perfrui mihi liceat, in qua una nunc ſpe, & cogitatione acquieſco. Sed quando id niſi ſalvo officio faciendum non eſt, &, ut quidem nunc eſt, non perſpicio quo pacto honeſte me explicare poſſim, quod noſtræ interea eſt poteſtatis, inſtitutam amicitiam noſtram & fide, & benevolentia mutua excolamus. Quo ego in genere, arbitror ſi me de rebus tuis quid vel interſit tua, vel tu maxime optes admonendum duxeris, me tibi ſatis eſse facturum. Vale, & Graſsenſem noſtrum ſalvere a me plurimum jube. Ex urbe pridie Kal. Majas, MDXVIII.

EPISTOLA XXI.

BENEDICTUS THEOCRENUS GREGORIO S.

ARGUMENTUM.

Præclaris tum Longolii, tum Saulii de Gregorio teſtimoniis excitatus, illectus præterea amoris in ſe ſignificationibus Theocrenus dat Gregorio litteras, quibus & ejus laudes peramplas exequitur, & ardorem profitetur alloquendi coram in inſula omnium jam celeberrima, quod quidem perficiet, cum per Patronos licebit.

ETſi quid mihi faciendum eſſet intelligebam, cum Chriſtophorus Longolius juvenis erudiſiſſimus, tanta cum modeſtiæ præfatione ad te ſcriberet: tamen Stephanus Saulius poſtquam tuas ad Longolium, Longoliique rurſus ad ſe litteras mihi legendas dediſſet, tui erga nos amoris, qui nullius in te meriti nobis conſcii ſumus, vehementiam ita expreſſit, ut tam alicujus audaciæ quam ingratitudinis nota labi maluerim. Vide, te quæſo, quanti faciam me ab homine ornatiſſimo amari, qui hac infantia maximam eloquentiam provocare non verear; cenſento ſane me alii temerarium tanquam minimum penſi habeam te ipſo litteris appellando, cui ſummi viri primas deſerunt, ſeque omnem reverentiam ſcribendo prætendentes inſinuant, dum, quantum ob iſtam optimam voluntatem debere me tibi exiſtimem, quovis dicendi genere declarem. Nos quidem præ vobis, hoc eſt, eruditis (*a*) ἀνθρωπίσκοι ſumus, ſed non continuo (*b*) οὕτως ἄμουσοι ut non plurimi æſtimemus, quicunque de litteris bene merentur, in quo tu ordine, quem locum tenere mihi videaris, ſi dicere incipiam, magnopere timeo, ne aliquam me hinc tibi amoris gratiam oblique referre ſuſpiceris, potius quam ita omnino ſentire. Quanquam, quas tibi laudes aperiſſime contribuit Longolius, eæ a cæteris qui te poſt Longolium laudaverint, omnem aſſentationis aleam deprecantur; tam acri eſt ille (ut inter omnes litteratos convenit) judicio. Sed qualiſcunque ego fuerim, miro quodam deſiderio tui adeundi, videndique totus flagrare cœpi, ex quo meus Saulius aſſeveranter teſtatus eſt, ad illa (*c*) τὴν ἐγκυκλοπαιδείαν, quæ tibi, aut uni fortaſſe, aut certe

(*a*) *Homuntiones, homunculi.*
(*b*) Adeo *Muſarum* expertes, *illiterati*.
(*c*) *Omnigenam* ſive *omnimodam doctrinam*.

te omnium conſummatiſſime, hac ætate ineſt, accedere incredibilem quamdam morum ſuavitatem, & candorem, quo nomine, quanto etiam impenſius te diligam, atque obſervem, haud facile dictu exiſtimo. Ut taceam quod ultro amantem non amare, atque complecti (*a*) ἀπανθρώπους, nedum (*b*) ἀπαιδεύτους ſemper duxi; præſertim talem virum, & tam ſtudioſum amicitiæ. Auget te coram alloquendi ardorem tum religio, tum amœnitas iſtius fortunatiſſimi ſeceſſus, quem mihi cum Saulius, ut eſt ingenioſiſſimus, adamuſſim depinxerit, verius tamen neſcio, quomodo ante oculos poſuit, & ſpecioſiorem reddidit illud tuum carmen eruditum, facile, argutum, (*c*) καὶ συνελόντι εἰπεῖν Horatianum. Sordeſcerent priſcis hominibus, ſi adeſſent, cum Pythagora Croto, Metapuntus, Tarentum & demum quicquid fuit (*d*) Ἑλλάδος τῆς μεγάλης modo propter te inſulam inviſerent omnium quas mare circumluat (*e*) μακαρτάτην: quod ſi per patronos meos Octavianum, & Federicum Fregoſios, quos fama tibi notiſſimos eſſe audio, ad te iſtuc proficiſci licuerit aliquando, tum Corteſio amici, & diſcipuli coram nomen jucundiſſime profitebor, & in verba tua ſanctiſſime jurabo; poteris enim non minus poſtea diſcipulum abſentem docere, quam amicum mutuo amare. Vale.

EPISTOLA XXII.

BENEDICTUS THEOCRENUS

GREG. S.

ARGUMENTUM.

Suaviter, eleganterque conqueritur Theocrenus, quod a Gregorio litteras non receperit, cum prior dederit, & traditas noverit. Teſtimonio litterarum Longolii ad Saulium Lerinenſes incolas commendat, & Graſſenſem Antiſtitem, quem ſe cito inviſurum confidit, ejuſque patrocinium a Gregorii opera exquirit.

REdditas tibi fuiſſe litteras meas, illud fidem facit certiſſimam, quod, quas ad te Saulius eidem homini dederat, accepiſſe te ad Saulium ſcribis: neque fieri potuit, ut alteris incolumibus, alteræ perirent, præſertim uno in faſce (ut ait Saulius) colligatæ. Nihil tamen, quod

ego

(*a*) Inhumani.
(*b*) Indocti, illiterati, ruſtici.
(*c*) Et ne multa. Ut verbo dixerim.
(*d*) Magnæ Græciæ.
(*e*) Fortunatiſſimam.

ego quidem ſciam, aut certe ſuſpicari poſſim, adhuc reſpondiſti: nam, ſi quid ſcripſiſſes, fuiſſet id non minus ad nos perlatum, quam, quod ad Stephanum, alioſque item, quos eo genere officii non indignos duxiſti. Unus itaque præteritus eſt Theocrenus, idque a Corteſio, qui ſcribendi diligentia, quos non vincit, facile æquat. An ego ſic tibi indiſertus, & facultatis oratoriæ omnino expers viſus ſum, ut meas nugas initio repellere malueris, quam eas bis, quod tamen non effugies, perpeti? at humanitatem tuam nemo non prædicat, eſtque ea jampridem conſtans de te opinio, ut litterarum ſtudioſos, quotquot nactus fueris, ultro invites & aptis ſuaſionibus ad propoſitum tuendum horteris, tantum abeſt, ut ex eo numero aliquem faſtidioſe abjicias. An vero potius occupationes effecerunt, ut mei obliviſcereris? Minime inquies: durum eſt enim etiam homini pluribus negotiis diſtricto confiteri, memoriam ſibi alterius excidiſſe, qui prior amicitiam ſecum inſtituere ambiverit. Quid igitur cauſaberis Gregori? Quo ſaltem prætextu negligentiam tuam minus culpabilem oſtendes? In eas enim te anguſtias compuli, ut vel tergiverſans elabi non poſſis, quamquam ajunt diſputatorem eſſe vehementiſſimum. Verum non protinus adeo inexorabiles adverſus te fuerimus, ut juſto dolori plus demus, quam unis litteris tuis, modo aliquando ſcribas. Quod ſi abs te impetrare nequivero, non committam poſthac, ut ullius nos importunitatis redarguas. Video hic, quod nimis acerbe feram, ingenuo te rubore confundi, ut ſtylum arripias, & ex temporali apologia non ſolum objecta purges, ſed eo amplius me recrimineris, quod potuerim in animum inducere, negligentia te peccaſſe. Sed quid faciam, cum nihil mihi occurrat, quod te ea ſuſpicione liberet? Verum de his plura fortaſſe, quam tenera adhuc noſtræ amicitiæ incunabula patiantur. Chriſtophorus Longolius, ut ex ejus litteris ad Saulium ſcriptis cognovimus, Lugdunum ſoſpes pervenerat, inde digreſſurus cum primum ſe, equoſque de via feſſos curaſset. Dii boni, quam præclare vir ille de vobis ſentit? Quæ de iſto ſeceſſu commemorat, tum de liberalitate, & animi magnitudine Graſsenſis veſtri, cujus ſi decem principes ſimiles haberemus, optime cum litteris ageretur, brevique tantus ingeniorum proventus appareret, ut numquam antiquitas fortius provocata ſit. Ei tu me, Gregori, ſi mutuo amabis, totum trades, non enim puto hominis dedititiſſimi patrocinium ab eo Antiſtite repudiatum iri, qui nihil aliud dies nocteſque agitet, quam ut litterarum ſtudioſos omnino aliquo inſigni beneficio ſibi demereat: quamquam ego ipſe intra paucos menſes omnino te illumque inviſam, cum minime verear quin in octo aut ad ſummum decem dies, commeatum a principibus meis impetrem, præſertim ad tam præclarum negotium, tamque neceſsarium. Vale.

EPI-

EPISTOLA XXIII.

BENEDICTO THEOCRENO GREG. S.

ARGUMENTUM.

Accuſationem diluit Gregorius, quam tamen ſibi non admodum moleſtam fuiſſe fatetur, cum & eloquentiam mirifice prodiderit, & amici amorem. Amicitiæ diuturnitatem ſpondet, eamque corroborandam promittit ex condicto ad inſulam adventu, quem pro ſuo, & Graſſenſis Pontificis deſiderio optat quam ociſſime.

SErius tibi redditas eſſe litteras noſtras, non admodum moleſte tuli. Fuit enim hæc tarditas cauſa, ut & amor in me tuus, & ingenii tui libertas, aliquanto quidem quam prius, apud me expreſſiora fierent, & illuſtriora. Etſi enim non alium te eſſe quam Saulius noſter mire deſcripſerat mihi erat perſuaſum, fecerunt tamen poſteriores tuæ litteræ, ut quæ in te ſunt ornamenta morum, & doctrinæ, perinde atque ea, quæ oculis cerni ſolent, mihi eſſent perſpectiſſima. Gratanter igitur amiciſſimam increpationem tuam accepi, amavi libertatem, amorem recognovi, admiratus ſum eloquentiam. Eo tamen magis gaudens, quod in quo accuſabar, culpa vacabam. Licet namque in amicitia excuſatio omnis ſupervacua videatur, nequaquam tamen ingenui animi indicium eſſe duco, ibi culpam recognoſcere, ubi non eſt. Dedi vero ad te litteras, ſi non eodem die, quo tuas acceperam, certe altero, aut tertio. Ut autem citius, ſeriuſve redderentur, qui præſtare poteram? Tu vel tarditatem, vel negligentiam meam ut libet accuſato, dum tamen ab omni ingratitudinis (ut nunc loquimur) nota me liberes: A qua tam animus meus abhorret, quam etiam cognomen gentilitium. Quod vero ſcribis vereri te, ut acrius me increpueris, quam tenera adhuc amicitiæ noſtræ incunabula patiantur, longe, mi Theocrene, quantum fert opinio mea, deciperis: ut enim incunabula hæc eſſe non negaverim, quippe nedum anniculæ amicitiæ, ſic non contrario tenera, & imbecilla confitebor, quando, ut aliquid de Poetis afferam, etiam in crepundiis legimus eliſos angues. Ego vero quo primum die tuas accepi litteras, ita me totum tibi tradidi, ut ante Saulio condonaram, nihil ſuſpicans minus illius fieri, quod tibi eſſet traditum. Quare jam adeo fixas radices amicitiæ noſtræ non dubito, ut nec temporis diuturnitate, nec ſilentii incuria poſſint aliquando labefactari. Accedet vero aliquid, quod

quod etiam ejus fibras corroboret, ſi jam ex condicto ad hanc amœniſſimam inſulam, ruſticatum an feriatum dicam? diverteris. Quod niſi a principibus tuis, qua ſunt humanitate, facillime commeatum (ut ipſe ais) impetraturum eſſe confiderem, poſthabita omnino temeritatis macula, quæ fortaſſe mihi merito poſſet inuri, idipſum etiam ab eis per litteras expetiiſſem. Suppeditaret mihi, crede, amor in te meus etiam Demoſthenis fulmina, ut quicquid liberet, vel ab invitiſſimis poſſem extorquere. Te igitur propediem expectamus, neque ego tantum, ſed & Graſſenſis noſter, unicus hac tempeſtate, aut certe cum principibus tuis tantum, litterarum patronus. Is, ex quo die tuas ad me litteras legit, quæ adventum tuum ultro pollicebantur, non facile abſentis deſiderium ferre poteſt. Quare recte feceris, ſi nos hac expectatione, qua nihil (ut ſcis) moleſtius eſt amantibus, quam ociſſime liberaveris. Vale.

EPISTOLA XXIV.

BENEDICTO THEOCRENO

GREG. S.

ARGUMENTUM.

Stephanus (a) Saulius Lerinam veniens perſonam mercatoris Genuenſis ſimulaverat. Qui luſionem detexerit narrat Gregorius; eundem Saulium, præterea Longolium, alioſque doctos viros Lerinam jam reverti velle; a Theocreno proinde curandum, ut tantorum hominum conſuetudine frui liceat.

Superiore Epiſtola pauca ad te de Saulio noſtro ſcripſi, ne eſſem omnino longior, quam ejuſmodi litterarum ratio poſtularet. Nunc vero

(a) Stephanus Saulius ex nobili Familia Genuenſi amicitiam impenſe coluit cum Gregorio, Ejus Frater, de quo ſermo eſt in Epiſtola, fuit Bandinellus Hieracenſis Epiſcopus in Regno Neapolitano, a Julio II. Anno 1511. Cardinalis creatus, primum Diaconus Sancti Adriani, poſtea Presbyter S. Sabinæ. Cum detecta fuiſſet, & ſevero judicio correpta Alfonſi Petrucci Senenſis Cardinalis conjuratio in Leonem X., conjurationis conſcium Bandinellum hunc gravia argumenta evicerunt. Hinc Cardinalatus honore ſpoliatus ad perpetuam captivitatem damnatus fuit. Pecuniæ ope libertatem, & honores recuperavit, ſed cum brevi interiiſſet, veneno ſublatum nonnulli crediderunt. Stephani erat frater patruelis Philippus Epiſcopus Bruniatenſis, quo doctore ſtuduit aliquando Gregorius Hebraicæ linguæ, quam egregie callebat Philippus.

ro (modo tibi ad legendum otium concedatur) longiore Epiſtola narrare conſtitui , ut cum primum huc adveniens nobis ſe impoſuiſse crediderit , & ut ego coram eo oculis confixis, illud ei dicere potuerim : *Docte Ligus patrias nequicquam lubricus artes tentaſti* . Prima namque die ejus hebdomadis , quæ Chriſti Servatoris morti dicata eſt, dum ego ſolus in ſecreto eſsem , repente nunciatur hoſpites quoſdam Lerinam applicuiſse , eoſque vehementer poſtulare , ut me coram alloqui liceret . Illico juſsu meo benigne intromiſſi, exceptique humaniſſime (ſic ſe enim collegii noſtri mores habent) Deum adoraturi , ad templum deducuntur , ubi ego obviam illis factus , eum qui mihi inter cæteros honoratior eſse videbatur , manu apprehenſum percunctari cœpi , qui mortales eſsent , aut cujus rei gratia illuc eſsent profecti . Ille vero ad diu jam antea cogitatam fraudem devolutus , mercatorem Genuenſem ſe eſse ſimulat , Maſſilia illuc profectum , ut per eos dies nobiſcum ſacris operaretur . Tum urbane complexis liberum eſſe dixi , ut quandiu vellent apud nos hoſpitarentur . Dumque eum , qui hoſpitum ſuſcipiendorum curam habet , accerſitum expectarem , aliquot ſpatia cum Saulio ambulando confeci . Ibi vero ſtatim ille de litteris loqui cœpit & copioſe , & eleganter , atque ea ratione , ut facile appareret in eo cum maxima doctrina ſummum judicium eſſe conjunctum . Admirans ego , ecquid fieri poſſet interrogavi , ut & litteris , & mercaturæ adeo intentam operam navaret , cum neminem ex eo genere hominum aliquando allocutus fuiſſem , qui præter accepti expenſique tabulas quippiam litterarum ſe ſcire profiteretur . Subridens ille: Nihil , inquit , litterarum novi : ſed cum totum pene orbem noſtrates perambulent , neceſſe eſt ut interdum etiam cum doctis viris congrediantur , quorum conſuetudine aliquantiſper eruditi , deinde quæ audierint , non quæ ex libris didicerunt, loqui conſuevere . Ego tamen interim vultum viri , & quam appoſite de litteris loqueretur conſiderans , ſtatim ſuſpicari cœpi , dolum aliquem ſubeſſe, ejuſmodi tamen ut ſperarem nequaquam mihi pœnitendum eſſe, quod eo pacto deciperer . Egregia enim viri indoles , & morum honeſtas litteris condita , ut non aliud expectarem mihi facile perſuadebant . Sic tamen ab eo tunc diſceſſi , ut magis cum docto viro , quam multorum negotiorum, conſuetudinem mihi futuram eſſe exiſtimarem . Erat forte nobiſcum quidam ex maritima Liguriæ ora, qui, quod diu Genuæ commoratus eſſet , principes fere omnes cives de facie cognoſcebat : hic , cum eodem pacto Saulius ſe ei impoſuiſſe crederet, paulo poſt me ſolum convenit , nunciatque eum eſſe Stephanum ex opulentiſſima Sauliorum gente , qui etiam in ordine Cardinalium fratrem habuiſſet . Tunc juſſus eſt a me omnia ſilentio tegere , ne ea res moleſtiam hoſpiti afferret , cujus fortaſſe rationibus conduceret , uti ne a nemine proderetur . Me etenim captato tempore , hoſpiti meo perſonam illam ſimulatam detracturum . Die quæ inſecuta eſt, rurſus cum eo diutius commoratus ,

tan-

tandem de opulentia gentis Sauliæ ſermone de induſtria inſtituto; Stephanum cœpi de Stephano percunctari. Et primo qua ætate eſſet minimus ille Cardinalis frater, quem litteris operam dare intellexeram: tunc ipſe vix riſu compreſſo, æqualis, inquit, meus eſt. Ego vero, quomodo, inquam, de ingenio, moribuſque ejus ſentis? erubuit ſane, nec tamen negare auſus eſt, quin quod erat de ſe ipſo ſentiret. Poſtremo tamen diſceſſurus, totum ſe nobis aperuit: ductum ſe illuc dicens noſtri viſendi deſiderio, & quoniam mira eſſent, quæ de Sacerdotum illorum doctrina, & moribus intellexerat, iccirco perſonam a ſe diſſimulatam, quo liberius, familiariuſque univerſa explorare poſſet. Atque ut ejus teſtificatione utar, reperiſſe ſe omnia expectatione ſua longe majora. Iccirco daturum ſe operam, ut apud nos diu permanſurus, confeſtim reverteretur. Velle ſe in ea ſolitudine inter viros & pietate, & doctrina excellentes, triennio ſaltem litteris diligentiſſime operam dare, habiturumque Chriſtophorum Longolium, & alios complures doctos viros, ejus deſiderii participes. Qua quidem de re, paucis antea diebus Longolius ipſe ad me ſcripſerat. Explicui tibi ſcenam perſonati Saulii noſtri, qui nunc tam avide a nobis expectatur, quam libenter ejus conſuetudine fruituros nos eſſe ſperamus. Videre jam mihi videor, bonarum litterarum ſtudia in hoc receſſu ſe efferentia, ut nec Lyceo, nec Academiæ ſimus conceſſuri. Quod eo libentius ad te ſcripſi, quo te majore cum diligentia conſiderare volo, quanta felicitate ſis cariturus, ſi non omnino operam inpenſiſſimam dederis, uti in hoc doctorum hominum collegio vivere valeas. Qua in re non modo Octavianum, Federicumque principes meos, deſiderio tuo non adverſaturos eſſe confido, ſed ſi a te præclaram hanc occaſionem negligi ſenſerint, vim etiam adhibituros, ut cum cæteris quam ociſſime huc advoles, quod ut libenter facias, te, cum tua, tum etiam mea cauſa, vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XXV.

STEPHANO SAULIO GREGORIUS S.

ARGUMENTUM.

Moleſte tulit Graſſenſis Pontifex, quod Saulius ad ſe non diverterit, atque id crimini dedit Gregorio, qui querelam hujuſmodi exponit monetque Graſſenſis nomine, ne quid ſimile deinceps accidat. Mittit præterea caput, ſeu proœmium Operis, quod in libros ſex, & triginta debebat excreſcere, & illud ejus fidei committit, ut vel ſupprimat, vel ſcindat.

PArum abfuit, quin amicitia tua, qua haud ſcio an aliud gratius mihi, non modo acciderit aliquando, ſed nec in poſterum poſſit accidere, Graſſenſem noſtrum mihi reddiderit ſubiratum. Cum enim quæ inter nos conſtitueramus cum eo agerem, multiplici illum moleſtia affectum intellexi; primum quidem, quod incommode accidiſſet eo te potiſſimum tempore ad nos accedere, quo Sacrorum procurandorum gratia, illum neceſſe fuerit abeſſe; deinde quod perſonam diſſimulaveris, ut nec abſens quidem declarare poſſet adventum tuum ſibi fuiſſe quam gratiſſimum. Poſtremo, quod cum ſatis ſperaret omnibus eſſe teſtatiſſimum, nihil ſibi eſſe optatius, quam ſua omnia expoſita eſſe virtutum amatoribus, tu tamen præter animi ornamenta, ſplendore etiam nobiliſſimæ Familiæ, ſibique adeo conjunctiſſimæ, inſtructus, veritus aliquando fueris, quin omnia quæ illius ſunt, tibi eſſent communia. Nec multum defuit, quin etiam convitiis ab eo peſſime acciperer. Dolere enim ſe mirum in modum dixit, quod cum meo quodam jure poſſem quicquid libuiſſet de eo polliceri (utar enim teſtificatione ſui erga me amoris) non continuo te ejuſdem juris ſocium participemque acceperim. Quare nihil eſt deinceps, quod a Graſſenſi noſtro verearis, quem ſemper eo animo præditum erga cupidos litterarum novi, ut beneficium dando ſibi videretur accipere. Novit inſuper (quod Marcus Tullius ait) valde eſſe decorum, patere domos illuſtrium hominum illuſtribus hoſpitibus. Quæ igitur ad te ſcribo, non modo ejus voluntate ſcito me ſcribere, ſed perinde ea accipito, quaſi ab eo obſignatam ſyngrapham acceperis. Quicquid poteſt opibus, auctoritate, gratia, totum ejus nomine tibi polliceor; nihil illi gratius facere poteris, quam ſi eo uta-

utaris ad omnia quæ in rem tuam fuerint. Utaris vero ea animi magnitudine, qua tibi offerri vides. Quapropter confeſtim ad nos venias cenſeo: venies enim & illi, & nobis optatiſſimus, eoque amplius, ſi Longolium, communes omnium noſtrum delicias, tibi ſocium adjunxeris. Mitto præterea ad te caput, laborum dicam an ineptiarum mearum? Quando ita tibi libuit, nec petenti fas erat quicquam denegare. Tuum erit & fidei, & officii meminiſſe, ut cum ea, quibus viſum fuerit oſtenderis, vel ſupprimas, vel certe ſcindas. Opus eſt, ut ſcis, cujus non modo coronidem, ſed nec adhuc pene dicam fundamenta poſuimus. Etſi aliquibus longior in hoc procemio videbor fuiſſe, debebunt illi ex hoc membro, laxitatis totius corporis conjecturam facere. Excreſcet enim, quod adhuc conjicere poſſumus, in ſex, & triginta libros, qui deinceps in ſex tomos, ut faſtidio lectorum proſpiciamus, dividentur. Fortaſſe etiam, ut ſunt mutabilia hominum ingenia, ex his quæ ad te dedimus, nihil perfecto opere remanebit. Ut quod antiqui pictores ambitioſius omnino fecerunt quam verius, potuerim fronti operis (a) ἐποίει inſcribere. Vale.

EPISTOLA XXVI.

CÆLIO CALCAGNINO (b)

GREG. S.

ARGUMENTUM.

Venetias profecturus Longolius Ferrariam divertit. Illum Gregorius Calcagnino commendat, dignumque prædicat, qui tanti viri amicitia fruatur; ex ſui tamen commendatione cumulatiorem illi gratiam præſtandam confidit.

QUando poſt diuturnum ſilentium litteras eram ad te daturus, gaudeo eam mihi potiſſimum oblatam eſſe occaſionem, qua neque gratior, neque honeſtior deſiderari poterit. Quid enim mihi omnino aut jucun-

(a) Aut Attice ἐποίει *faciebat*.

(b) Cælius ex nobili Ferrarienſi familia, vir tunc temporis ſcientia omni excultus; magna nominis celebritate diu in patria juventutem docuit; multa ſcripſit, atque edidit ſapienter; magnam tamen ſibi invidiam conflavit apud eloquentiæ ſtudioſos editis diſquiſitionibus in libros Ciceronis de Officiis. Apud Herculem Ateſtium Ferrariæ Ducem magnopere valuit authoritate, & gratia, & familiariter uſus eſt viris ejus ævi doctiſſimis Lilio Gregorio Giraldo, Lazaro Bonamico, Bartholomeo Riccio.

jucundius, aut optatius accidere poteſt, quam ut opera mea tibi homini longe doctiſſimo, virum admirabili doctrina conciliem? Veriſimile eſt, Chriſtophorum Longolium tibi fama eſſe notiſſimum: is Venetias profecturus, fuit apud nos dies aliquot; cum quo ſæpe de te ſermonem habens, rogare non deſtiti, ut te viſurus Ferrariam diverteret. Sed plane precibus meis locum non reliquit: cum enim quæ in te eſſent ornamenta morum & doctrinæ & a Graſſenſi Epiſcopo, & a me accepiſſet, ita tui viſendi deſiderio exarſit, ut ſi nulla alia eſſet cauſa, graviſſimam hanc judicaturus fuerit, propter quam jam iterum in Italiam reverteretur. Habes ergo virum non amicitia tua tantum, ſed conſuetudine, & ut ita dicam, contubernio digniſſimum, cum quo mihi intercedunt omnia jura ſummæ neceſſitudinis, ſed illud præcipue, quod in eo multæ ſunt & elegantes cum græcæ, tum latinæ litteræ, & admirabilis illa ut græci dicunt (a) ἐγκυκλία παίδευσις. Quare quod facilitate tua ſponte eras facturus, ut te doctiſſimo viro totum traderes, magnopere rogo, ut commendatione mea cumulatius facias. Et ſi enim omnia virtuti per ſe debentur, æquum tamen eſt, ut amicorum commendatione præſertim non vulgari, nec perſunctoria, etiam cumulatiſſimæ voluntati aliqua fiat acceſſio. Vale.

EPISTOLA XXVII.

ANDREÆ NAUGERIO (b)

GREG. S.

ARGUMENTUM.

Longolium Venetias deducit, & Naugerio doctiſſimum amicum commendat, qui urbem delegit bonarum artium altricem ad majora perquirenda litterarum ſubſidia.

NISI mihi eſſet perſpectiſſimum, quam facile in amicorum numerum reciperes, non modo doctiſſimos quoſque, ſed vel mediocriter cupidos

(a) *Orbicularis doctrina. Omnigena &c.*

(b) Andreas Naugerius Venetiis ortus eſt anno 1483. Stili elegantia magiſtrum vicit doctiſſimum Marcum Antonium Sabellicum. Egregie novit loqui Græce, & duce Petro Pomponatio totum ſe Philoſophiæ dedit Patavii, qua in urbe amicitiam ſibi conciliavit complurium doctorum hominum. Ex nimia ſtudiorum aſſiduitate, tetro, diuturnoque melancholiæ morbo correptus eſt, a quo cum convaluiſſet, anno 1506. in cura Bibliothecæ Sancti Marci ſuffectus eſt Sabellico magiſtro. Venetorum Reſpublica eum, & Laurentium Priolum lega-

pidos litterarum, pluribus fortaſse verbis eſsem uſus; ut tibi Chriſtophorum Longolium conciliarem. Veruntamen, cum illum tibi fama eſſe notiſſimum certiſſime credam, etiam nihil ſcribente me, jam te illi ob innumeras ejus virtutes eſſe amiciſſimum certo ſcio. Amico tamen Venetias proficiſcenti, & poſtulanti a me ſæpius ad te litteras, deeſſe non potui. Id vero eo feci libentius, quod duplici officio mihi deſungi videbar. Primum quidem, quod tandiu abſens, tibi quem mirabiliter & diligo, & obſervo, litteras a me ſciebam deberi. Deinde quod quas dediſſem Longolio velut quoddam vinculum interpoſitum, ita nos viciſſim devincturum confiderem, ut ſicuti primum medio, ſic iſtud ipſum poſtremo connecteretur. Quod fortiſſimum vinculi genus in devincienda rerum omnium natura commentus eſt Plato. Eſt omnino Longolius noſter cum bonorum omnium, tum præcipue tua amicitia digniſſimus, ob animi virtutes complures, & abſolutam quandam omnium diſciplinarum cognitionem. Quæ ut nihilominus diligentius excolat, &, quod vix fieri poſſe intelligo, perfectius aſſequatur, Venetias eſt profecturus. Ita patriam tuam ex omnibus potiſſimum locis ſibi delegit, quod in ea bonarum artium propemodum alibi extincta ſtudia non modo id quod apud omnes conſtat, revixere; ſed etiam diis, hominibuſque faventibus, feliciſſime adoleſcunt. Quare ſi quid commendatione mea ad id quod ſponte facturus eras accedere poteſt, te ſummopere rogo, & obteſtor, ut hunc talem virum omnibus officiis demereri velis. Si enim illi gratia, opibus, & ſtudio commodaveris, nihil erit (crede) quod aliquando ejus amicitiæ te pœniteat. Vale.

legavit anno 1523. ad Carolum V., anno tamen dumtaxat 1526. Andreas in Hiſpaniam perrexit, atque inde rediit anno 1528. Vix Venetias reverſus, juſſus eſt in Gallias proficiſci, ut Franciſco I. ſuaderet reditum in Italiam, ſed infirma valetudine in urbe Bleſenſi, vulgo Blois detentus, ibi obiit poſtridie Idus Maji anno 1529. ætatis 46.

EPI-

EPISTOLA XXVIII.

STEPHANO SAULIO

GREG. S.

ARGUMENTUM.

Dolet Gregorius, quod nullis victus rationibus Longolius Lerinenſem inſulam reliquerit in Italiam reverſurus. Ejus abſentiam compenſari poſtulat adventu Saulii, cui pollicetur adjumenta hominum tam Græcis, quam Latinis litteris doctorum, & id ſuadet, ut cito fiat.

FUit apud nos Longolius noſter dies aliquot, benigne admodum exceptus a Graſſenſi noſtro. In quo juvene, quæ virtus cui præſtet, non facile dixerim, ita omnes principem ſibi locum in eo vendicare videtur. Admiratus ſum tamen in ea ætate, cum diſciplinarum fere omnium cognitionem, tum præcipue quod id potiſſimum profiteri videretur, de quo verba facere libuiſſet. Nam morum facilitatem, ſuavitatem congreſſus, facile mihi perſuadeo illum ex diutina tui conſuetudine fuiſſe adeptum. Cum igitur tot in eo admirabilia invenerim, unum tamen fuit, quod potiſſimum admirarer, ea tamen ratione, ut non modo non probarem, ſed etiam ſummopere deteſtarer. Quod ſcilicet, nec precibus meis, nec obteſtationibus adduci potuit, ut nobiſcum eſſe vellet. Agebam ego cum illo ex ſyngrapha, quod mihi id per litteras fuiſſet pollicitus; producebam teſtem Venuſinum Antiſtitem, atque adeo rationibus oſtendere nitebar ita in rem ſuam eſſe. Quid quæris? Unica exceptione tam difficile judicium evaſit. Imperatum ſibi eſſe dixit a Pontifice Maximo, ut ſimulatque rebus domeſticis conſuluiſſet, denuo reverteretur in Italiam, ibique eſſet quo juſſus eſſet accedere. Quoque minus illum temere immutaſſe voluntatem conjicere poſſemus, maximis ſe affectum beneficiis oſtendit, & in rebus adverſis gratia ſublevatum, uti integrum ſibi non eſſet quæ Pontifex juſſiſſet facturum non recipere. Jam quæ huic amici morbo Graſſenſis adhibuerit medicamenta, ſupervacuum eſt ſcribere: cum nec aliquid profecerint, & vix credibile videatur, virum tantæ auctoritatis, ſuadentem ea, quæ amico tantopere conducerent, quæ peteret non impetraſſe. Id vero, mi Stephane, etſi moleſtiſſimum tibi fore certo ſcio, tuæ tamen prudentiæ erit, non ex unius voluntate pendere. Maximum, & ſummopere laudabile eſt, quod animo concepiſti, & ſi perfeceris, animi tui magnitudi-

ne

ne digniſſimum. Nec vero locum invenies, qui tam facile huic deſiderio tuo quietum otium, & commodum ſeceſſum præſtet, ſicut Lerinam noſtram. At non erit nobiſcum Longolius; moleſtum id ſane, doctiſſimi ſcilicet amici abſentia, longe tamen futurum moleſtius, ſi non vel majoribus, vel certe paribus commodis damnum hoc compenſari poſſet. Primum quidem quod erunt nobiſcum alii forte tam græcis, quam latinis litteris (quod pace amici dicere liceat) Longolio non inferiores, qui a te honorifice habiti, libentiſſime te ſequentur, & eo præſertim ubi non minus ſibi ipſis, quam tibi prodeſse poterunt. Nam quid in hac inſula ſis inventurus, malo te tacitum & reminiſci, & cogitare, quam id a me tibi ſcribi, quippe quod de eo periculum feceris. Melius tamen omnino negotium hoc tractatum eſset, ſi coram nos mutuo alloqui potuiſsemus, quod niſi & longinquitas viæ, & maris inconſtantia obſiſteret, adhortatus te eſsem ut omnino hac æſtate ad nos proficiſcereris, de communibus rebus collocuturus; nam quominus ego ad te proficiſci poſſim, ſcis me & ritu, & cærimoniis religionis impediri. Si tamen quæ mea ſit de hac re ſententia penitus exquiris, ſcribam aperte ſicut & mea natura, & noſtra amicitia poſtulat. Si hominem habes apud te, qualem habiturum ſperabas, nihil plane opinor tibi eſse conducibilius, quam ut quamprimum ad nos advoles, non modo de his rebus collocuturus, (id enim vix tanti eſset) ſed domicilium habiturus in ea inſula, cujus dominium dudum adeptus es, non ex noſtra tantum, ſed & ex Graſsenſis noſtri liberalitate. Nec ut ita tibi ſuaderem, amor tantum mihi ſuaſit; longe id quidem a me, ut in re tanti ponderis antequam ad dicendam ſententiam accederem, non omnia colluſtrarim, qui plane ſcio, ſi te aliquando hujus profectionis pœnitere cœperit, futurum eſse ut me quoque conſilii pœniteat. Jam mihi videre videor qui congreſsus noſtri futuri ſint, quam ex longiſſimis dies in anguſtiſſimum ſpatium ſint contrahendi, quam denique quotidie apud nos magni aliquid, & litterarum cupidis perquam utile ſit naſciturum, quod denique tecum muſas, gratiaſque omnes ad nos ſis advecturus; quod ut quamprimum facias etiam atque etiam rogo. Vale.

EPI-

EPISTOLA XXIX.

STEPHANO SAULIO

GREG. S.

ARGUMENTUM.

Novas identidem danti Saulio erga ſe amoris ſignificationes, noviter; & delicate ſuum quoque amorem, gratumque animum teſtatur Gregorius. Pro libris, quos ab eo acceperat, agit grates; ejus optat conſuetudine frui, ſicut & Longolii, quem nunc putat apud eum eſſe, & utrumque ſui ſæpe reminiſci deſiderat. Poſtremo agit grates pro opera fratrum Saulii, qui Roma Lerinam Græcos libros tranſmittunt.

SEmper quidem mihi gratiſſimæ fuerunt litteræ tuæ, doctiſſimi ſcilicet hominis, & mei amantiſſimi. Veruntamen, quas poſtremo ſub diſceſſum tuum dederas, dicere non poſſum, quam jucundæ, quam etiam dulces mihi viſæ fuerint. Etſi perſpectus mihi erat amor in me tuus, exprimebat tamen elegantiſſima illa Epiſtola affectus quoſdam ſuaviſſimi amoris, ut in ea legenda vim lacrymarum profuderim. Teſtis eſt qui ſimul aderat Dionyſius noſter, me non (*a*) ὑπερβολικῶς, ſed (*b*) ἀληθῶς dicere. Singultibus impeditus fui, quominus clara voce quæ ſcribebas poſſem enunciare. Næ tu homo es pene dixerim intemperata humanitate, qui cum ego omnia tibi debeam, ita mihi gratias agis, quaſi iccirco mihi debeas, quod ego tibi tantum debeo? Quid? quod & benevolentiæ, & amicitiæ gratiſſima quidem nomina, leviora tibi videntur, quam ut amori in me tuo poſſint ſatisfacere, ſanctiſſimo illo pietatis uteris, quod tamen mihi rurſus non ſatisfacit. Etenim, ut ex me ipſe facio conjecturam, ejuſmodi inter nos vinculo connectimur, ut facilius a nobis ſolis intelligi quam verbi alicujus notione exprimi poſſit. Quapropter minus mirandum eſt, ſi non magnopere id tentem declarare, quod verbis declarari non poſſe certiſſime ſcio. Tantum habe, ut cum tibi & ingenio, & doctrina omnino conceſſerim, quod ad cætera attinet, Corteſium alterum eſſe Saulium, mihi eſſe perſuaſiſſimum. Quare pergamus hoc quicquid eſt amicitiæ, magis non deſcriptum, quam non intellectum, mutuis & officiis, & litteris excolere. Quo quidem in genere, qualem me præſtare oportet magnifice oſtendiſti. De libris enim in litteris tuis mi-

(*a*) Non ex hyperbole.   (*b*) Sed ex vero.

mirum ſilentium; quare conjecturam facio, te id quod eo nomine tibi debebam, expenſum donationibus tuliſſe. Quoniam igitur cumulata menſura jubemur reddere, video ſupellectili etiam oppignerata, non acceſſione modo cumuli, ſed nec pari menſura tibi a me poſſe perſolvi. Veruntamen bene habet, quod eo pacto jubet Heſiodus, ſi tamen reddi poſſit. Quare, quoniam nullo pacto referre, certe habere gratias potero. Non enim videor mihi cum Cicerone poſſe dicere, me eum eſſe, qui confidam nullam eſſe gratiam quam remunerando, cumulandoque illuſtrare non poſſim. Erunt igitur libri illi cum ob dignitatem ſuam, tum ob ſtudium meum, incredibilis tui amoris apud me teſtes ſempiterni. Cæterum ex litteris Longolii Lugduni datis ad Graſſenſem noſtrum, conjectura aſſequor illum jam apud te eſſe. O ſuaves congreſſus! O ſuaviora colloquia! O ſuaviſſimam neceſſitudinem! O qui me gelidis in vallibus illis ſiſtat! Jam incipit mihi ſordeſcere Lerina mea. Enimvero quoniam vix fieri poſſe intelligo, ut gratiſſima conſuetudine veſtra fruar; illud mihi erit gratiſſimum, ſi intellexero de me inter vos quam ſæpiſſime ſermonem haberi, ut mihi inde nunquam aures non tinniant. Poſtremo quod fere oblitus eram ſcribere, vide me Sauli, quam non modo te ipſum, ſed & tuos omnes mihi eſſe devinctos putem. Utor quotidie humaniſſimorum fratrum tuorum opera, in tranſmittendis Roma Genuam, & inde Lerinam libris græcis, quos frater meus emptos Romæ ipſis fratribus tuis dat ad me. Qua in re, etſi nihil adhuc offenſum eſt, gratiſſimum tamen mihi feceris, ſi utrique fratri dederis litteras, conjunctionis, & amicitiæ noſtræ teſtes, ut quod adhuc factum eſt humaniter, promptius deinceps fiat, & alacrius acceſſione commendationis tuæ. Creberrimas a te litteras expecto. Vale.

EPISTOLA XXX.

STEPHANO SAULIO GREG. S.

ARGUMENTUM.

Amico reddit denuo gratias, quod Græcorum librorum faſcem tranſmiſerit. Rogatus conſilium quoad locum magis ad litterarum ſtudia accomodatum, ſententiam profert; gymnaſia Italica non approbat; Lerinenſem ſolitudinem proponit, ejuſque deſiderium promovet; tandem nihil debere ſe ait quoad numerum epiſtolarum, quod amicus contenderat.

CUM te propediem ſperarem ad nos eſſe venturum, accepi litteras tuas, datas Kal. Julii, tardius tamen redditas, quam uterque noſtrum

ſtrum deſideraſſet: accepi enim ad XVII. Kal. Septembris. Cauſa fuit, quod is cui dederas, ſarcinulas quaſdam, in quibus litteræ erant repoſitæ, Genua abiens, ſecum deferre oblitus eſt. Detulit tamen Græcorum librorum faſcem, pro quibus ad nos tranſmittendis amorem, an diligentiam magis in te prædicem, non ſatis ſcio, utrumque certe ſummopere admiror: qua de re, ſi jam ad amicitiam noſtram, ſi ad tua erga me merita cumulus aliquis addi poſſet, hoc officio omnia eſſent cumulatiſſima. Quid enim gratius; quid optatius ei accidere poteſt, qui in ſtudiis eſt aſſiduus, quam ut librorum illi adſit copia? quod magna ex parte, amore, & diligentia tua ſum conſecutus. Illud tamen vehementer admiratus ſum, quod pretium non indicaveris, præſentem enim pecuniam tibi ſolvi imperaſſem. Id vero ut quamprimum facias te etiam, atque etiam rogo. Ex eiſdem præterea litteris intellexi quam ſuſpenſo animo, & ſollicito ſcire cuperes, quid de Longolio noſtro actum eſſet; ſcripſi id ad te longiore epiſtola, quam non dubito, quin acceperis. Quod vero conſilium exquiris meum, etſi nemo melius quam tu tibi dare conſilium poteſt, dicam tamen, quod ſentio. Vix adduci poſſum ut credam, te in patria id aſſecuturum quod in animum induxiſti, ut aſſequerere. Scriberem quare ita ſentiam, niſi te quoque idem ſentire confiderem. Enimvero ſi conſilium eſt, ad celebre aliquod Gymnaſium te conferre, cujuſmodi ſunt in Italia plura, nec id plane ſatis probarem: qui enim publicas ſcholas habent, genus illud litterarum, quod tu tantopere cupis, nec profiteri volunt, ſi poſſint, nec fortaſſe etiam poſſunt ſi velint. Quod ſi in ipſis utrunque adeſſet, adhuc tamen hanc ſolitudinem anxiis illorum magis quam utilibus exhedris prætuliſſem. Vivendum illic ex multorum ſententia, habenda ratio & nobilitatis, & dignitatis, quin temporis interdum non levis jactura facienda eſt, ne aut moroſus, aut intempeſtive ſeverus judicere. Si igitur jam virum tecum habes, qualem habiturum confidebas, quid erit cur in hac amœna ſolitudine conſtitutus, tumultuoſos Gymnaſiorum cœtus deſideres? Totus hic tuus eris, niſi forte cum ipſemet ſponte volueris noſter eſſe. Nihil ambitioni, nihil gratiæ dandum erit. Denique plura in hoc ſcribenda occurrunt, quam ut epiſtola comprehendi poſſint, & coram magis quam per litteras declaranda. Quare ſi ſapis, mi Stephane, (ut certe ſapis) ad nos te confer cum locupletiſſima illa tua librorum ſupellectili; jam enim (quod ad ſtudia attinet) pars anni longe commodiſſima inſtat. In qua ſi me audieris, non unius modo diſciplinæ inſtituemus ſcholas, ſed orbem illum laudatiſſimum, maximo animo, aggrediemur. Poſtremo, quod me hortaris, ut boni ratiocinatoris more, ſummam faciam accepti expenſique, feci, & quidem diligenter, rationibuſque ſubductis, etſi alias omnia tibi debeo, nihil me tamen eo nomine debere comperi. Dedi unas ad te, Melchiori Lanterio, Graſſenſi binas. Quartæ iſtæ ſunt: a te vero ternas tantum accepi.

Nam quas tu ad me dediſti (*a*) τῇ πατρῴᾳ διαλέκτῳ, rurſuſque quas ego nautis tuis dedi, omnino eximi volo e numero litterarum noſtrarum. Videris igitur: & ſi quod ad elegantiam attinet (*b*) χάλκεα χρυσείων, an quod ad cætera pares fecerimus rationes. Vale.

31 *HIERONYMO PALMARIO*

A Palmario viro & ætate gravi, & virtute laudatiſſima ad amicitiam provocatus, ob eam rem lætari ſe maxime fatetur, una autem & dolere, quod referendo gratiam parem ſe non agnoſcat. Summi viri extollit merita, quem tamquam amicum enixe amabit, tamquam parentem colet. Acceptum libri cujuſdam munus alterius munere compenſat.

CUM una eſſemus ego, & Graſſenſis Epiſcopus, redditæ mihi ſunt abs te litteræ, graviſſimæ illæ quidem, & elegantes, ſed ea potiſſimum de cauſa ſupra quam dici poteſt gratæ, quod inexpectatum mihi lucrum attulerunt, amicitiæ tuæ conciliationem. Quam tanti facio, quanti ſanctiſſimi, doctiſſimiſque viri neceſſitudo fieri debet. Si enim repente invento theſauro, ſama eſt homines tantopere lætari, eo abſque controverſia magis invento amico lætari debemus, quo multo rarior pretioſi theſauri inventio. Veruntamen in hac amicitia concilianda, neſcio quid præ te tuliſti ſenilis prudentiæ, præoccupaſti enim partes, quæ honeſtiores erant, difficiliores vero nobis reliquiſti. Si enim auctiore cumulo acceptum beneficium reddi debet, me, quam libet deinceps enitar, longe tamen intra officii debitum relictum iri non dubito. Hoc tamen in his anguſtiis utor ſolatio, quod non referendo tanium, ſed habendo etiam gratiam, pares rationes in amicitia, graviſſimorum authorum ſententia, merito fieri poſſe dicuntur. Sentio vero, mi Hieronyme, ſentio quam gravi onere premar, quod tu prior ad me litteras dederis, ea præcipue morum, & ætatis gravitate, ut vix futurum fuerit ut auderem, niſi provocatus, me in amicitiam tuam inſinuare. Miſiſti præterea multiplex elegantiſſimumque munus, quod mihi idcirco gratius fuit, quod in hanc ſolitudinem, ut rectiſſime ſuſpicaris, rariſſime talia perferuntur. Idemque ut deinceps facias ſæpius, etiam, atque etiam rogo: Non enim vereor, ut tibi moleſtus ſim, ſi id a te repetam, quod ſponte debere voluiſti. Quod ad cætera attinet, auderem dicere te ſatietate quadam, & languore ſtomachi, poſt Hermolaos, Hieronymoſque Donatos, maximi quidem illos nominis, ſed doctrinæ longe majoris viros, amicitiam noſtram expetiſſe, niſi mihi perſuaſum eſ-

ſet,

(*a*) *Patria lingua.* (*a*) *Ænea pro aureis.*

ſet, te id ætatis virum, non doctrinam, quæ in me nulla eſt, ſed religionis opinionem quandam ſecutum fuiſſe, quam tamen ita profiteor, ut magis hactenus a longe proſpicere, quam conſequi poſſe videri poſſim. Quale vero id ſit, quod ſponte appetiſti, tuum erit judicium. Ego quæ meæ partes ſunt, deinceps enitar, & niſi fallor præſtabo, ut quoniam in proferendis amicitiæ fructibus longe te ipſo inferior ſum, in amore tamen nihil tibi concedam. Ac ne in fructu quidem: ſi quidem, quod & perurbane dicit Cicero, finis amicitiæ nobis propoſita eſt ipſa amicitia. Hæc ipſa tamen, neſcio an amicitia magis quam pietas, recte dici debeat: fecerunt enim & ætas, & uno omnium ore laudatiſſima virtus tua, ut te mihi in parentis locum confeſtim, acceptis litteris tuis, aſciverim. Quare ea tibi de me pollicearis velim, quæ ab optime inſtitutis filiis parentes expectare debent: ſciaſque nihil etiam apud te tibi eſſe tam promptum, aut tam paratum, quam in omnibus, quæ ad te pertinent, officium voluntatemque meam. Vale, & viros doctiſſimos Benedictum Theocrenum, & Hieronimum Monelianum nomine meo ſalvere jube. Et quoniam aliena magis quam tua ad me mittere voluiſti, mitto & ego ad te Phaleutium Dioniſii Monachi, qui nuper mihi diſcipulus, nunc etiam ſcriptorum meorum Ariſtarchus effectus eſt.

32 *BENEDICTO THEOCRENO*

Theocrenum rogat, ut operam, opemque præſtet ſibi apud communes Principes in negotio, quod plene noſcet ex collega, quem eidem negotio allegat.

NON potui expreſſius in his, quæ profectionem meam ad vos attinent, animum meum declarare, quam ut iſtuc unum ex collegio noſtro mitterem, & eum præcipue, cujus fidem, & prudentiam jam diu cognitas habeo; quique omnium conſiliorum meorum, non modo particeps, ſed etiam arbitrer, & moderator fuit. Ex eo, mi Theocrene, intelliges, quid optem, & quid ſtatuerim. Te vehementiſſime pro amicitia noſtra rogo, ut totus in hoc negotium incumbas; quod ſi ex ſententia confectum erit, omni ope conabor, ut te nunquam ſuſcepti hujus laboris pœniteat. Etſi enim jure meo quodam poteram tecum ex formula agere, quod ultro mihi tanta pollicitus fueris, quanta nec optare quidem auſus eſſem; tantum tamen abeſt ut aliquid a te exigere velim, ut etiam commodiſſime mecum agi putem, ſi rogatus in hoc negotio operam tuam impendere non gravaberis. Cæterum diu hæſitavi, an ad Principes noſtros litteras darem, & vicit tandem pudor officium, quod veritus ſum ſæpius moleſtus eſſe Principibus in maximis rebus occupatiſſimis. Tu certe ſi quid tibi, ſubruſtico hoc pudore, peccaſſe videbor, culpam omnem eloquentia tua diluere poteris. Vale.

33 AUGUSTINO GRIMALDO
EPISCOPO GRASSENSI.

Infirmitatem cauſatus cum nollet eo proficiſci, quo Graſſenſis optabat, adventum ſuum illuc ideo differri poſtulat in aliam diem, dummodo Graſſenſis idem conſentiat, cujus juſſa etiam æger complebit.

JAM condixeram, ut hodie præſens medicamentum ſumerem, pro ea qua detineor infirmitate, cum mihi retulit Benedictus gratum me tibi facturum, ſi Cannas proficiſcerer. Dolui ſane curationem non poſſe in alium diem differri: nec minime adverſa valitudo torquebat, quam juſſis tuis non obtemperare. Viſum eſt igitur ut has ad te darem quo fierem certior, quanti in præſens adventum noſtrum ad te faceres. Si enim valde id cupis, faciet pietas in te mea, ut neque ægritudo ipſa mihi moleſta ſit, eatenus ſaltem quoad tecum fuero. At vero ſi id minus putaveris neceſſarium, die Veneris tecum ero, & ſi te ab hoſpitibus liberum invenero, vacuumque aliquantiſper ab his moleſtiis a quibus aliquando omnino liberari deſidero, eatenus manebo apud te, donec Lerinam ſimul proficiſcamur ad Divi Honorati natalitia celebranda. Vale.

34 GRASSENSI EPISCOPO

Graſſenſis aberat, cum ad illum venit Sadoletus, qui vix paululum conſiſtens, Antipolim profectus eſt. Illi comitem dare ſe voluerat Gregorius, ſed hujuſmodi conſilium rejecit tunc, ne moleſtus fieret ob anguſtiam hoſpitii. Id tamen neque poſtea perfecit ob tempeſtates; quas noxias timuit ſui corporis imbecillitati. Itaque dolet ob eam rem caruiſſe ſummorum virorum congreſſu.

QUamvis adventus Sadoleti ad nos gratiſſimus mihi fuerit, longe profecto gratior futurus erat, ſi tu hic affuiſſes: quæ enim ad ejuſmodi hoſpites recipiendos ſpectant, omnino diligentius curata eſſent: data tamen eſt a tuis opera, ut quam fieri poſſet, commodiſſime exciperetur. Evenit vero præter ſpem, ut tumultuarie ſumpto prandio, cum paulo ante meridiem applicuiſſet, hora tertia hinc diſceſſerit, Antipolim profecturus. Ego autem cum putarem ſatis anguſte pro ea multitudine, hoſpitium illic paratum eſse, ſtatui ea die profectione ſuperſedere, mane deinceps hominem conſecuturus. Ejuſmodi autem tempeſtates ſecutæ ſunt, quæ me omnem profectionis cogitationem coegerunt abjicere. Nihil enim (ut ſcis) adeo imbecillitati meæ contrarium eſt, ut vehemens

Au-

Auſter, qui ea die, qua profecturus eram, fuit vehementiſſimus. Enimvero cum ſemper hæc corporis imbecillitas mihi moleſta fuerit, nunc demum viſa eſt etiam ærumnoſa, quod propter ipſam factum ſit, ut longe mihi gratiſſimo ſpectaculo caruerim: trium ſcilicet virorum congreſſu, optimorum ſimul, & doctiſſimorum, addo etiam (quod caput eſt) amantiſſimorum mei. Summopere vero tibi gratulor, quod tales apud te hoſpites habiturus ſis, quorum memoria arx ipſa Monoeci longe mihi in poſterum futura ſit gratior. Perſuaſum habeo Caſtellanum diutius apud te fore; etſi enim de remanſione ſua ambigue mecum loqui mihi viſus eſt, quæ tamen eſt hominis humanitas, ſcio ipſum, cognita de ſe expectatione tua, nec precibus tuis locum eſſe relicturum. Vale.

35 *STEPHANO SAULIO*

Conſilium approbat, cujus auctor Gregorio fuerat Saulius; mutuam epiſtolarum frequentiam toto animo cupit non intermitti; demum poſtulat tranſmitti Librum a quodam Monaco Genuam mittendum, & una Indicem Græcorum Librorum Venetiis impreſſorum.

EGO vero, mi Sauli, & prudentiam tuam ſummopere admiratus ſum, & amorem erga me recognovi, non enim potuit ſapientius ex dignitate mea conſuli, quam a te fuerit conſultum. Nec tamen id credas velim me aliquando ejus fuiſſe opinionis, ut quippiam aliunde aſſequi cuperem quam unde impetrandum eſſet. Qua de re tibi fidem facient litteræ, quas propediem ad Longolium ſum daturus: curabo enim, ut prius ad te non obſignatæ deferantur. Nunc vero anguſtiis temporis interclulus, & ad te omnino pauca; & ad ipſum, nec unam quidem litteram ſcribere potui. Quod vero ad numerum noſtrarum epiſtolarum attinet, etſi non mediocriter doleo, ſi aliquando ex ipſis aliqua deperit, non tamen inter nos eo pacto rationes ſubducendas eſſe opinor, ut in nervo obſtringi neceſſe ſit eum, qui aliquid debuerit. Quin etiam interdum vereri cogor, ne te hac frequentia litterarum, præſertim levibus de rebus, tædio aliquo afficiam, nec tamen ſinit amor in te meus, ut aliquem omittam, quem ſciam Genuam profecturum, cui ad te litteras non dem. Mirifice vero accidit, ut tu nuper in epiſtola tua verba hæc aſcripſeris: Jacturam ſilentii ſarciamus, qua in re me tibi mirificum comitem polliceor. Verum de his hactenus. Habebis in hoc faſciculo litteras ad Iſidorum monachum, eas tibi ſummopere commendo. Et ſi ab ipſo acceperis græcos Ariſtotelis libros de naturali auſcultatione, gratiſſimum mihi feceris, ſi curaveris Genuam aliqua ratione perferendos, unde ad nos facillime tranſmitti poterunt. Præterea ſi indicem indicaturamque græcorum librorum, qui hactenus Venetiis impreſſi

preſſi ſunt ; tam in philoſophia quam in ſacris & politioribus litteris ; tu qui prope es in conſpectu ejus urbis, habere poſſes , maximo me levabis deſiderio , ſi epiſtolæ illi quam primum ad nos ſcripturus es annectere non gravaberis, quod tamen commodo tuo fieri volo. Vale.

36 *CHRISTOPHORUS LONGOLIUS* (a)

GREGORIO CORTESIO S.

Ab iis abſtinere cum debeat vir prudens, quæ poſſent multorum improbationem ſubire, rationes prætexit Longolius, ob quas neque licet Gregorio vacationem poſcere a publicis muneribus, neque decet ſe pro ea obtinenda apud amicos agere. Hæc ſcribenti Longolio cum nuntiatum repente fuerit Gregorii præſides vacationem hujuſmodi annuiſſe, jam de hac, utpote rite obtenta, ei gratulatur.

QUod poſteaquam in Italiam redii, nihil ad te litterarum dedi, id profecto neque oblivione tui factum eſt, qui etiam ſi velim, tui tamen oblviſci non poſſim, ita frequens, & jucundus nobis hic eſt de te quotidie ſermo; neque ſane quin eſſet quod per litteras tecum agere vellem; ſed quod ea erant in manibus, quæ nec litteris, nec cuivis recte committi poſſent. Rem tenes, genus tabellariorum noſti. Nunc autem cum rationem ad te tuto ſcribendi inierim, ſcito mihi magis magiſque quotidie de rationibus tuis cogitanti, non jam placere ad rem, ea qua tibi iſtic oſtenderam via aggredi: ne ſi quid offendatur, iniquorum ſermonibus detur locus, quos vel minima re ad deridendum contentos fore video: ſin ut volo, & opto, cadat, ne rem mali exempli inſtituiſſe, nec tam doctrinæ ſtudio, quam religionis odio eo confugiſſe exiſtimemur. Quin etiam non poſſint multorum ſuſtineri cauſæ, ſi tibi quod poſtulas a Pontifice Maximo uni concedatur: nec tu non temere de judicio Principum tuorum judicaſſe, aut deſperaſſe, qui rem tam honeſtam ab eis non petendam eſſe duxiſſes. Huc accedit gravis illa inter vos, & Pontificem Maximum controverſia, ut ne ſi exploratum quidem ſit illius nos compotes fieri poſſe, tamen velim hoc tempore ne ordinem deſeruiſse, vel etiam data occaſione turpiter transfugiſse potius, quam ſtudiis noſtris præſidium quæſiviſse ullum videamur. Equidem cum noſtra plurimum intereſse arbitror, gravitatem ut tueamur, neque tam do-

ĉti,

(a) Epiſtola hæc non habetur inter collectas ab Herſilia Corteſia, ſed excerpta eſt ex ipſius Longolii epiſtolis. In editione Pariſienſi anni 1533. eam invenies pag. 151.

ĉti, quam boni viri hominum opinione habeamur: tum vero te non omni ſolum cupiditate, ſed omni etiam cupiditatis ſuſpicione carere velim. Nec enim neſcis, tametſi voluntatem ea in re tuam quaſi ambitioſam & inanem bonus nemo reprehendere poſſit, quantum difficile ſit his præſertim moribus conſiliorum noſtrorum rationes vulgo probare. Atque ſi Romæ nunc eſsem, ipſe tibi negotium nullo majore negotio per me conficerem: operam quidem profeĉto, ſtudium, conſilium, fidem, rem denique meam in eo tibi diligenter navarem. Abſens rem tantam per interpretes moliri ſine periculo qui poſsum? Itaque ne per Sadoletum quidem noſtrum quicquam mihi conandum arbitror, præſertim cum crebris amicorum, & ipſius maxime Sadoleti litteris Romam vocer: quo ſi me aliquando contulero, omnes vias perſequar, quibus ad id, quod cupis, pervenire poſse putem. Sed audi caſum plane divinum: ſcribente me hæc ipſa anxie, repente nuncius rem in conventu veſtro ex ſententia noſtra confeĉtam eſse; habere jam te omnium munerum vacationem; tantum ſodalitatis tuæ ſtudioſis omnibus ocii publico patrum decreto impertitum, quantum tu vix vel per nos, vel a Pontifice Maximo conſequi potuiſses. Quid quæris? Suſtuli manus, meque a conſilio, & deliberatione ad gratulationem totum converti: præſertim qui eam rem, non modo facultatem apud tuos habuiſse, quod vel ipſum plane deſperabam, ſed ſummo etiam totius conventus aſsenſu comprobatam fuiſse perſpicerem. Quapropter fruere iſto, mi Corteſi, ocio quo nihil neque tibi accommodatius, neque ſodalitati tuæ ornatius, neque nobis amicis tuis jucundius contingere potuiſſe judico. Vale

Ex Urbe Patavio, IIII. Cal. Jun.

37 CHRISTOPHORO LONGOLIO

Fatetur Gregorius optaſſe ſe vacationem a publicis muneribus, ſemper tamen in animo fuiſſe eam rite obtinere, non vi extorquere; ſe quidem non reminiſci, quidquam in hanc rem demandaſſe Longolio, cæterum dandi beneficii voluntatem, ejus erga ſe amicum animum ſatis oſtendere.

Accepi a te epiſtolam, plenam conſilii, ſummæque tum benevolentiæ, tum etiam prudentiæ. Quæ iccirco mihi gratior fuit, quod nihil a ſententia mea conſilium tuum viſum eſt diſcrepare. Nunquam enim ita doĉti inane nomen appetii, ut non longe magis deſideraverim non haberi modo, ſed etiam bonum virum eſse. Ut etiam ſi alterutrius facienda eſſet jaĉtura, næ ego haud paulo malim id propter quod potiſſimum cupimus doĉti eſſe, quam non vanam modo, & inutilem, ſed etiam eo paĉto perniicioſam doĉtrinam. Veruntamen quod ad negotium

tium id attinet, de quo ad me tam multa ſcripſiſti, non memini me aliquando id tibi oneris imponere, ut Romæ quippiam de me conficeres, & ſi tecum ſæpe queſtus ſum, muneribus publicis omne mihi ocium ſurripi, non ea tamen mente id agebam, ut ne ſi poſſem quidem, vi aliquid extorquere a Senatu noſtro vellem. Egit ſæpius pro ea fortaſſe familiaritate, quæ ei tecum eſt, Graſſenſis Pontifex, ut negotium illud conficeres, iccirco credo quod tute ſponte tua idipſum receperas curaturum, cum tamen ego cum primum id intellexi, auribus magis quam animo pollicitationes tuas acciperem. Ejus rei teſtis eſt ipſe Graſſenſis, cui poſt diſceſſum tuum quaſi jam confecto mirum in modum mihi gratulanti, reſpondi, vix mihi perſuaderi poſſe, abſentem te id confecturum eſſe, quod etiam ſi Romæ eſſes, haud ſcio an ob rei magnitudinem fueris impetraturus. Tum vero is qui antea rei deſiderio nihil non ſperaverat, admonitus, ſtatim e ſententia diſceſſit. Quod vel ea conjectura intelligere poteras, quod deinceps ab illo nihil litterarum de ea re accepiſti. Etſi in tuis Lugduni datis aſcriptum erat te jam epiſtolas ad Bembum, Sadoletumque ſuper hoc negotio meditari. Ego vero ſi a Pontifice Maximo vacationem numerum cogitaſſem aliquando impetrare, neque id nuper tantopere a Senatu noſtro enixiſſimis precibus efflagitaſſem. Neque non Sadoleti opera abſque internuntio liberrime potuiſſem uti, cum quo mihi, præter ſanctiſſima illa patriæ & propinquitatis, omnia jura ſummæ neceſſitudinis intercedunt. Pontificem vero Maximum mihi tantum tribuere ſcis, ut ſi me id intellexerit deſiderare, nec preces quidem noſtras ſit expectaturus. Eo tamen nomine me tibi debere fateor, quod qui de dando beneficio, ut quidem tibi videbatur, ſponte cogitaras, quoniam honeſtate ipſa, ut ais, ductus, aliter atque antea cœpiſti cogitare, non ante conquieſti, quam mihi oſtenderis te honeſtiſſimis de cauſis a priſtina cogitatione diſceſſiſſe. Illud poſtremo quod mihi tantopere gratularis, non ſatis quid ſibi velit intelligo. Nec enim quid de ea re Senatus noſter cenſuerit hactenus intellexi. Tu ſi aliquid habes, gratiſſimum mihi erit, ſi me de omnibus feceris certiorem. Vale.

STE-

38 STEPHANO SAULIO

Genuam repente ex Lerina profectus ob adverſam valetudinem, dat Saulio litteras, cui præſertim accepta fert beneficia a Sauliorum gente ſibi collata. Genuæ immorabitur diutius, cum eam urbem nactus ſit recuperandæ valetudini peropportunam. Unum tantum deſiderat, nempe amici dulciſſimi præſentiam.

MIraberis utique, mi Sauli, cum has Genuæ datas cognoveris, quippe qui ante intelliges me huc applicuiſſe, quam ſuſpicari potueris ex provincia diſceſſiſſe. Ita nempe repentina navigatio mea fuit, ut fere eodem die aut certe altero quam id decreveram, ex Lerina ſolverim. Cauſa profectionis noſtræ fuit parum proſpera valetudo, qua nuper graviter laborare cœpi diſtillationis aſſiduæ a capite in pectus acerbiſſima moleſtia, quæ infirmitas non procul abeſſe putatur a vitæ periculo, præſertim cum accedit ſtudiorum labor, & vocis pene aſſidua contentio. Hic mihi præſto fuerunt humaniſſimi fratres tui, ſed quid fratres tuos dicam? univerſa prope Sauliorum gens, me, perinde quaſi te ipſum, excepit, omnibuſque officiis declararunt quam putarent gratum tibi fore talem ipſorum erga me animum. Quo nomine etſi illis tantum debeo, quantum vix animo capere poſſum, id totum tamen tibi acceptum refero, in cujus gratiam hæc omnia fieri certiſſime ſcio. Mirum eſt quam me Cœlum hoc, & aeris clementia non delectarint modo, ſed propemodum illico reſtituerint valetudini, ut jam decreverim menſes aliquot Genuæ immorari, vel certe uſque ad Ordinis noſtri comitia, quæ ineunte æſtate haberi conſueverunt. Veruntamen cum multa hic ſint, quæ me voluptate afficere poſſint, longe tamen magis oblectarer, ſi conſuetudine tua frui liceret, qua, quoniam honeſtiſſimis de cauſis neceſſe eſt carere, crebrius litteris nos inviſemus, nec enim ut opinor ulla deinceps erit ſuſpicio quin fideliſſime reddantur. Scripſi ad te ſuperioribus diebus, magnopere me deſiderare indicem omnium librorum græcorum, qui adhuc formis excuſi eſſent; hunc ipſum ſi opera tua aſſecutus fuero, maximo me deſiderio liberaveris. Nec id ſane difficile futurum opinor, illum enim ſpe mediocris lucri, cum libenter, tum etiam diligentiſſime conficerent ipſimet excuſores. Vale.

39 STEPHANO SAULIO

Amico refert ſe reſcripſiſſe Longolio, a quo litteras accepit eleganter quidem, ſed non ad rem ſcriptas, quibus excuſabat ſe ob non confectum negotium, quod tamen nullo modo ei fuerat demandatum. Priſtinæ valetudini jam reſtitutus interrogat, quare Saulius ſtudiorum ſuorum rationes minus probet.

ACcepi a Longolio noſtro epiſtolam, in qua ſi eloquentiam, ſi amorem, ſi benevolentiam ſpectes, nihil omnino eſt quod addi poſſe videatur. Veruntamen, quod inter nos dicere liceat, non nihil prudentiæ in ea coactus ſum deſiderare. Mirum in modum enim laborat ut ſe mihi purget, quod id negotium non confeceris, de quo conficiendo nunquam a me, nec unum quidem verbum acceperat. Quare, etſi jandiu eſt quod illæ ipſæ litteræ mihi redditæ fuerunt, putidumque mihi pene videbatur nunc demum reſcribere, tamen quod ſuſpicari mihi viſus eſt, animum meum aliquantiſper in honeſtate peccare, nolui prætermittere quin, etſi ſero, aliquando tamen huic vulneri non mederer, nec omnino mihi committendum fuit, ut in noſtri inſtituti homine ejuſmodi macula reſideret. Quod ne antehac facerem, adverſa valetudine, & tædio quodam, non litterarum modo, ſed pene dixerim vivendi, impeditus fui: verebar enim ne moleſtiſſimo hoc morbo, omnia non ſtudia tantum, ſed officia etiam noſtra impedirentur. Epiſtola quam ad ipſum dedi, in litterarum fratris tui faſciculum eſt conjecta, quam cum legeris, magnopere rogo ut quo magis libuerit ſigno obſignatam, reddere ne graveris. Cæterum ſive Genuenſis cœli clementia, ſive medicorum cura ſolerti, ſive, quod caput eſt, Dei tantum optimi benignitate, ſcito me priſtinæ valetudini reſtitutum, ut ne veſtigium quidem ſuperſit laborioſæ illius ægritudinis. Acceſſit fratrum tuorum non humanitas modo, ſed incredibilis amor, & pietas (ut ita dicam) erga me. Quibus ſecundum Deum recuperatam valetudinem me ſemper acceptam relaturum profiteor, & præmeſcro. Verum quoniam in litteris tuis, quas poſtremas accepi, datas V. Calen. Octobris, aſcriptum erat, multa tibi in mentem venire, quare haſce ſtudiorum meorum rationes minus probares, ómnino gratum mihi erit, ſi de ea re aliquid ad me ſcripſeris. Si enim modum te non probare dixiſſes, intellexiſſem utique moderatam rationem ſtudiorum a me requiri. Sed quoniam haſce rationes improbas, nec adduci poſſum ut credam, te omnino a ſtudiis me abſterrere velle, video aliquid, quod, cum a te quid ſuſpiceris intellexero, confeſtim ſcribam. Illud enim tibi perſuadeas velim, nihil apud me antiquius eſſe quam conſilium adhortationemque tuam, quæ a ſumma cum prudentia, tum etiam benevolentia proficiſci intelligo. Vale.

40 A U-

Digitized by Google

40 *AUGUSTINO GRASSENSI*

EPISCOPO.

Poſtquam Longolii laudes uberrime eſt proſecutus, narrat quomodo Longolio eidem, nemine impellente, in mentem venerit negotium agere, quod ab ipſo Gregorius non poſtulaverat, & pro quo ejus opera non indigebat. Eum ſibi dediſſe epiſtolam in hanc rem intempeſtiva gravitate compoſitam, cujus exemplar Graſſenſi tranſmittit, ſicut & alterius, qua illi reſpondit; videri proinde hominem Hippocratis vinculis aſtringendum.

QUanti ego Chriſtophorum Longolium ſaciam, quantique ſemper fecerim, nemo, ut opinor, te melior teſtis, aut lucupletior eſſe poteſt. Meminiſti enim cum primum Venuſinus noſter Roma rediens ejus litteras Græce ſcriptas mihi reddidit, cujus antea nec nomen quidem audiveram, quale fuerit noſtrum de Longolio, deque ejus eruditione judicium, cum tibi affirmare non vererer propediem fore ut elegantes litteræ, orationis incorruptæ candor, & puritas, & quod iis omnibus majus eſt, ſincerum, rectumque judicium, tum demum ipſe ab Italis acceptum in Galliam transferret. Meminiſti præterea, ut opinor, me dicere, eſſe apud vos viros complures excellenti ingenio, atque doctrina, me tamen in tantam ſpem ejus juvenis venire, ut crederem cæteros omnes ab illo longo intervallo ſuperatum iri. Cumque intellexiſſem quoſdam Romæ eſſe, qui illi negotium faceſſerent, confeſtim ad ipſum litteras dedi, quibus hortabar ut Lerinam ſecederet, operamque, & fidem noſtram benigne pollicebar. Quo factum eſt ut paucis poſtea menſibus ad nos venerit, vixeritque nobiſcum dies aliquot, maxima cum familiaritate, & amicitia. Accidit vero, ut ego eo tempore graviſſimis moleſtiſſimiſque curis Cœnobii noſtri diſtinerer, quod cum iniquiſſimo animo ferrem, mirificoque arderem deſiderio ocii, & quietis adipiſcendi, (quod poſtea opera, & beneficio tuo nactus ſum) forte evenit ut inter quotidiana colloquia apud illum eo nomine mirum in modum conquererer, qui, ut ex te poſtea auditum eſt, re ſecum communicata, ſponte ſe cum Pontifice Maximo acturum recepit, daturumque operam, ut cum Pontificis authoritas tanta ſit apud patres noſtros, quanta eſſe debet, ego ejus interventu a curarum moleſtia, quæ animum meum diſtrahebant, liber aliquando fierem, cumque tu pro eo mirum in modum mihi gratularere, negavi mihi opus eſſe illius opera aut labore: habere me Romæ fratrem gratioſiſſimum apud omnes ordines: habere Sadoletum, qui ſanctiſſimo patriæ vinculo, & jure etiam propinquitatis mihi eſſet conjunctiſſimus, quorum gratia, & favore nihil eſſet quod Romæ a

 nobis

nobis confici non poſſet: vetuſtiſſimam præterea ſervitutem mihi cum Pontifice Maximo intercedere, ut nihil eſſet quod nobis de eo polliceri non poſſem. Sed meum ſane de ea re judicium ſemper fuiſſe, uti nequid niſi explorata patrum meorum voluntate fieri deberet: nolle enim me, ne ſi poſſem quidem, quippiam ipſis invitis tentare, ne dicam tranſigere, aut paciſci. Sed quod ſummopere admiror de ejuſmodi cogitatione ſua mecum nihil egit Longolius: quare accidit, ut multo etiam magis admirer, quid ita illi venerit in mentem, nunc demum hanc epiſtolam ad me dare, cujus exemplum ad te mitto, ubi neſcio qua intempeſtiva gravitate, Catonem mihi agere velle videtur, ſed ſunt omnia illa (*a*) οὐδὲν πρὸς ἔπος, ut ſuſpicari poſſis hominem Hippocratis vinculis aſtringendum eſſe. Mitto etiam ad te ejus epiſtolæ exemplum, quam ad Longolium dedi, ut tuum ſit judicium ſatis ne moderate, & abſque ſtomacho ejus ineptias tulerim, qui etiam ſimulat ſe magnopere cupere, ut de ea re excuſationem ejus accipiam, pro qua nihil omnino a me habuerat in mandatis. Poſtremo mihi mirum in modum gratulatur pro adepta animi quiete, hortaturque uti hac in poſterum frui velim, cum mihi ad ſuperioris anni moleſtias nuper etiam acceſſerit, quod tu non ignoras, graviſſimum onus, & longe omnium difficillimum. Prorſus, ut mihi videatur, confiƈto argumento ludere voluiſſe, vimque ingenii ſui, atque eloquentiæ, tanquam in aliqua declamatione experiri. Vale.

41 *DIONYSIO MONACHO* (*b*)

Dionyſii carmina commodum ſuis eſſe adjeƈta, ut qui legant ſuorum maculas minus attente intueantur; minime dolendum cuiquam, quod nonnulli ſui labores perierint, qui abunde a doƈtioribus, & utilioribus aliorum compenſantur. Quodam Saulii Epiſcopi opus in commentarios Euthimii Monachi laudat, ejuſdemque Saulii induſtriam, & ſolertiam, qua Græcos libros undequàque comparat, quibus pervolutatis plenius noſcit Gregorius, quam neceſſaria ſit ſacris litteris Græcæ linguæ ſcientia.

REƈte, atque ordine a te faƈtum eſt, quod muſam noſtram ineptam ſane, atque invenuſtam a candidiſſima, atque elegantiſſima deduci volueris: etſi enim politioris nitidioriſque compatatione maculæ fortaſſe

(*a*) Nihil ad rem; prorſus ab re.

(*b*) Inter Gregorii noſtri amicos prior fortaſſe debetur Dionyſio Faucherio locus. Natione Gallus, patria Arelatenſis in Provincia natus ille eſt anno 1487. Adoleſcens optimas litteras edoƈtus, & ad pietatem compoſitus ad Monaſterium Sanƈti Benediƈti in agro Mantuano convolavit, ibique monaſticis diſciplinis initiatus anno 1508. ſeptem annos ſumma cum laude tranſegit; ſed cum Lerinenſe Cœnobium Congregationi Caſſinenſi unitum fuiſſet, Dionyſius in

ſe omnes illuſtrius ſunt apparituræ, id profecto accidet commodi, quod quicunque eas viſuri ſunt, politioris tuæ admiranda pulcritudine illecti, minus attente noſtram intuebuntur. Poſthac tamen omnino tibi cavendum eſſe cenſeo, ut non ad ejus generis homines carmina noſtra deveniant, qui, ut tu recte de Furnio ſentis, non Lerinam tantum, ſed gladios etiam, atque ignes poſſint adhibere. Quod vero oſtendis te adeo moleſte ferre, quod labores illi noſtri omnino perierint, nequaquam tibi eo nomine tantopere eſt dolendum, cum quod minimæ induſtriæ, & paucarum vigiliarum opus erat, tum etiam quod in eorum locum pleraque aliorum longe doctiora, atque utiliora ſucceſſerunt. Saulio (a) Epiſcopo a te ſalutem plurimam dixi, qui te vehementiſſime amat, tuique viſendi eſt cupidiſſimus. Is nuper commentarios Euthymii monachi in omnes Pſalmos e græco in latinum convertit, opus elegans, ingenioſum, eruditum, & in quod fere omnia, quæ a maximis illis Viris Origine, Didymo, Euſebio, Baſilio, Chryſoſtomo in eo genere ſcripta fuerant, breviter, & miro cum artificio ſunt conjecta. In eo elimando, atque expoliendo nunc aſſiduus eſt, egoque illi miniſter aſſideo. Maximam præterea græcorum librorum copiam, & eorum antiquorum incredibili ſumptu, atque induſtria nactus eſt, partim Roma, Florentia, atque Venetiis, partim etiam e media Græcia allatorum, miraque diligentia operam dat, ut ejus generis ornamenta, non jam ex languenti, ut ille ait, ſed pene funditus deleta Græcia, Genuam transferantur. Sunt jam apud nos fere omnes antiquorum in ſacros libros commentarii, in quibus legendis ea ratione afficior, ut tandem videar mihi occultiſſima myſteria, atque ut ita dicam adyta penitus ingredi poſſe, & nunc demum intelligo, quam nihil ſcire poſſint in ſacris litteris, qui græcæ linguæ omnino ſunt ignari. Hæc iccirco ad te ſcribere volui, ut conjectura aſſequerere me hujus loci atque ejuſmodi conſuetudinis cupientiſſimum eſſe. Vale.

in eam Inſulam trajecit una cum Gregorio circa annum 1516. Fuit non minus ſanctimonia vitæ venerabilis, quam omnigena doctrina conſpicuus, ut ipſamet ejus opera eloquentiſſima ſimul & piiſſima teſtantur. Quamvis in ſacra ſtudia totus incumberet, coactus fuit in ultima ſenecta Prioris munus ex obedientia ſubire in eodem Lerinenſi Monaſterio, quo tempore ſeveriorem diſciplinam ex regulæ præſcripto ſedulo promovit, & eam Taraſcone in monialium Cœnobio, quarum aliquandiu curam geſſit, magna conſtantique diligentia reſtituit, eiſdem monialibus ad morum perfectionem ſimul, & quod admodum rarum eſt ad optimarum litterarum amorem inflammatis. Tandem ætate, ac laboribus confectus, meritiſque onuſtus vita functus eſt apud Lerinam anno 1562.

(a) Philippus Epiſcopus Bruniatenſis patruelis frater Stephani, de quo ſupra Annotatione ad pag. 47.

42 *DIONYSIO MONACHO*

Cum ſibi redditæ non fuerint Dionyſii litteræ, quibus monachum ad ſe venientem comitabatur, dolet Gregorius tum quod illis caruerit, tum quod ob eam rem morem non geſſerit amico, quem plurimi facit; ei de præſenti valetudinem nuntium affert.

REcte ſuſpicaris, mi Dionyſi, litteras tuas nobis redditas non fuiſſe; quem quidem caſum & tuli, & fere moleſtiſſime. Carui enim oblectatione maxima, qua in legendis litteris tuis affectus eſſem, & quod præterea amici diem perdidi. Si enim Monachus ille qui huc appellere debuit quippiam opis vel gratiæ noſtræ indiguiſſet, etſi ejus generis omnia in me ſunt, ut Lucretii verbo utar, parviſſima, cognoviſſet tamen quanti Dionyſium meum faciam. Ejuſmodi enim eſt amor in te meus, ut dum tibi morem geram, nihil mihi arduum, aut difficile videri poſſit. Alterum vero, quod ſcribis te ingenti mei deſiderio affici, ſi omnino lex ea amoris eſt, ut amantes redamare cogamur, & in eo potiſſimum pares facere utriuſque paginæ rationes, ex animo meo facio animi tui conjecturam. Cæterum de valetudine non adeo incommode mecum agitur, ſive id clementia Cœli, ſive medicorum ſolerti cura, ſive, quod caput eſt, quod omnibus aliis curis vacuus, huic præcipue incumbo, ut accepta valetudinis incommoda aliquando reſarciam. Poſtridie ejus diei, quo hæc ad te ſcripſi, arrepturus eram iter Romam verſus. Vale, & fratres omnes a me ſalvere jube.

43 *FEDERICO FREGOSIO*

ARCHIEPISCOPO SALERNITANO. (a)

Parendum omnimode arbitratur Gregorius Ordinis Principi, qui jubet eum Romam proficiſci nulla recepta excuſatione; cum tamen hoc alienum ſit ab iteratis ſuæ regreſſionis pollicitationibus, veniam petit, quam optat impetrare, de ea quæ certior fieri.

CUM eo quidem animo a te diſceſſerim; ut non ultra viginti, aut ad ſummum triginta dies abeſſem, Mutinam abſque itineris moleſtia tuo potiſſimum beneficio decima die perveni, rebuſque, quarum gratia

(a) Federicus, de quo ſæpiſſime in ſubſequentibus Epiſtolis mentio fiet, patrem habuit Auguſtum ex perilluſtri familia Genuenſi Fregoſia, matrem Gentilem de Monte Pheretrio, fratrem Octavianum, Genuæ antea Ducem, poſtea Gubernatorem. Inſtitu-

tia adveneram, compoſitis, jam ea, quæ ad regreſſionem pertinent parare cœperam. Cum mihi redditæ ſunt litteræ a Principe Ordinis noſtri, in quibus erat aſcriptum, ut ſalutatis affinibus, quam primum Romam proficiſcerer. Ego vero, etſi ternas jam ab eo de ejuſmodi profectione litteras acceperam, ejuſque auctoritati oppoſueram & longitudinem itinerum, & corporis imbecillitatem, rurſuſque ille nullam ſe excuſationem accipere reſcripſerat, ſtatueram tamen apud ipſum denuo me excuſare: a compluribus tamen admonitus, hanc quam ego excuſationem appellarem, poſſe aliquos contumaciæ nomine criminari; ſtatui mihi omnino parendum eſſe non prius tamen quam ad te litteras dediſſem. Video enim me in ejuſmodi anguſtias conjectum eſſe, ut me ipſum inde explicare pene ſit difficillimum, niſi tu qua ſoles humanitate, negotium meum & ſuſceperis, & confeceris. Primum qnidem ne tu ipſe me, quod conſilium immutarim, immutatæ etiam voluntatis expoſtules, quam noſti omnino ex aliena voluntate pendere. Deinde cum tibi perſuaſeris, me ejuſmodi profectionem invitum ſuſcepiſſe, idipſum etiam Principi noſtro perſuadeas. Cujus quamquam mihi perſpectiſſima eſt humanitas, cum tamen cogito quibus me verbis abeuntem proſecutus eſt, & quid ego de regreſſione mea pollicitus fuerim, nec iſta quidem graviſſima, & honeſtiſſima cauſa ſatis momenti apud eum habitura eſſe videtur, ut non aliquid ab eo peccaſſe judicer. Occurrit poſtremo noſter Theocrenus, qui cum diſcederem, etiam breviſſimum illud tempus, quam longiſſimum ſibi videri dixit. Quare, ut abſque magna animi mei moleſtia, iter hoc conficere poſſim, eatenus Mutinæ ero, quoad a vobis mihi litteræ reddentur, quibus intelligere poſſim me apud vos ſufficienter excuſatum fuiſſe. Romæ vero, ut idem ille Princeps noſter ad me ſcripſit, non amplius decem, aut duodecim diebus commorandum erit, poſtea

ſtitutionis ejus curam habuit avunculus Guidobaldus Urbini Dux, quo procurante, a Julio II. Pont. Max. Archiepiſcopatum Salernitanum obtinuit. Pro Genuenſi Rep. Orator fuit ad Leonem X., cumque Civitatis moderator evaſit Octavianus frater, Gallis annuentibus, Genuam rediit Fredericus, ut illi tanquam conſiliarius adſtaret in rebus publicis adminiſtrandis. Maritimæ Claſſis ductor piratam Corrogolium profligavit, qui Liguriam univerſam vexabat. In direptione Genuæ, cum in captivitatem incidiſſet Octavianus, Federicus parvam naviculam conſcendit, ex qua cum vellet ad navem Gallicam tranſire, in mare decidit, & fere aquis ſubmerſus eſt. Franciſcus I. Galliæ Rex honorifice eum excepit; & S. Benigni Divionenſis Abbatiam illi contulit, in qua aliquando conſticit. Ope Græcæ, & Hebraicæ linguæ, Sacrorum Librorum lectioni ſe totum dedit, & Chriſtianæ pietatis exercitationibus. Reverſus in Italiam Eugubino Epiſcopatu honeſtatus fuit, in quo ſeduli paſtoris partes explevit, & non niſi vi coactus paſſus eſt Cardinalium Collegio adſcribi a Paulo III. anno 1539. Eugubii deceſſit III. Id. Julii anno 1541. Scripſit librum de modo orandi, meditationes in Pſalmum 30., & 145: orationem ad Januenſes, & plures Epiſtolas. Ejus cum laude meminerunt Folieta, Ughellius, Guicciardinius, Contelorius, aliique permulti.

poſtea Piſas, & deinde litorali via ad vos quam ociſſime advolabo. Et quoniam mula hæc qua vectus ſum ita commodo, & molli eſt inceſſu, ut illi ſecundum te proſperam valetudinem acceptam referam, ſummopere optarem, ſi tamen commodo tuo fieri poſſet, eadem rurſus Romam vehi, & inde ad vos revehi. Dabo enim operam quod & hactenus ſeci, ut quam diligentiſſime curetur. Vale.

44 F. FREGOSIUS

ARCHIEPICOPUS SALERNITANUS

GREGORIO S.

Dat Gregorio veniam quam exquiſivit, Federicus, qui feret æquo animo ejus reditus tarditatem, eam non ex proprio, ſed ex amici commodo metiens, & optans ſolummodo deſiderium imminui epiſtolarum frequentia.

CUM te ipſum jam expectaremus, ecce nobis redditæ ſunt litteræ tuæ Mutinæ VII. Calen. Decembris datæ, quibus plane intelleximus te non minorem redundi voluntatem habere, quam eundi habueris neceſſitatem, quorum hoc æque gratum fuit, ac fuerat illud moleſtum. Sed quia reditus tuus, Romanæ profectionis cauſa, longius relabi videbatur, quam quod nos animo concepiſſe arbitrareris, humaniſſime a te factum eſt, quod de tuis rebus nos certiores facere conſtituiſti voluiſtique tandiu Mutinæ eſſe, donec noſtræ quoque tibi litteræ redderentur. Putabas enim nos tarditatem reditus tui, noſtro deſiderio non tuo commodo metiri, quod plane falſum eſt, propterea nihil eſt, quod de noſtra voluntate dubites, noſque de tua dubitare ſuſpiceris. Nam etſi adventus tuus nobis expectatiſſimus eſt, ut etiam pro Octaviano fratre meo loquar, non ideo tamen voluptatem noſtram neceſſitati tuæ anteponendam eſſe cenſemus. Quare perge quo vocaris, nec noſtri te cura ſollicitet. Tantum, hoc ſolatium nobis a te tribui cupimus, ut quam ſæpiſſime tuis litteris nos inviſas, deque tuis rebus facias in dies certiores. Nihil enim præter adventum tuum, nobis jucundius accidere poteſt. Reliquum eſt, ut cum Romæ fueris, Jacobum Sadoletum civem tuum meo nomine quam plurimum ſalvere jubeas, deque nobis illi polliceri velis, quæ a fidiſſimo amico, & ab amantiſſimo contubernali provenire poſſunt. Ad ea vero, quæ nobis de mula, qua hoc itinere uſus es ſcripſiſti, Theocreno noſtro reſpondendi partes reliquimus, qui etiam otioſius quam nos facere poſſumus, cætera ſuis litteris complectetur. Vale, & me mutuo dilige.

Digitized by Google

45 BENEDICTUS THEOCRENUS

GREG. S.

Gregorium Romam proficiſci cum innotuerit Theocreno, ejus abſentiam ægerrime fert, quam noxiam ſentit ſtudiis, in quibus dux ſibi, & prælector fuit Gregorius. Solatium affert ſpes eam non admodum produci. Indicat ei a Fregoſio dono datam eam mulam, qua commode vectus eſt, & ejuſdem Fregoſii nomine optat eum Romæ prudenter perquirere Nicolai cujuſdam mores, comitatem, ingenium.

EX iis litteris, quas ad me Mutina proxime dediſti, non intelligebam quæ te cauſa, cum affuturum jam jam ſperarem, in urbem ab noſtra tam certa expectatione traheret: ita breviter eam profectionem in extrema pagella proponebas. Non poteram tamen quicquid tibi videretur decernereſve non probare, cum ſemel mihi perſuaſerim, tibi omni in re conſilii tui conſtare rationem. Dedit poſtea legendam mihi Epiſtolam, quam ad ſe eodem die ſcripſiſſes, Federicus princeps meus, quæ copioſe, ut factum oportuit, rem totam continebat. Ego, Gregori, licet videam quod tibi a Pontifice tuo iniungatur, non poſſe id te ſine grandi flagitio deprecari, ſciamque nolenti fieri, quod tandiu nobis careas: ægerrime tamen fero conſuetudine tua defraudari me, & inſigni illo fructu ſtudiorum meorum, quæ quidem abs te maximopere juvari, & ali, vel tu ipſe qui de te modeſtiſſime ſentis nunquam negaſti. Perceptum enim ſemel tantum bonum abrumpi, aut etiam intermitti cum acerbum, tum valde inutile, ſi præſertim quædam ſint, aut potius multa, quæ ſine prælectore aſſequi nequeamus. Nam omnis philoſophiæ, cujus candidatum apud te profeſſus ſum, ſcientiam ita in arduo poſitam video, ut undecunque ad eam ſine aliquo duce, & prævio ingredi parem, materiæ difficultate deterrear: te unum Deus mihi obtulit, a quo certiſſimum ad tantam rem adeundam auxilium expecto, præterea a nemine. Itaque quicquid illud eſt quod propoſitum noſtrum tam laudabile morari poſſit, id nos vehementer ſollicitos habet, atque angit. Quod an ita ſit, quis te melius dijudicaverit? qui niſi aliquando eadem expertus eſſes, non mehercle tam ſæpe operam tuam, tamque promptam ultro mihi ſpopondiſſes. Sed illud me aliquantulum conſolatur, quod non ultra Id. Februarias abfuturum te recipis. Quas ego ob id toto animo complexus, ita jam amo, ut natali meo chariores habeam: ſemper vero quoad vixero celebraturus, ſi mihi hic tecum (ut ſpero) illuxerint. Quod ad mulam attinet hactenus conveniri ſe Federicus paſſus eſt, ut quod commode te vexerit mire gaviſus, eam tibi jam, tum inde cum diſceſ-

ſiſti abs ſe dono datam diceret: ſic enim tum ſtatuiſſe; ut ſi tibi in iſto itinere uſui ea foret, perpetuo tua foret. Quamobrem ſalva modeſtia jam reſpuere eam non potes: ne talis viri qualecunque munus faſtidire videaris. Cupit ille magnopere, ut Nicolaum Judecum, cum primum in urbem perveneris, familiarius adeas, atque ab eo poſt inſtitutam amicitiam diligenter quæras, an in urbe perdiu futurus ſit, an alibi, ſi qua honeſta conditio proponatur, eſſe malit quam Romæ. Tum ſedulo intueare, quæ tua eſt ſolertia, qui mores ſint in homine, quæ comitas. Hæc tamen omnia ita ſunt tibi tractanda, ut non ſubornatus, neque alterius impulſu, ſed tua ſponte intelligere velle videaris. Sic enim ut fiat, præſentes Federici rationes expoſtulant. Supervacuum pene fuerit illud te monere, cum ſingula ſpeculatus fueris, uti quam ociſſime ad nos ſcribas, cum te hoc in genere vel maxime omnium hominum impigerrimum ſemper compererim. Octavianus Princeps cum hæc ſcriberem ex podagra decubabat, non illa tamen adeo gravi, aut violenta. Reliqui omnes qui te amant, aut potius norunt (nam quicunque te norunt iidem amant, ac ſuſpiciunt) bene valent, præter unum Stephanum Spinulam, qui pridie Cal. Decemb. morbo articulari aliquandiu ſolito gravius afflictatus diem obierat, quod te omnino ſcire oportere exiſtimavi. Vale.

46 *STEPHANUS SAULIUS*

GREGORIO S.

Gregorii amicitiam eo magis expertus in curando negotio ei commiſſo, optat vehementer, ut contingat aliquando ſimul vitam agere, ejuſque amore perfrui, quod tamen præſentes curæ ſperare non ſinunt.

HOdie, ideſt ad XV. Kal. Aprilis, accepi Epiſtolam tuam quam tū V. Nonas Martii Florentiæ dederas; cum qua & exemplum ejus decreti mihi redditum eſt, de quo tibi proficiſcenti mandaveram, & polliceris te ſummo ſtudio, labore, ac diligentia curaturum omnia, quæ ad illam cauſam pertinere intelliges. Quid eſt, mi Gregori, quod aut te horter ad ea, quæ ſponte tua facis, aut gratias agam, quod amicitia noſtra, quæ ad ſummam benevolentiam jampridem pervenit, non expectatur? Tantum velim Deus Opt. Max. det nobis facultatem, ut una aliquando in ocio vivamus, ac amore noſtro perfruamur. Quando autem, quod te ſcire velle oſtendis, & ubi id futurum ſit, non facile eſt judicare. Ea enim nunc nobis molienda, atque tractanda ſunt, quorum exitus conjectura minime provideri poteſt; interim tuas litteras ſemper maxime expectabimus, quibus ullas cave putes me gratiores legere. Vale.

47 FE-

47 FEDERICO ARCHIEP. SALERN. (a)

Ter dies complures Romæ occupatus in ſalutandis, & conveniendis doctis viris, quorum jam fruitur conſuetudine, nunc tandem dat, & dabit in poſterum litteras. Genuam non redibit ad condictam diem ob Fratris, & Nepotis familiaria negotia, quibus arbitratur nonnihil temporis concedendum. Gratulatur tandem Federico de ampliſſimo, maximoque Sacerdotio illi commendato.

QUod poſteaquam Romam veni nullas ad te litteras dederim, non ea cauſa fuit, quod amoris tui erga me, aut beneficentiæ oblitus, ab officio aliqua ex parte diſceſſerim, ſed quod dies complures in ſalutationibus, & conveniendis doctis viris conterens, nihil temporis mihi reliquum feci ad munus illud obeundum, quod profecto rebus omnibus antevertere ſtatuiſſem, niſi me humanitas tua mihi jamdiu perſpectiſſima ſatis perſuaſiſſet, nihil tibi gratius futurum, quam ut viros, qui illam ipſam humanitatem profitentur, & convenirem ſæpiſſime, & mihi quam arctiſſime conciliarem. Nunc vero quando videor mihi id quod ſummopere concupieram aliqua ex parte aſſecutus, ut docti fere omnes, qui in urbe ſunt, non modo mihi de facie ſint cogniti, ſed quotidiana etiam devincti conſuetudine, nihil apud me erit antiquius, quam ut te ipſum, & Principem meum Octavianum quam creberrimis litteris inviſam. Nam ut Genuam ad condictam diem reverti non poſſim, faciunt & Fratris, & Nepotis mei negotia familiaria, a quibus, etſi omnino animus meus abhorret, inhumanum tamen arbitratus ſum, non aliquot ſaltem dies

(a) Alicui fortaſſe videri poſſet hanc Epiſtolam datam fuiſſe anno 1539., quo Fregoſius a Paulo III. in Cardinalium Collegium fuit cooptatus; hic enim Fregoſio Corteſius gratulatur *ampliſſimum Sacerdotium*. At ſi ſingula, quæ habentur in Epiſtola, perpendantur, ea anno 1539. convenire non poſſe apparebit.

Epiſtola loquitur de Octaviano fratre Federici, quem tamen longe ante annum 1539. deceſſiſſe vero ſimilius apparet. Gregorius ait ſe poſt aliquod tempus profecturum Genuam, eum de hac profectiono anno 1539., nunquam cogitaſſe videatur, & e contra Genuam revera iverit eirciter anno 1522. Inſuper Federiei nomine cum Genua Theocrenus Gregorio eommiſiſſet diligenter quærere de quodam Nicolao Judeco, in hac Epiſtola Gregorius ait de illo ſcribere ſe ad Theocrenum. Theocrenus autem anno eirciter 1524. in Gallias perrexit, ut alibi innuitur. Itaque Sacerdotium, quod Fregoſio gratulatur, fortaſſe vel eſt Eugubinum, quod licet Ughellius collatum illi aſſerat anno 1508., aliis placet longe ſerius, vel probabilius eo nomine intelligit Abbatiam S. Benigni Divionenſis, qua circa ea tempora inſignitus fuit a Franciſco I. Galliarum Rege. Atque ita hoc loco intelligendum eſſe verbum illud *Sacerdotium* arbitramur etiam, tum quod nullibi reperiatur nomen *Cardinalis*, quod occaſione hujus dignitatis non videtur admodum vero ſimile, tum quod gratulatur Gregorius illis, qui novo hoc Sacerdotio Fregoſii curæ committuntur, cum tamen Cardinalibus ex hoc tantum nomine nullius peculiaris plebis cura committatur.

Digitized by Google

dies tantæ conjunctioni impartiri. Cæterum ne præſens tibi gratularer de ampliſſimo, maximoque Sacerdotio, quod virtutibus tuis commendatum eſſe nemo ambigit, niſi ſi quis ab omni virtute eſt penitus alienus, inviderunt ea ipſa negotia. Gratulor tamen, ut debeo quam plurimum, nec tibi modo, ſed & illis ipſis, quibus conceſſum eſt, ut ex optimis moribus, & virtute tua quam plurimum fructum percipiant, in quorumque animos vim, poteſtatemque habes. Deumque Optimum Maximum rogo, & oro, ut tibi id Sacerdotium ita fortunet, ut cum illud diu, recteque adminiſtraris, tandem ſeptus frequentiſſimis turbis eorum, qui cura tua ſervati erunt, meritum de hoſtibus triumphum ducens, cæleſte Capitolium victor poſſis aſcendere. Vale. Quid hactenus confecerim de Nicolao Judeco, ſcripſi ad Theocrenum noſtrum diligentiſſime.

48 *BENEDICTO THEOCRENO*

Roma diſceſſerat Genuam illico profecturus, & conſilii hujus ſui certiorem fecerat Theocrenum. Coactus mutare conſilium partim ægræ valetudinis, partim negotiorum cauſa, rationem reddit inconſtantiæ ſuæ, eamque optat reddi ſuis principibus, Genuam cæterum reverſurus, cum primum licebit.

QUod me neſcio quo pacto ſuppuderet inconſtantiæ litterarum mearum in his, quæ reverſionem meam ad vos ſpectant, longiſſimumque eſſet rationem reddere toties immutati conſilii, eo, mi Theocrene, fui tardior ad ſcribendum. Cum enim circiter Kal. Maii eo conſilio ab urbe diſceſſiſſem ut littorali via nihil interrupto itinere Genuam proficiſcerer: nondum recuperata priſtina valetudine, medicorum, qui Florentiæ ſunt, hortatu, mutata itineris ratione, ad Aquarianas balneas profectus ſum, quæ me occupatum ſexaginta, & eo amplius dies habuerunt. Succeſſit deinceps mulæ noſtræ ægritudo, & illa quidem adeo gravis, ut nec ad hanc diem ita convaluerit, ut ea commode uti poſſim. Etſi hoc ipſum moram fortaſſe reverſioni meæ allaturum non fuiſſet. Licet enim ejus potiſſime inceſſus imbecillitati meæ adeo accommodatus ſit, ut fere non alio vectore æquo animo uti poſſim, facile tamen fuiſſet conducto navigio Mutina Papiam ſubvehi, niſi eiſdem fere diebus litteras accepiſſem a Pontifice, ut Ferrariam quamprimum proficiſcerer. Ibi vero compoſitis quibuſdam cum Principe negotiis, ad XIV. Kal. Auguſti Patavium veni, ubi diebus aliquot doctorum virorum utar conſuetudine, deinceps Mutinam reverſurus, & illinc continuo ad vos advolabo. Habuerunt me in his, quæ ad reverſionem meam ſpectant, magnopere anxium tumultus bellici, & ſuſpecta undique itinera, quoque magis etiam movebar, audita iſtinc, dicam audacter, patriæ meæ diſcri-

diſcrimina. Cur enim eam patriam non appellem, quam gratiſſima complurium conſuetudo, ipſa etiam Mutina mihi gratiorem, cariorem-que reddidit, ut eam mihi potiſſimum in patriam cooptarim? Omnino quandiu a vobis abſuturus ſim, nec conjectura aſſequi poſſum, nec ſi poſſim, ſatis auſim ſcribere, magnopere timens ne denuo immutati conſilii a vobis expoſtulari poſſim. Illud certe audeo affirmare, cum primum per bellicos tumultus mihi licitum fuerit, me continenti itinere Genuam profecturum. Id vero ſi ſerius acciderit quam vellet uterque noſtrum, animo quidem certe, deſiderio, voluntate, ne momento quidem temporis me a te ſejungi poſſe certiſſime te opinari volo. Etſi principes noſtros negotiorum magnitudo non ita diſtinuerit, ut id ipſum quoque impedimentum aliquod illis allaturum videatur, gratiſſimum mihi erit, ſi ipſis rationem hanc diutinæ abſentiæ noſtræ longius explicaveris. Vale.

49 *STEPHANO SAULIO*

Patavium divertens non reperit ibi Saulium, ut putabat, ibique novit ejus fratris interitum. Idcirco ſatagit ſolatium ferre tum aliis modis, tum præſertim rationibus ductis ex Chriſtianæ Philoſophiæ præceptis, & remediis.

CUM aliquando Mutina Januam profecturus eſſem, a Principe ordinis noſtri Patavium accerſitus, iccirco libentius, & alacrius parui, quod deſideratiſſima tua conſuetudine (qua nihil mihi gratius, aut utilius accidere poteſt) propediem me fruiturum ſperabam. Veruntamen longe aliter ac deſideraveram cecidit: duplici enim moleſtia ex adventu meo in hanc urbem affectus ſum, & quod te abeſſe repperi, & quod de morte viri optimi fratris tui acerbiſſimum nuncium accepi. Quare, quod mihi facere non licuit, ut te præſentem alloquerer, & tanto vulneri fidiſſima ſaltem apponerem medicamenta, idipſum per litteras tentare decrevi; magis ſane officii ratione habita, quam quod aliqua ex parte neceſſarium arbitrarer. Tum quod te virum maxima prudentia, & fortudine, & qui aliis dare conſilium conſueveris, conſolari ineptum plane eſſe videbam; tum etiam quod ex longinquitate temporis, conjecturam faciebam, diem ipſam acerbo illi vulneri cicatricem obduxiſſe. Accidit vero ut mihi litteras, quas ad ſe poſtremo de eadem re dediſti, vir doctiſſimus, & tui amantiſſimus Chriſtophorus Longolius oſtenderet, quibus intellexi non omnino ingratum tibi futurum, ſi nunc demum etiam de eodem negotio aliquid ad te ſcriberetur. Ego quidem, Stephane, ſi me graviſſime commotum pro tanti viri obitu negavero, tum demum te quoque commoveri non debuiſſe contendam. Quod certe ſcio me nequaquam illis perſuaſurum eſſe, qui quantopere illi de-

be-

Digitized by Google

berem, & quam ſancte illius colerem amicitiam, tandiu perſpectum habebant: vix enim fraterno amori mihi videbar in eo amando concedere. Verum cum ejus caſtiſſimos mores, & ſanctiſſime ad id ætatis actam vitam conſidero, quantaque pietate Chriſtianam religionem coluerit, ut ſemper fragilia hæc, & ex fortunæ nutu pendentia, præ cœleſtibus illis bonis duxerit poſthabenda, ſi vera ſunt (ut ſunt profecto) quæ de animorum immortalitate, & ſempiterna gloria eorum, qui ex Chriſtiana religione vixerunt, a vera nobis philoſophia ſunt tradita, mihi quidem non modo veriſimile ſit, ſed, ut ita dicam, certiſſimum, fratrem tuum divina illa frui beatudine, qua perfectiorem, aut diuturniorem nec cogitari quidem a nobis poſſe nemo eſt qui ambigat. Eoque magis illi gratulari debemus, quod non immatura morte, ut vulgo perſuaſum eſſe video, abreptus eſt: ſed in ea potiſſimum ætate mortem hanc noſtram cum cœleſti illa vita commutavit, in qua omnibus id ipſum aſſequi, pars maxima beatitudinis exiſtimari poſſe videatur. Ut enim omittam incommoda illa, quæ ſecum affert ætas jam ingraveſcens, ut vitæ hujus & frequentiſſimas, & maximas calamitates, non ne illud certiſſimum eſt, divinum animum noſtrum a Deo Opt. Max. ſincerum, & ab omni labe immunem productum, teterrimarum ſordium, & terreſtris corporeæque hujus concretionis magis magiſque in dies contagione inquinari? Quare eſt quod fratri tuo vehementer gratuler, & pro relicta hac laborum, dolorumque regione, & pro adepta illa cœleſti, & veris gaudiis refertiſſima patria. Eſt etiam quod tibi, ſi ea animi firmitate, qua mihi perſuaſum eſt, & quæ reliquis vitæ tuæ actis eſt conſentanea, poſtremo qua certo debes, fortunæ hunc acerbiſſimum ictum toleraveris. Illud magis in animis, cogitationibuſque noſtris inſidere debet, nos propediem eos, qui bene, beateque, & velut quotidie morituri, vixerunt, ſi idem conabimur, aſſecuturos eſſe. Quod certe faciemus, ſi veræ philoſophiæ noctes, dieſque intentam operam dederimus, quam non aliam profecto eſſe quam mortis aſſiduam cogitationem, ſatis ut opinor mihi, tibique eſt perſuaſum. Vale.

50 STEPHANO SAULIO

Saulii litteris longo jam tempore carere ægre fert Gregorius; qui tamen id longinquitati, tabellariorum fidei, vel etiam ſtudiorum aſſiduitati tribuit. Multa interrogat de litterarum ſtudiis apud Patavinos; ſe porro ſtudiis commodius vacaturum, cum per otium licebit, quod a publicis muneribus impetraturum ſe confidit. De amicis quibuſdam honorifice loquitur.

ETSI propter lccorum diſtantiam nihil hactenus amorem noſtrum imminuium eſſe, ex me ipſe certiſſime intelligo, hoc certe incommodi

modi longinquitas hæc in amicitiam invexit, quod uterque noſtrum rarius ab altero litteras accipit. Nam quod abs te, ex quo Genua diſceſſiſti, nullæ mihi redditæ fuerint, malo id quidem fidei tabellariorum; quam vel oblivioni, vel negligentiæ tuæ aſcribere, qui adeo diligenter, & ſanćte amicitiæ jura omnia cuſtodire ſolitus es, ut nullus in te ſit oblivioni in eo genere, aut tarditati locus, præcipue cum ad te jam binas dederim. In eam igitur opinionem veni, ut ſuſpicer, vel quas ſcripſiſti ad nos non eſſe delatas, vel rurſus noſtras ad te minime perveniſſe. Quorum utrum minus vellem, non facile dixerim. Quod ſi forte gravior quæpiam honeſtiorque cauſa tibi reſcribendi facultatem ademit, feram id quidem æquo animo, patiarque me interim incredibili illa voluptate, qua in legendis litteris tuis affici ſoleo, ad tempus privari. Hæc vero nulla alia eſſe poteſt quam ſtudiorum aſſiduitas, a qua omne tibi tempus ſurripi tantopere lætor, ut non magis acceptis litteris tuis ſim gaviſurus. Si vero ſatis & ſtudiis tuis; & deſiderio meo diligentia tua fieri poſſet, nemo me beatior. Ardeo enim cupiditate incredibili, intelligendi abs te potiſſimum, an iſtic bonarum litterarum ſtudia regerminent: cui præcipue diſciplinæ te totum tradideris, an quod magis opinor circa orbem illum laudatiſſimum verſeris aſſidue: ſi quos tibi viros hactenus conciliaſti ingenio, doctrinaque excellentes, & complura ejuſmodi, quæ ſi ſimul eſſemus, intér nos colloqueremur. Ego vero in proximis Reipub. Caſinatum Comitiis vacationem a publicis muneribus impetraturum me eſſe confido; id enim petii & enixiſſimis precibus, & compluribus ab honeſto utilique ductis argumentis. Quod ſi extorquere potuero, ita me deinceps ſtudiis bonarum litterarum dedam, ut quod hactenus temporis aliud agenti elabi potuit, etſi non revocare, certe diligentia, & ſedulitate compenſare poſſim. Jamque idoneum ſeceſſum ipſa etiam Lerina amœniorem, ſalubrioremque maxima cura Graſſenſis meus mihi præparat; cui cum ob innumera alia beneficia in me, tum præcipue hoc nomine tantum debeo, quantum vix animus meus capere poteſt. Veruntamen, ut deinceps res ſeſe habebunt, fies a me in dies certior. Longolium noſtrum, ſi jam tecum eſt, a me ſalvere jube, ad quem etiam litteras dediſſem, ſi mihi eſſet exploratum ipſum eſſe Patavii. Illud præterea te nolo ignorare, quod apud nos per triduum fuit Theocrenus noſter, cujus & eruditione, & comitate ita delectatus ſum, ut vix nunc abſentis deſiderium ferre poſſim. Longus mihi de te cum illo ſermo fuit, & de Lazaro Vercetino viro doctiſſimo, de quo tu jam antea ad me ſcripſeras. Cui ſi me totum tradideris, tam mihi erit gratum, quam a me ſcis doctorum virorum non modo deſiderari, ſed ambiri etiam amicitiam. Vale.

51 FE-

51 FEDERICUS FREGOSIUS GREGORIO S. (a)

Non dedit litteras, ne amico amici ærumnas graviores redderet; cæterum eas fuiſſe graviſſimas, neque noſſe ſe quem finem ſint habituræ, paratum tamen perferre omnia placate, & fortiter.

SCripſiſſem equidem ad te jampridem hiſtoriam itineris mei poſteaquam a te diſceſſi, ſi quid jucundi tibi ejus narratio afferre potuiſſet, ſed cum eo te animo erga me affectum exiſtimem, ut quæ mihi permoleſta ceciderint, ea tibi quoque non jucunda duceres, malui ejus itineris ſucceſſus alienis rumoribus quam meis litteris ad te deferri, præſertim cum ex ea moleſtia, quam fama fortaſſe conceperas, nihil noſtræ litteræ detrahere poſſent. Quapropter & in hunc uſque diem nihil ad te litterarum dedi, & modo cum has dem, nihil de rebus ſuperioribus loquar. De futuris autem unum habeo dicere, me nondum conjectura aſſequi potuiſſe, non ſolum quemnam finem hoc tædioſiſſimum bellum ſit habiturum, ſed nec quem ego potiſſimum deſiderare debeam: Cum ex utriuſcunque victoria multum mali patriæ meæ, quæ mihi, ut noſti, quamvis extorri cariſſima eſt, imminere putem, mihi autem ipſi nihil boni. Sed cum ego his moleſtiſſimis curis angar, hoc tamen te ſcire volo quemcunque exitum non ſoium meis, verum etiam univerſis rebus fortuna ſtatuerit, me fortiter, ac placate laturum. Interim una tantum me ſpe conſolari, ea ſcilicet quæ modo nutantia, ac pendentia cernimus aliquo brevi caſura, ubi propter defeſſas hominum vires aliquandiu jacere neceſſe ſit. Sed de hoc viderint hi, qui aliena ſemper for-

(a) Ad uberiorem Epiſtolarum ſubſequentium intelligentiam præmittimus, quod jam ab anno 1499. Ludovicus XII. Galliæ Rex Genuam obtinuerat. Civitas ab eo defecit anno 1506., at anno inſequenti iterum venit in ejus poteſtatem. Qui eam tenuit pro Gallis expulſus fuit anno 1512., atque Dux conſtitutus fuit 13. Kal. Julii Joannes Fregoſius, quem proxime ſequenti anno denuo expulerunt Galli. Id præſtiterunt auxilio, & opera freti Adurnorum, & præcipue Antonii. Hunc a Gallis ejectum Civitatis Adminiſtratorem citiſſime ejecit populus, qui tum elegit Ducem Octavianum Fregoſium. Hic tamen, ut majora pericula averteret; opportunum putavit Civitatem Galliarum Regi ſubjicere. Galliarum Rex moderatorem conſtituit eundem Octavianum, qui eam ſapienter, & ſagaciter moderatus eſt ad annum uſque 1522. Hoc anno capta fuit civitas undecimo Kal. Aprilis ab armis Caroli V. Cæſaris, ductore Marchione Peſcaria. Incredibile dictu eſt, quam ſævum excidium perpeſſa ſit. Franciſcus I. anno 1527. eam recuperavit, ſed tamen Andreas Auria in ſtabilem libertatem vindicavit.

Hæc itaque, & ſubſequentes Epiſtolæ; quæ de hujuſmodi excidio agunt, ad annum pertinent 1522.

Digitized by Google

fortuna reguntur; ego vero non dubito inter ipſa media bella pacem mihi brevi pariturum. Cogor tamen hic apud Taurinos, quo, poſtea quam Regem allocutus ſum, me recepi, tantiſper immorari, donec veriſimilem ſaltem aliquam excuſationem nactus fuero, per quam mihi liceat ab hujuſmodi caſtrenſi tumultu quam longiſſime abeſſe; nec omnino me ſpes deſerit fore, ut quod hiemis ſupereſt apud vos, ideſt Niceæ, tranſigam, unde ego te convenire facillime potero. Quicquid vero ipſe de me ſtatuam, ſi certos nuncios offendero, faciam te certiorem. Cætera coram. Vale, ac me ut facis dilige; utriſque iſtis, qui apud te ſunt, omni laude dignis, meis verbis ſalutem dicito, ita tamen ut Joanni Baptiſtæ quamplurimum ſalutis impertias. Iterum vale.

52 FEDERICO ARCHIEP. SALERN.

In graviſſimis calamitatibus, patriæ ſcilicet direptione, amicorum, & familiarium exilio, & interitu, propria e patria ejectione, imperii everſione, fortunarum rapina Fregoſio ſolatium ferre curat, quem tamen, ut eſt forti animo, eo non admodum egere autumat Gregorius, quin occaſionem hanc arrepturum honeſte ſecedendi, & ætatis reliquum in artibus, & ſtudiis collocandi. Libros nuntiat non omnes periiſſe, imo optimos ſupereſſe.

NUllas mihi hactenus abs te redditas eſſe, magis moleſte fero, quam admirer, quod item tibi accidere mihi perſuaſum eſt. Ea eſt enim miſerabilium horum temporum conditio, ut non modo de gravioribus rebus ſcriptæ litteræ, ſed communes etiam, & familiares iſtæ noſtræ undecumque excipiantur. Bis jam ad te litteras dedi, quas ea potiſſimum de cauſa tibi reddi ſummopere optabam, quod tantum de amicitia noſtra, vel potius mea erga te pietate confiderem, ut ſperarem iſto tuo tempore, illas quadam ex parte tibi ſolatio futuras eſſe. Enimvero cum illæ perierint, nullatenus tamen mihi ab officio recedendum eſſe exiſtimavi, magiſque fidem quorundam, quam diligentiam noſtram volui a te deſiderari, præcipue cum certiſſimi hominis oblatam nunc mihi eſſe facultatem certiſſime opinarer. Nec tamen operam aſſumam, ut te fortiſſimum virum conſoler, præſertim cum ea te ſemper prudentia præditum cognoverim, ut in quavis etiam graviſſima calamitate, conſolatione non indigeas, nec ea ſit fortuna rerum tuarum, ut te magnopere vel angi, vel dolere ſuſpicari debeam. Quid enim eſt, quod te amiſiſſe conqueri poſſis, niſi id amittere appellas multarum rerum earundemque moleſtiſſimarum ſollicitudine privari, tandemque te ipſum tibi reſtitui? Quod quidem niſi hactenus es aſſecutus, propediem tamen fore, ut aſſequaris, ex his quæ ad me quotidie afferuntur, & ex perſpecta mihi modeſtia, & magnitudine animi tui conjecturam facio. Non enim,

Digitized by Google

enim, ut opinor, memoria excidit quod ſæpius mecum conquerebare te ipſum tibi ſurripi, nec aliud magis deſiderare, quam aliquam tibi occaſionem præſtari quo honeſte ſecedere poſſis, reliquumque ætatis in optimis & artibus, & ſtudiis collocare. Quod etſi nunc magis a te expreſſum quam impetratum conqueri poſſe videris, æquum tamen eſt, non ſi quid mali in hoc negotio eſt, id ipſum novis & ſollicitudinibus, & moleſtiis augere, ſed ex hac ipſa, ut multi opinantur, calamitate, non oſtenſam modo, ſed etiam oblatam felicitatem toto animo complecti; quod cum certis conjecturis te facturum aſſequar, nequaquam mihi tantum arrogaturus ſum, ut contra ac pollicitus fueram, te vel conſolatione, vel conſilio, vel adhortatione adiuvare velim. Tantum id addam, te, ſi quando ejuſmodi vitæ genus inſtituere potueris, quale abs te ſummopere deſiderari oſtendebas, tum demum facile indicaturum ex hac rerum commutatione bonine, an mali plus conſecutus fueris. Cæterum ex compluribus, qui iſtinc ad nos venerunt, te intellexiſſe cognovi, partem longe maximam librorum tuorum periiſſe, quod omnibus aliis calamitatibus anteponerem, niſi qui erant inter eos longe optimi apud nos ſalvi eſſent. Nam Græci omnes manu ſcripti, impreſſique fere omnes, & Latinorum aliquot miſerrimam illam direptionem evaſerunt. De Sacerdotalibus vero indumentis, propediem ut ſcias faciam. Vale. Et ſi commodo tuo fieri poteſt, ſæpe nos litteris inviſe.

53 *FEDERICUS FREGOSIUS*

GREGORIO S.

Mutuam Epiſtolarum frequentiam ſolatio maximo futuram præfatur, & pro ea urget; ſe quidem fatetur dolere maxime, ſed de patriæ, & amicorum ærumnis, non item de propriis, quas experietur utiles ad bonarum artium ſtudia, confiſus valde incolumitate librorum. Poſtulat ad ſe mitti orationem quamdam a ſe ſcriptam, ſi cladem evaſerit.

Mirabar profecto quidnam in cauſa eſſe poſſet, quod tuis litteris iandiu careremus, nec fieri poterat, ut in hac noſtra tam antiqua, tamque confirmata amicitia totis tribus, quatuorve menſibus nullas omnino a te datas ſuſpicaremur, hoc præſertim meo tam iniquo tempore, quo & acerrimis curis angi, & infinitis opprimi malis ex tua prudentia facillime te conjicere arbitrabar. Sed rurſus cum tot quotidie iſtinc recta ad nos proficiſcantur, totque mercatores ad trimeſtres nundinas Lugdunum quotidie commeent, ubi dum nos illic commorati ſu-

ſumus litteræ tuæ offendiſſent, ſi intra duorum menſium ſpatium datæ fuiſſent; & poſt diſceſſum noſtrum quotidie litterarum faſces illinc ad nos deferantur, factum eſt, ut dubitarem, an aliquid etiam juris in optimorum hominum voluntate fortuna haberet. Quare, mi Gregori, habeo tibi gratias ingentes, qui me his tuis litteris, quas ad 15. Cal. Septembris dederas, hac præcipue cura liberaſti: quibus & te alias prius dediſſe, & noſtras ſummopere deſiderare oſtendebas. Nimirum utrunque mihi pergratum eſt. Sed cum unas ut primum Lugdunum veni, cuidam ex noſtris civibus, qui fidelis nuntius haberi poterat, dediſſem, verebar ne ultra quam officium noſtrum pateretur, ſæpius aures tuas obtunderem, ac otium tuum interpellarem. Sed poſteaquam ſententiam tuam cognovi, ſecus atque inſtitueram faciendum mihi eſſe arbitror; ut ſcilicet primum te certiorem faciam de his quæ te maxime ex me cognoſcere velle exiſtimem. Sed quidnam aliud quam de me ipſo ad te nunc potiſſimum ſcribam, quod tu libentius audire, & ego facilius narrare poſſim? Quamvis hoc totum negotium minime eſſe delectabile utrique noſtrum exiſtimem: nunc ſcito me in ſummo mœrore verſari. Quis enim tam ferus ac ferreus, qui non patriæ ſuæ direptionem ac prope excidium deploret, quam ego ipſe quaſi inter ulnas meas confodi, atque trucidari ab immaniſſimis hoſtibus vidi? Non poſſum equidem, & fateor, in tam acerbo caſu non dolere. Quamvis duæ præter hanc communem cladem inſignes, ac peculiares fortunæ injuriæ me pepulerunt. Tot ſcilicet amicorum, tot clientum, tot familiarium exilium, atque interitus: deinde Octaviani fratris mei viri innocentiſſimi captivitas, atque duriſſimus carcer. Iſta quia nunquam præviderám, quis enim tam lynceus? modo me excruciant, atque exanimant. Ita tamen, ut non omnino me his curis, atque ſollicitudinibus obrui ſinam, quin & ad te, & ad eos amicos, quos nihil molle de me, nihil demiſſum opinari volo, non ſemper reſpiciam. Illa vero quæ ad me tantum pertinent, ex patria ejectio, everſio imperii noſtri, fortunarum diſſipatio atque rapina, nihil fere nos tangunt. Tantumque abeſt, ut pro his dolere, ac lamentari velim, ut etiam illis gratias habiturus ſim non minimas, qui me, quamvis non amico animo, attamen una cum illis multis moleſtiis, multis laboribus, multiſque periculis liberaverunt, atque huc coniecerunt ubi collectis, atque compoſitis hujus naufragii reliquiis, ad ea ſtudia, a quibus diſcedere minime oportebat, aliquando reverti poſſe non diffido. In quam ſpem me maxime erexit incolumitas librorum meorum, non ſolum eorum qui apud te miſerrimam illam (ut ais) vaſtitatem evaſerunt, verum & cæterorum, quos etſi in illam inciderunt, ſpero aliquando ad noſtras manus perventuros. Quidam enim etiam nomine nobis ignotus, qui eos potitus eſt, neſcio quid hac de re mihi verbis ſuis renunciari juſſit. Quod quidem ego omen accipio tanquam ſignum futuræ tranquillitatis ſtudiorum meorum. Hæc

M 2 de

Digitized by Google

de nobis modo ad te ſcribenda duxi, nam ea quæ tu ſane nimis amicè de me ſentire videris, profecto nullum reſponſum deſiderant. Unum tamen conabor, ſi quando caſus tulerit, ne te amicitiæ noſtræ vel pudeat, vel pigeat. Præterea, inter eos libros, quos apud te reliqueram, erat quædam oratio a me ſcripta, quam olim te legiſſe arbitror: eam niſi in illa clade periit, velim ut cum primum poterit fieri, ad me mittas, nam animus eſt, aut meliorem reddere, aut omnino diſcerpere. De Sacerdotalibus indumentis, deque Sacris vaſis ſi quid ſuperfuerit aveo ſcire. Nam ea mihi ſummopere cordi ſunt, quibus ego ipſe tantum in re divina uti ſolebam; quæ vero in aliorum uſus parata erant, facile autem eſt dignoſci, veſtræ Eccleſiæ dono. Vale, & crebrius deinceps a me litteras expecta, dummodo id tibi gratum fore ſignifices. Sacerdotibus quoque, qui tecum degunt, multam ſalutem verbis meis dicito, ſed principi veſtro quam maximam. Vale.

54 FEDERICO FREGOSIO

SALERNITANO ARCHIEPISCOPO.

Adverſis fortunæ caſibus moleſtia affectum pertimuit Federicum, quem ut audit infracto animo, lætatur, ſuadetque ut vitæ tranquillitatem ſalvo patriæ amore perquirat. Conſilium aperit ſuum, eum data occaſione inviſendi.

CUM nunquam mihi non gratiſſimæ accidere conſueverint litteræ tuæ, quas tamen nuper apud Taurinos certo homini ad nos dediſti, tanta me jucunditate affecerunt, ut non majori eas aviditate expectarim. Ex quo enim Nicæa diſceſſiſti, etſi multa ad me rumor attulerat, ea tamen cum parum certa tum etiam omnino mihi moleſta fuerunt. Nec iccirco tantum quod ejus generis eſſent, ut quemvis poſſent moleſtia afficere, ſed ea potiſſimum de cauſa, quod tibi præcipue moleſtiſſima accidiſſe non dubitabam. Lectis autem litteris tuis expreſſius quodammodo & illuſtrius id cognovi, quod de te ante mihi erat perſuaſiſſimum, nihil ſcilicet juris in rebus tuis fortunam ſibi vendicare potuiſſe. Siquidem eas tantum res tuas appellare licet, quæ tibi ejuſmodi æquanimitatem pepererunt, ut nulla queas fortunæ injuria a vitæ tuæ tranquillitate dimoveri. Quare propediem etiam futurum ſpero, ut fortunam ipſam tantæ injuriæ non pudeat modo, ſed etiam ſummopere pœniteat. Quod vero ad rerum ſucceſſus attinet, ſcio nec te alios quam fuerunt fore aliquando ſperaſſe, & me a te facile deductum fuiſſe in eandem ſententiam. Quo magis etiam id quod facis facere debes. Nam abſurdum ſane videri poſſet, quod diutius antea futurum eſſe perſpexeris, id poſteaquam evenerit, non forti infractoque animo ſuſtinere. Et hæc hactenus locutus

ſum

ſum perinde quaſi de rebus tuis aliquantiſper diffiderem, quæ mihi tamen nequaquam eo deductæ videntur, ut omnino ſit diffidendum. Etſi quod ad te attinet, ſi omnino eventus rerum ex judicio voluntateque mea penderet, non ſatis conſtituere poſſum, quod genus vitæ tibi potiſſimum optaturus fuerim: hinc enim laborum, & ſollicitudinis plena omnia video, & quod uſu jam experimentoque didicimus, incerta penitus, & quæ momento temporis facile immutari evertique conſueverint. Inde vero in vitæ tranquillitate, & honeſtiſſimis ſtudiis totum te deinceps occupatum iri facile mihi perſuadeo. Unum tantum eſt quo movear, patriæ tuæ ſcilicet, atque adeo jam noſtræ, charitas, quam moderatione auſpiciiſque tuis, prope dixerim, beatam me viſurum eſſe mihi pollicebar. Verum quoniam propediem te Nicæam venturum eſſe confidis, longiorem ſermonem in id tempus rejiciemus. Ego vero ſuſpenſo anxioque animo hactenus in hac provincia detentus ſum, cum nullum genus moleſtiæ ſit, quo non fuerim vehementer exagitatus. Quare cum jam tempus appetat comitiorum noſtrorum, ſtatui omnino eam diſceſſus noſtri occaſionem non minus honeſtam, quam opportunam arripere, niſi a te ſecus mihi fuerint perſuaſum. Interim tamen Joannem Baptiſtam noſtrum ad regem mittere decrevi pro rebus hujus cœnobii conſtituendis, quæ, ut mihi perſuaſum eſt, paulo negotio conficientur. Quod ſi tu (ut ſunt omnino pro varietate ſucceſſuum varia conſilia) iſtic diutius moram trahere decreveris, magnopere me certiorem abs te fieri opto. Nam mihi in Italiam quandocunque proficiſcenti, iſtinc ver eſſet. Cæterum omnibus qui mecum degunt Sacerdotibus (ſcias velim) te tam ſuavem non modo tui memoriam, ſed deſiderium etiam reliquiſſe, ut nihil adeo in illorum mentibus inſitum, impreſſumque ſit, quam ut honeſtiſſimis tuis votis obſequantur. Idque eo magis Joanni Baptiſtæ noſtro, quo majoribus, gravioribuſque de cauſis tibi tandiu penitus eſt addictus. Vale.

55 FEDERICO FREGOSIO ARCHIEP.

Præclarum, & maxime honorificum judicium fert de oratione quadam Fregoſii, quam per partes ſingulas ſcrutatus aſſerit opus tale eſſe, quo nullum aliud habeatur elegantius, & ingenioſius.

ORationem illam quam difficillimis R. P. temporibus ad cives tuos habuiſti, legi quam diligentiſſime, de qua quidem nihil omnino ad te ſcripturus fueram, niſi reſciviſſem viros excellentes ingenio, & eloquentia, de hac eadem re ad te litteras dediſſe, ut me non tam deterruerit illorum eloquentia, quam impulerit ſimile omnino, & ut opinor idem pene de eiſdem rebus cum ipſis judicium. Conſueverunt vero qui apud principes, ipſorum vel mores, vel eloquentiam laudant, facile eo-

le eorum qui audiunt iniquum ſubire judicium, cum non tam quia laudandi, quam quia principes, omnia dicta eſſe videantur. Quod etſi in me vix accidere poſſe confido, quod id omnino a moribus, & inſtituti mei ratione ſit alienum, peneque impium videri poſſit, pro ea, quæ mihi tecum eſt familiaritate, humaniſſimis moribus, & facilitate tua conciliata, me de te ipſo apud te mentiri velle, cum præcipue nec eo ſis animo, ut quempiam tibi aſſentari velis, nec eo ingenio, ut qui id faciat te poſſit latere, facit tamen orationis tuæ genus, ut ea mihi dicenda ſint, quæ a compluribus non ad fidem dicta, ſed ad gratiam conficta eſſe videri poſſent, niſi eadem ipſa oratio ſui lectione me penitus ab omni ejuſmodi nota liberatura eſſet. Fateri nempe cogentur qui eam in manus ſumpſerint, non modo nimis a me laudatam, quia tua eſſet, ſed parum etiam, &, ut ita dicam, avare, quia ſit optima. Ut enim potiſſimum a genere ipſo incipiam, quod cæteris & ingenioſius, & ſubtilius eſt, & in quo præcipue maxima inventionis difficultas verſari ſolet; quid apertius demonſtrari potuit, quam ea omnia pro quibus verba faciebas, omnino, ut tu ſuadebas, deliberanda eſſe? ordo vero, atque diſpoſitio ejuſmodi ſunt, ut nihil artificioſius, nihil ſit magis cohærens. Cum enim ſcires civium tuorum animos & rei ipſius natura, & ſuperioribus ſolutionibus ita affectos, ut difficile ejuſmodi orationem admitterent, ita tibi illos in dicendi initio conciliaſti, ut ex re ipſa natum exordium & maximo vulneri medicamentum afferret, & ad ea quæ ſequebantur mirifice aperiret ingreſſum. Quæ vero in mediam orationem conjeciſti, iccirco, ut opinor, quod difficilius tractari poſſe videbantur, de lege ſcilicet, & ſcripto, ita ſunt a te ſubtiliter diſputata, ut putem legiſlatorem ipſum nec verius, nec expreſſius quid ſenſerit diſſerere potuiſſe. Omitto hic vim illam, & amplitudinem orationis, qua inimicorum impietas, & quæ ab ipſis nefarie, crudeliterque patrata ſunt, & maximo ſpiritu, & vehementi oratione ante oculos audientium a te ſunt collocata, fulmina perorationis, & oratoria illa ornamenta epiphonemata, epicheremata, dilemmata, quibus omnibus, & aliis præterea ejus generis concio illa refertiſſima eſt. Jam elegantia, & facilitati conjuncta verborum proprietas ejuſmodi ſunt, ut cum nihil plane ingenioſius, & ſubtilius, nihil etiam candidius, me legiſſe affirmare poſſim. Habes meum de oratione tua judicium, de cujus laudibus ita demum patiar ab aliquibus detrahi, cum quippiam & elegantius, & ingenioſius hac tempeſtate editum cognovero. Quod quidem tum denique fieri poſſe credam, cum tu in eo genere quippiam rurſus edideris. Vale.

56 VITALI MONACHO

Cum Dionyſius retulerit Vitalem monachum Gregorii litteris carere, Gregorius Vitalem admonet id tantum itinerum difficultati tribuendum, cum ſe pluries ſcripſiſſe comprobare poſſunt epiſtolarum omnium exemplaria, quæ apud ſe retinet. Sibi conſtitutum Lerinam Genua proficiſci, cum nullis curis, moleſtiiſque impedietur, quæ novæ identidem emergunt.

SCripſit ad me Dionyſius noſter, nullas tibi a me redditas fuiſse; quod etſi verum eſſe facile mihi perſuadeo, conjectura, & ex temporum iniquitate, & ex aliis compluribus epiſtolis noſtris facta, longe tamen gratius mihi feciſſes ſi id ipſum me non ex alienis, ſed ex tuis litteris voluiſſes intelligere, fuiſſet certe ea & amoris, & diligentiæ tuæ locuples teſtificatio. Erat enim & facilitatis, & diligentiæ tuæ, nec ſilentio meo ad ſilentium provocari, & crebritate litterarum omnes itinerum difficultates ſuperare. Nam quod ego ad te ſæpius ſcripſerim, cum iſtuc veniam, argumentum mecum habebo exempla omnia epiſtolarum noſtrarum, quas, velut neſcio quo pacto præſagirem ita ut accidit eventurum, omnes apud me maxima cum diligentia deſcribendo curavi. Quare tibi ſummopere curandum eſt ut præteriti temporis culpam frequentia litterarum poſthac diluas; etenim fore non video, ut alia ratione apud me, nec Dionyſio quidem ipſo patrono, excuſatus eſſe poſſis. Cæterum cum a Lerina Genuam veniſſem eo animo ut ad vos continuo proficiſcerer, exceptus hic novis multiplicibuſque moleſtiis, hactenus impeditus fui, impediarque, ut mihi videre videor, dies complures, ut non & deſiderio meo, & complurium amicorum expectationi ſatisfaciam. Cum primum autem per ejuſmodi negotia mihi licuerit, diligentiſſime operam dabo, ut tarditatem adventus mei non voluntati, aut judicio, ſed neceſſitati tantum omnes adſcribendam eſſe intelligatis. Crebras tamen interim a te litteras expecto, quibus & de tuis, & de Benedicti noſtri rebus fiam in dies certior, quem adeo taciturnitatis amatorem eſſe intelligo, ut omnino verear, tam altum ſilentium litteris noſtris interpellare. Vale, & utrique Benedicto plurimam a me ſalutem dicito.

57 FE-

57 FEDERICO FREGOSIO

Quod indicaverat aliis litteris, quas periiſſe credit, idem in his repetit, ſpem videlicet Fregoſio eſſe, imo certitudinem libros recuperandi, quos in Genuæ direptione amiſſos timuit. Ex Fregoſii Lerinam profectione ſuum quoque adventum illuc pendere ait, quamquam dubius hæreat propter Genuenſium amicorum officia.

QUemadmodum nihil mihi jucundius accidere poteſt, quam ut tecum per litteras ſæpiſſime loquar, ſic nihil audio moleſtius, quam easdem litteras quovis caſu perire: Quod in illis, quas poſtremo ad te dedi, eveniſſe ex ea potiſſimum conjectura ſuſpicor, quoniam deſiderare oſtendis te a nobis certiorem fieri, an quippiam de libris tuis confecerim. Id vero in illis ipſis, quas interceptas ſuſpicor, memini me diligentiſſime ſcribere, Sforciam ſcilicet, cujus nomine aſſervabantur, & a me, & a quibuſdam, qui principem locum apud ipſum obtinent, diu rogatum, tandem annuiſſe, ut nobis reſtituerentur. Veruntamen ex purpuratis ejus is, quo deprecatore uſus fueram, litteras ad eos apud quos aſſervantur, oblitus eſt impetrare, quo factum eſt ut nondum a me recuperari potuerint, quos tamen propediem ad nos migraturos eſſe non dubito; dedi nanque ea de re certo homini negotium. Nihil vero præter libros & ſacerdotalem ſupellectilem aliquid præterea ſtragulæ veſtis (a) καὶ περιπετασμάτων ad nos delata fuiſſe, tam certum eſt quam quod certiſſimum. Quæ omnia, præter libros, peſſimo illo incendio conflagrarunt. Quod inſuper amice, & humaniter de profectione mea requiris, nequaquam æquum eſſe arbitror te adventum tuum ad deliberationem meam accommodare debere; contra autem gratiſſimum mihi erit ſi quandocunque tibi decretum fuerit ad Lerinam divertere, me feceris paulo antea certiorem; illuc enim acceptis litteris tuis confeſtim advolabo, eroque illic tandiu quoad tecum mihi eſſe licuerit. Id vero ſi quamprimum ſtatueris, nihil opinor Graſſenſi noſtro optatius poſſe contingere. Cæterum niſi a te accerſitus fuero, qui ut noſti nullis impedior negotiis quominus confeſtim tibi parere poſſim, nihil habeo certi quod ſcribam. Vix enim dici poteſt audita fama profectionis meæ quam diligenter mecum egerint fere omnes omnium ordinum ſpectatiſſimi cives, ne ſe patriamque iſtam derelinquerem, quibuscum adjunctæ fuerunt eorum quibuſcum dego Sacerdotum, non authoritas modo, ſed etiam preces. Quo fit ut inter Genuam Graſſenſemque dubius animi pendeam: ut tamen ejus dubitationis eventus ille futurus ſit, quem tu, cum certum quippiam de te ſtatues, eſſe volueris. Cæterum cum ad

tua

(a) Et aulæorum.

tuā innumerabilia in me merita acceſſionem aliquam fieri poſſe non arbitraret, repente tuo patrocinio in his controverſiis, quæ inter me, & Theocrenum futuræ fuerunt, maximus cumulus acceſſit. Quod enim in hac cauſa ſponte mihi ceſſerit, benevolentiæ tuæ erga me acceptum refero. Ad ipſum vero Theocrenum litteras de hac re dedi, non quidem eo conſilio, ut defenſioni tuæ quippiam a me addi poſſe exiſtimarem, ſed quia id a me deſiderare ipſe litteris tuis oſtenderat. Vale.

58 *FEDERICUS FREGOSIUS ARCHIEP.*

GREGORIO S.

Raro ſe litteras dare dicit Fregoſius, tum quod vereatur ne eæ in aliorum manus veniant, tum quod gravibus negotiis diſtineatur, quæ tamen brevi confecta fore ſperat. Interrogat num direptionem evaſerint quidam in libros Ariſtotelis de moribus commentarii a quodam Acciajolo editi, quos maxime optat.

ETSI nihil erat in noſtris litteris quod non vel in ipſa concione recitari poſſet, tamen quia hæ erant, non ſolum mutuæ inter nos benevolentiæ indicia, verum etiam intimæ familiaritatis teſtes, nollem prorſus eas alienis oculis ſubjici, nec in eorum manus incidere, quibus tantum ab re ſua otii eſt, etiam ut aliena perquirant. Iccirco dum cautior eſſe cupio, fio in ſcribendo tardior. Iſtud tamen quicquid eſt delicti mihi abs te condonari fas eſt, homini præſertim cum ad ſcribendum rudi, atque ignavo, tum multis negotiis, atque curis occupatiſſimo, quæ quidem partim ab improbis hominibus, partim ab ipſis temporibus, ut ſunt dura atque iniqua, mihi procreantur. Sed eas ſpero brevi omnino confectas fore, aut ſi id minus continget, quicquid infectum ſupererit abjiciemus, ut illud otium, quod jampridem optavimus, aliquando conſequamur, & litterulis, ac ſtudiolis noſtris inſiſtamus. Quæ ut commodius, atque hilarius poſſemus perficere, Theocrenum noſtrum jamdudum acceſſivimus, de quo tamen poſt VII. Calen. Septembris ne verbum quidem audivimus. Cæterum inter libros eos, quos apud te reliqueram, erant commentarii a quodam Acciajolo Florentino editi, in eos Ariſtotelis libros, qui de moribus diſputant, quem ſane librum ſuperſtitem ex illo urbis noſtræ incendio evaſiſſe pervelim, quia rarus eſt, & ex illis antiquiſſimis impreſſionibus, & meo quidem judicio non inutilis, neque omnino barbarus, ut omnes fere ex eo genere eſſe ſolent. Quid nam de eo factum ſit cupio a te quamprimum fieri certior; non enim deſpero a direptoribus potuiſſe contemni, ut erat incomptus, & carie atque vetuſtate confectus, & pene corroſus. Dum

hæc ad te ſcribebam, redditæ mihi ſunt litteræ tuæ V. Id. Novembris datæ, quæ quam gratæ mihi fuerint ſcribam ad te alias. Hoc unum interim te ſcire volui, pauciſſimos eſſe quos ego æque ac te amem, atque colam, plus profecto neminem. Has noſtras nolui propterea retardari, quin ad te celeriter perferrentur, ne ea voluptate quam ex intimorum amicorum litteris percipere ſoles, diutius careas. Vale, & enitere ut nos quam plurimum diligas, nihil enim gratius nobis facere potes.

59 FEDERICO FREGOSIO ARCHIEP.

Poſt benevolentiæ ſignificationes ſcribit ſe quidem putare incolumem Acciajoli librum, cæterum, etſi perierit, eundem eſſe apud ſe, ſicut & aliorum in Ariſtotelem commentarios ejus uſui futuros, quandocunque libuerit. Poſthac refert, quanta animi fortitudine, quam erecto animo repererit, quem allocutus eſt Genuæ, Octavianum fratrem adverſæ fortunæ incommoda tolerantem.

QUas ad VII. Calen. Decembris dederas, nos IV. Idus ejuſdem menſis accepimus; ſupervacuum autem futurum opinor ſi ad te ſcripſero eas mihi longe gratiſſimas fuiſſe, cum in tam veteri, tamque conſtituta amicitia, nova (ut ita dicam) verborum conciliatione nihil opus eſſe cenſeam. Quod autem & amice, & modeſte ſcribis, te apud me excuſatum eſſe debere, ſi non a te quam ſæpiſſime litteras accepero, facis tu quidem humaniter, & benevole, ut cum frequentiores a te litteræ dentur, quam ut nobis a tali tantoque viro deberi exiſtimem, non tamen in eo tibi ſatisfacias: quod etſi officii rationem præclare ſuperat, longe tamen inferius ipſo officio a te eſse exiſtimatur, quod illud non communi hominum more, ſed animi tui magnitudine metiaris. Gaudeo præterea Epiſtolam noſtram incolumem ad te perveniſſe, erat enim in ea quod te ſcire pervellem, de libris tuis potiſſimum, quos propediem apud me futuros eſſe non dubito. De commentariis vero Acciajoli nihil omnino te ſollicitum eſſe oportet; cum enim talis liber ſit, qualem tu optime deſcribis, nequaquam nobis veriſimile ſit, illum incolumibus cæteris periiſſe, qui etſi maxime periiſſet, idem tamen eſt apud me non ejuſdem modo authoris, ſed eiſdem etiam litterarum formis impreſſus. Præterea in eoſdem Ariſtotelis libros Entraſtii commentarii, & Sophronii paraphraſes, græce conſcripti, qui ſi tibi uſui futuri ſunt, confeſtim ad te advolabunt. Proximis diebus cum Octavianus princeps noſter Genuam perductus eſſet, deinceps Neapolim deducendus, ægre quidem impetrato aditu, bis ad ipſum acceſſi, fuique cum eo diutius. Mirum quanta animi conſtantia acerbiſſimum hunc fortunæ ictum tolerare mihi viſus fuerit. Perſeverat adhuc priſtina illa hilaritas in congreſ-

fu,

Digitized by Google

ſu, comitas in ſermone, & (quod maxime mirum eſt) in vultu non tranquillitas modo, ſed mira etiam ſerenitas. Qua vero ratione ſeipſum conſoletur, hinc facile conjectura aſſequi potes, quod cum me paulo ſubtriſtiorem, (nec enim mihi in ea parte imperare potueram,) cognoviſſet, prior ipſe me conſolari cœpit, bone Deus, quam infracto, quam celſo, quam erecto animo, commemorare cœpit clariſſimos imperatores, qui, immutata fortuna, eandem calamitatem ſubierant, quorum tantum abeſſet, ut ſe minorem in adverſa fortuna haberi vellet, ut longe etiam omnibus illis magnitudine animi, & conſtantia ſuperiorem ſe eſſe arbitraretur. Et ea potiſſimum de cauſa quod cum Chriſtianus eſſet, conſtantiſſime confiteretur omnia Dei Opt. Max. diſponi ſapientia, & providentia adminiſtrari, ſciretque nihil ſibi præter ejuſdem divinitatis decreta accidere potuiſſe, & iccirco parum prudentis fore, niſi ea omnia æquiſſimo animo toleraſſet. Itaque qui conſolandi gratia acceſſeram, non parum ab eo ſolatii reportavi. Quod quidem tibi omnino a me ſcribendum eſſe duxi, ut in longe minori calamitate parem animi celſitudinem adhibere cures. Cætera quæ mecum locutus eſt, majora, & graviora mihi viſa ſunt, quam ut incertis & nuntiis, & litteris committi debere videantur. Vale.

60 *DIONYSIUS MONACHUS*

GREGORIO S.

Ad Lerinenſes redire adhuc diſtulit Gregorius ob navigationis incommoda. Dilationem maxime moleſtam ſentit Dionyſius, qui Gregorium impenſe colit, & diligit ob eximia ejus merita, & beneficia. Æque moleſtam ſentit Graſſenſis, qui cum totus in id incumbat, ut ſuam benevolentiam ei oſtendat, in Lerina ei juſſit extrui cubiculum, & ambulationem ad commodiorem ſtudiorum aſſiduitatem.

Baptiſta noſter, cum ſeſe ad nos recepiſſet, gratiſſimum nobis de tuo iſtuc adventu nuntium attulit, niſi quod ex navigatione te ſolito imbecilliorem eſſe aſſerebat: atque ideo effectum, ut ad nos (ſicuti promiſeras) non navigaris. Scito enim reditum tuum ad nos omnibus futurum optatiſſimum. Cujus dilatio cum omnes moleſtia afficiat, me tamen eo magis angit, quo majorem ex conſuetudine tua fructum percipere conſuevi. Tua enim ingens in me humanitas, locataque beneficia (ut interim de ornatiſſimis moribus ſileam) tam arcte me tibi devinxerunt, ut ſi te non amem, non tam ruſticus, aut ingratus, quam etiam impius mihi eſſe videar. Quare non mediocriter adhibenda mihi cura eſt, ut eorum memoriam (quando tibi gratiam referre non valeo)

Digitized by Google

leo) nulla unquam aut locorum aut temporum ſpatia delere potuiſſe videantur. Tuli vero ægerrime tabellariorum tantam fuiſſe incuriam aut certe perfidiam, qua nimirum ſit factum ut noſtræ tibi litteræ minime redderentur. Nam Graſſenſis tuus, cum mihi tuis rebus ſemper favere viſus ſit, tum vero lectis litteris tuis, quibus de tuo ad nos reditū ſententiam tuam aperiebas, perſpectus eſt a me toto animo de te, ac de tuis commodis cogitare. Communicatiſque mecum (quæ eſt ejus in me humanitas) tuis litteris, atque ejus de te ſententia, reſcripſit ad te ne ſe diutius in tui deſiderio eſſe paterere. De qua eadem re & ipſe jam binas ad te litteras dedi, quibus ejus, quem in te habet, animi admonebam. Is tibi jam ad faſtigium uſque cubiculum ex animi tui voto extruxit; quod omni tumultu, ac ſtrepitu liberum tuis ſtudiis maxime commodum futurum non dubito. Huic hærebit ambulatio non minus jucunda, quam ab omni hominum acceſſu ſecreta, & remota. Multa præterea tibi quæ ad negotium pertinent ſcribere poſſem, quæ de induſtria omitto, quod ſperem te propediem ad nos venturum. Solum hoc addam, quod etſi virtus tua multos tibi amicos conciliavit, cave tamen putes aliquos te aliquando habiturum, cum quibus æque libere, ac jucunde agere poſſis quam cum Graſſenſi noſtro; cujus vel tota cura in id videtur conferri, quomodo tuis ſeſe optatis accommodet. Vale.

61 *DIONYSIO MONACHO*

Deſiderat reditum ad ſuos Gregorius, non ſecus ac Dionyſius, aliique illum præſtolentur. Tabellariorum negligentia quaſdam Dionyſii litteras periiſſe ægre fert, quas ſemper pergratas recipit, & miratur elegantes; pergratam quoque ſibi accidere cubiculi extructionem a Graſſenſe imperatam, cujus eximia beneficia, & ſummus amor cogunt reditum maturare.

NIhil novi nobis litteræ tuæ nuntiarunt, nequaquam enim mirum eſt, adventum meum iſtuc vobis eſſe optatiſſimum, quando is eſt meus amor erga vos omnes, ut ſi ei reſpondere volueritis, non minori vos expectatione meæ ad vos profectionis, quam me veſtri viſendi deſiderio neceſſe ſit detineri. Non quod me cuipiam veſtrum longo intervallo comparem, aut quippiam putem in me eſſe, quod tantopere a vobis deſiderari debeat, ſed quod ejuſmodi deſideria non rei ipſius pretio, ſed menſura amoris æſtimari ſolere non ignoramus; recte enim Theophraſtus ait (a) τυφλὸν τὸ φιλοῦν περὶ τὸ φιλούμενον. Litteras vero tuas vel perfidia, vel negligentia tabellariorum periiſſe, tantopere doleo, ut nihil mihi ejuſmodi jactura moleſtius accidere potuiſſe putem. Cum enim nihil

(a) *Cæcum amantem eſſe erga rem amatam.*

hil magis optem; quam ut tecum quam diutiſſime vivam, utarque & gratiſſima tua conſuetudine, & ſuaviſſimis congreſſibus, tantiſper certe me allocutus fuiſſes, donec ego litteras tuas perlegiſſem. Quare conſequens eſt, illud in epiſtolis tuis contingere, quod ut quæque longiſſima eſt, ita mihi maximopere ſit jucunda. Omitto quod coniectura ex cæteris facta, certiſſime mihi perſuadeo, nihil illis litteris ornatius, & elegantius fieri potuiſſe. Quo fit, ut damnum, quod ex earum jactura fecimus, ea ratione multiplicetur. Quod vero de Graſſenſi ſcribis, ſcito me omnino operam daturum, ut non fruſtra tantus vir, adeoque mei amans adventum noſtrum diutius expectet. Mihi enim impoſitam eſſe video honeſtiſſimam neceſſitatem aſſidue cogitandi, ſi qua ratione tot illius in me collatis beneficiis opere reſpondere poſſim. Verum quia id non modo arduum, & difficile, ſed pene infinitum eſſe videtur, enitar certe quoad ejus fieri poterit, ut in ea re gratitudinem animi mei aliqua ratione cognoſcat. Et quoniam (ut ais) & cubiculum, & ambulationem nobis tanto ſtudio parari fecit, quod ad ædificationis formam attinet ex animi mei voto, & quod maxime mihi voluptati futurum eſt, ab omni ſtrepitu, tumultuque hominum remotiſſimum, nihil tam apud me antiquius erit, quam ut ad viri liberaliſſimi, meique amantiſſimi magnifica munera perfruenda confeſtim advolem. Mihique certiſſime perſuadeo, inter tantam expectationem veſtram, me repente vobis inexpectatum ſuperventurum. Vale.

62 *DIONISIUS MONACHUS*

GREGORIO S.

Fideliſſimi nuntii nactus opportunitatem iterum rogat Dionyſius Gregorium, ut cito redeat. Tam ſui, aliorumque, quam Graſſenſis expectationem iterum memorat; tandem ei quemdam commendat, qui erat Graſſenſi a ſecretis.

CUM elapſis paulo ante diebus prolixas ad te litteras dederim, nulla omnino cauſa eſſet, cur te tam frequenter obtunderem, niſi me tam etiam fideliſſimi hujus nuntii opportunitas provocaſſet, quam ſi elabi permitterem, contra officium me omnino facturum eſſe arbitrarer. Breve eſt igitur quod te ut rogem meus in te amor cogit, nimirum, ne nos in tui deſiderio diutius eſſe patiare. Quamquam te id fuiſſe facturum intelligo, niſi novum aliquod negotium iſtic adhuc dies aliquot manere te invitum coegiſſet. Gaudeo plane te in animum induxiſse, nullum eſse locum qui honeſtiſſimis tuis optatis tam pulcre reſpondeat, quam hic noſter, ubi litterato otio, ac quiete, inſuper & jucundiſſima ami-

amicorum conſuetudine frui poſſis. Nam etſi ubique multos eſse credo, qui cum te norint, amare (quod ſine adulatione dictum ſit) merito compellantur; nuſquam tamen facile invenias quibus æque carus ſis ac nobis, quibuſque tui adventus æque ſit in votis. De me omittam dicere. Graſsenſis noſter ſola tui memoria ſe mille curas mitigaturum mihi aſseruit, cum quo nunquam mihi eſse contingit, quin plura de te loquentes ſpatia conficiamus. Sed tu ipſe ejus in te animum hic coram melius perſpicies. Præterea, Auguſtinus Seraptus, qui has ad te meo nomine attulit, Graſsenſi noſtro eſt a ſecretis: hunc ſi tibi commendem, importune ſatis me acturum puto, cum tua humanitas, benignitaſque ſe ſe ejuſmodi viris etiam ultro exhibeat: homo eſt cum bonis litteris, tum honeſtis moribus præditus, tuique in primis ſtudioſiſſimus. Vale.

63 *DIONISIO MONACHO* (*a*)

Quæ reditum retardant cauſæ, eæ ſunt in primis vehemens Salernitani Pontificis Federici amor, tum itineris periculum, & Genuenſis Civitatis ob factiones diſcordiæ. Cum ad revocandam concordiam nihil intentatum relinquat Federicus, ad eam obtinendam conferre poſſe cenſet Gregorii adhortationes, conſiliumque apud viros principes, quibuſcum ferre omnibus junctus eſt arctiſſima conſuetudine. Exinde defert Gregorius acerbiſſimum nuntium de Longolii interitu, cujus celebrat virtutem, probitatem, ingenium; narrat tandem eum, quem ſuperiori epiſtola commendaverat Dionyſius, perditiſſimis moribus deprehenſum.

NEquaquam vos hactenus ſuſpenſos habuiſsem expectatione adventus noſtri, niſi me Federicus Salernitanus Pontifex ad hanc uſque diem detinuiſset, qui tot tantaque beneficia in me contulit, atque adeo vehementi amore proſequitur, ut nihil majus, aut vehementius fieri poſse mihi certiſſime ſit perſuaſum. Et quoniam dubius animi inter Graſſenſem, Salernitanumque pendeo, vereor, ne is me ſibi totum vindicet, cui nunc me totum contingit poſſidere. Accedit quod cum tumultuoſiſſima tempora ſint, nequaquam his quibuſcum hoc negotium contuli, tutum ſore viſum eſt, ut mari terraque (ut nunc ſe res habent) periculoſiſſimo itineri me committam. Præterea, cum hæc civitas (ut noſti) factionum diſcordiis agitari conſueverit, nuper in mentem Federico venit (ut eſt optimus, atque ſanctiſſimus) omne ſtudium, cogitatio-

(*a*) Cum Longolius obierit III. Idus Septembris anni 1522., debet eſſe hæc, & quæ ſubſequitur Epiſtola ejuſdem temporis.

Digitized by Google

tionemque in id intendere, ut ea, quæ totam ſe illi nunc credidit, patria omnino ad concordiam revocetur. Qua in re id minimi facit, quod longe maximum fere omnibus videri poſset. Nam ſi id quod tantopere cupit aſsequetur, omnino illi dominatu atque imperio eſt concedendum. Tanta vero eſt ejus erga patriam pietas, ut non abſque imperio ſolum, ſed exul etiam, & extorris (ſi ita communibus rationibus conducet) quod reliquum vitæ illi ſupererit ſit acturus, modo florentem tranquillamque patriam derelinquat. Et quoniam maximus eſt mihi in hac civitate amicorum numerus, nec fere aliquis eſt ex principibus, qui non mihi ſit conjunctus arctiſſima conſuetudine, diligentiſſime mecum egerunt, cum Federicus ipſe, cum alii complures, quibus publica hæc concordia maxime cordi eſt, ut nihil omnino de diſceſſu meo cogitarem, ſecuturos enim eſſe quamplurimos & conſilium, & adhortationem meam. Quare nequaquam mihi integrum fuit, id negotium derelinquere, pro quo etiam ſi longiſſime abeſſem, Genuam ſtatim eſſem advolaturus. Præterea, etſi ſcio me tibi non jucundiſſimum nuntium allaturum, ut tamen amici memoriæ juſta perſolvere poſſis, nullo pacto mihi committendum eſſe duxi, ut non te de ea re facerem certiorem. Scripſit ad me Petrus Bembus, Longolium noſtrum nuper, diebus aliquot continua febri vexatum, deceſſiſſe. Nihil addam amplius. Tu qui ejus viri virtutes, probitatem, & doctrinam æque atque ego cognoveras, facile cogitabis, quantopere nobis pro tam gravi caſu ſit dolendum. Ego quidem ita affectus eo nuntio fui, ut nunc demum me intelligere putem amoris vehementiam, qua viventem illum proſequebar. Non igitur fraudabo amicum debito teſtimonio. Maxima & præclariſſima ingenia ætas noſtra protulit; unicus tamen mihi Longolius extitiſſe videtur, in quo cum virtute probitas, cum utraque ingenium; poſtremo cum his omnibus candor, atque judicium decertarent. Cæterum, Seraptus ille tuus, quem tantopere mihi commendas, ſi bonis litteris præditus ſit, non ſatis ſcio, cum certus ſim illum penitus honeſtis moribus carere. Exceptus enim a me humaniter, & benigne, & fratri meo qui Mutinæ erat arctiſſime conciliatus, poſt maxima beneficia accepta, ſic ab eo diſceſſit, ut me etiam ſcribere pudeat in quantis criminibus ſit deprehenſus. Neſcio vero qua ratione accidere potuerit, ut in diuturna intimaque conſuetudine mores adeo damnandi a Graſſenſi noſtro detecti non fuerint. Vale.

64 LAMBERTO VENUSINO EPISCOPO.

Per totam epiſtolam deflet immaturam Longolii mortem; quocum Venuſini opera primum junxerat amicitiam, mutuis poſtmodum aſſiduiſque officiis continuatam. Pluribus ejus ingenium commendat doctrinamque in omni ſcientiarum orbe, hinc oſtendens maximo Reip. litterariæ damno eum fuiſſe præreptum.

CUM maximum tum etiam multiplicem dolorem animo meo accepi de viri optimi Chriſtophori Longolii interitu, qui nuper cum paucis diebus ardentiſſima febre laboraſſet, etſi jucundiſſimam memoriam, triſtiſſimum tamen nobis ſui deſiderium reliquit. Doleo ſane pro ea re vehementer; ego enim Longolium mirifico amore proſequebar, viciſſimque ita me ab ipſo amari intelligebam, ut ea tantum de cauſa illum à me in amando ſuperatum putem, quod erat longo intervallo dignior qui amaretur. Cujus amicitiæ etſi tu initio, cum Romæ eſſes, fundamenta poſuerat, reliquum tamen ipſe poſtmodum maximis officiis ſic evexit, ut jam ad ſummum perveniſſe, nemo eſſet qui aliqua ratione poſſet dubitare. Principio enim, cum me nec de facie quidem cognitum litteris ſuis & græce, & latine ſcriptis ad amicitiam provocaſſet, paucis poſtea diebus difficillimo anni tempore Roma ad Lerinam navigavit, ea tantum de cauſa, ut mihi, quem abſentem amare cœperat, totum ſe præſens alloquenſque condonaret. Quo tempore, etiam nobis ingenii artiſque plenam orationem, planeque optimis illis antiquis comparandam, quam paulo antea Romæ habuerat, totam legit, ſicque in ea judicium meum paſſus eſt interponi, ut quicquid dixiſſem, ſive in verborum proprietate, ſive in oratoriis præceptis, id tanquam præſcriptum, legemque mihi obſervare videretur. Secuta ſunt deinde cum multa, tum etiam maxima utriuſque in alterum officia, quibus nos adeo jam devinctos omnes intelligebant, ut nihil fere fieri poſſe putaretur in communi vita conjunctius. Quare niſi vehementiſſime movear tali tantoque amico orbatus, communi omnino ſenſu, atque adeo omni humanitate carere, merito judicari poſſe videbor. Quod ſane tam longe a me abeſſe volo, ut, quod antea dixi, multiplici mœrore ex ejus interitu me potiſſimum affectum eſſe, omnes intelligere cupiam. Quis enim abſque incredibili dolore audire poſſet in ipſo flore ætatis (nondum enim trigeſimum annum attigerat) in maxima omnium de ſe expectatione, in medio ſtudiorum curſu, præclaram illam ad omnes virtutes animi indolem, illud immortalitate digniſſimum ingenium, immatura ſibi cæteriſque morte, ſic repente ereptum eſſe, ut oſtenſus tantum, non etiam præſtitus huic ſæcu-

Digitized by Google

ſæculo fuiſſe videatur, & tum præcipue cum admodum pauca ſcripſiſſet; incœpiſſet multa, pararet plurima, quibus ſi extremam manum per ætatem imponere licuiſſet, aliquid certe hac tempeſtate vidiſſemus, quod poſſet cum omni antiquitate comparari. Mirabamur ſiquidem in eo omnium pene diſciplinarum non mediocrem cognitionem, de quibus ſic eleganter, & copioſe diſſerebat, ut qui audiebant dubitare ſe dicerent, quam potiſſimum profiteri videretur. Adoleſcens enim juriſconſultis in Gallia operam dederat, græcam demum linguam didicerat, Romæ latinam excoluerat. Philoſophiæ vero, & mathematicis Patavii nunc tanto ſtudio incumbebat, ut doctorum judicio, eos qui magnos in eo genere progreſſus habebant, longo intervallo ſuperaret. Qui autem domeſtica hominis conſuetudine utebantur, facile meminerunt quam ſcienter de plantis, de piſcibus, de lapidibus loqui conſueverit, cum nomina, cum antiqua, tum etiam ea, quibus nunc utimur, vimque, & proprietatem unicuique redderet. Sic igitur tibi perſuadeas velim, Gallias noſtras hujus interitu tantum amiſiſſe, quantum nunquam fortaſſe antea deſiderare auſæ fuiſſent. Etſi enim complures in ea extiterunt, atque adeo nunc etiam ſuperſunt aliqui, ingenio, & doctrina excellentes, nondum tamen video candorem, & elegantiam, & quod his omnibus plus poteſt, judicium incorruptum in Galliam tranſiſſe, quod cum ex compluribus facile, tum facillime ex ipſo Longolio declarari poteſt. Sunt namque apud me orationes ſex, quas cum primum in Italiam venit ut veterem deleret infamiam qua ſe laborare intelligebat, quod puer adhuc adverſus Italos orationem habuiſſet, maximo ſtudio, & labore compoſuit, quibus ſi alia, quam triennio poſt Romæ ſcripſit, conferatur, vix alicui poterit perſuaderi ab eodem homine aliquando editas fuiſſe. Paucis autem diebus antequam ex hac luce decederet, ſex adverſus Lutheryanos actiones ſcripſerat, in quibus cum elegantia, & gravitate, tum etiam amplitudine orationis Romanam illam majeſtatem aſſecutus fuiſſe judicatur. Qua quidem in re adeo ſe nobis & gratum, & facilem præbere conſueverat, ut non modo candorem, & judicium Italis acceptum ſe referre diceret, ſed ea præcipue de cauſa Italos omnes incredibili benevolentia proſequeretur. Communis igitur Italis, & Romanis, præcipue qui illum nuper civitate donarant, communis Galliæ, cui illius natales acceptos referimus, atque adeo Germanis, a quibus ſe oriundum volebat, hæc incredibilis jactura contigit: communis præcipue doctis omnibus, & his qui bonarum litterarum ſtudiis incumbunt, tibi tamen mihique in primis, quos ille non amicitia ſolum, ſed familiaritate etiam ſua non penitus indignos judicarat. Vale.

65 FEDERICO FREGOSIO

Lerinæ cum tandem ſit Gregorius, id ſibi jucundum valde teſtatur ea præſertim de cauſa, quod facilius dare litteras poſſit, & recipere. Adventum Fregoſii Maſſiliam arripiet opportunum ad eum conveniendum.

NIhil erat quod magis optarem; quam ut aliquando ad Lerinam proficiſcerer, etſi juſtis aliis gravibuſque de cauſis, ea tamen potiſſimum ut quotidie certos de te nuncios, interdum etiam litteras tuas accipere poſsem. Vix enim dici poteſt quam moleſte feram, quod jam pluribus menſibus elapſis, cum a me nec litteram quidem videris, ego quoque viciſſim a te nihil litterarum acceperim. Quod ab utroque noſtrum eo conſilio factum eſse certo ſcio, quod ſupervacuum putaremus in eo negotio tempus abſumere, quod eventu, exituque fruſtraretur. Perſuaſum enim mihi eſt, olim complures a te datas ad me non perveniſse, quod quidem iniquitate temporum accidiſse nemo eſt qui mirari debeat. Cæterum rumor ipſe ad nos attulit te propediem Maſſiliam eſse venturum, quod cum exploratius cognovero, nihil erit quod me poſſit prohibere, quin ad te confeſtim advolem. Etſi conjectura aſsequor, inter maxima, & difficillima negotia adventum meum, ſi non moleſtiæ, tamen impedimento tibi fore, amor tamen modum, temperationemque non novit. Nunc vero opportune accidit, ut quidam ex noſtris iſtuc proficiſcatur, & is quidem non de facie tantum tibi cognitus, ſed a quo ejuſque gentilibus teipſum familiamque tuam non obſervari modo, ſed pene dixerim coli, jandudum tibi eſt perſpectiſſimum; is ad nos certiora omnia de te referet. Omnino mihi ſupra quam dici poteſt gratum erit, quod tamen commodo tuo fiat, ſi me feceris certiorem, ubi, & ad quam diem te videre poſſim. Ego tantiſper Lerinæ ero, donec abs te litteræ nobis redditæ fuerint. Vale.

66 FEDERICO FREGOSIO

ARCHIEPISCOPO SALERN.

Spe conveniendi Fregoſium Maſſiliæ, ex ſuperiori Epiſtola Lerinam venit Gregorius. Spe fruſtratus novit eum Lugduni adhuc moram trahere. Alias dedit litteras, quas ſuſpicatur redditas non fuiſſe. Ei quoque non redditas arbitratur, quas dedit Sadoletus, cum Sadoletus etiam nullas Fregoſii receperit. Eum rogat propterea, ut præſens conſilium ſibi pandat.

EAdem ſæpius ad te ſcribere non gravabor. Quando enim nullæ abs te nobis redduntur, facile mihi perſuadeo, noſtras quoque minime

ad

ad te perferri. Nequaquam enim veriſimile fit, poſt eas quas Pariſiis ſcripſiſti, etiam ſi nihil litterarum a me acceperis, nihil a te datum eſſe. Lerinam veni pridie Idus Julii, eo potiſſimum conſilio, ut te quamprimum convenirem, quem Maſſiliæ eſſe intellexeram, fruererque ſaltem diebus aliquot jucundiſſimo illo, atque ſuaviſſimo congreſſu tuo. Dejectus demum ea ſpe, quod te Lugduni etiam tum moram trahere cives quidam Genuenſes tibi conjunctiſſimi mihi renunciarunt, ſtatui tantiſper apud Graſſenſem commorari, quoad caſu aliquo tu ad hanc Provinciam diverteres, quod brevi fore honeſtis gravibuſque de cauſis mihi perſuadebam. Dedique interim diligentiſſime operam, ut ſæpius noſtræ ad te perferrentur, ſperans hac ſaltem ratione facile quippiam litterarum a te elici poſſe. Quod cum ſecus ac ſperarem ceciderit, etſi nihil erat in quo te accuſare nec vellem ſi poſſem, nec poſſem ſi vellem; ſubibat tamen interdum (fateor) animum meum cogitatio, me tibi penitus excidiſſe. Inter has meas ſollicitudines repente ſupervenit Jacobus Sadoletus, qui evocatus a Pont. Maximo Romam pergebat. Is vero ſtatim, ut eſt tui amantiſſimus, nunquidnam, inquit, a Salernitano? nihil inquam, etſi ſæpius ad ipſum litteras dedi. Minime, inquit, mirum eſt. Equidem ex quo ad hanc provinciam applicui, cum crebris illum epiſtolis excitarim, nec litteram quidem ad hanc diem ab ipſo exprimere potui. Tunc vero omnis ex animo meo dubitatio abſceſſit. Etſi enim nihil te in amicitia aut officio peccare poſſe mihi antea perſuaſum erat, tunc demum tamen ſtatui, te nunquam commiſſurum fuiſſe, ut tantus vir, cum prior ad te ipſe ſcripſiſſet, fruſtra a te litteras deſideraret, omnemque in iniquitate temporum, & quorundam hominum malitia culpam rejeci. Veruntamen, ne & ego diutius litteris tuis carerem, quo nihil mihi moleſtius accidere poteſt, & ut Sadoletum quoque eaſdem a te expectare fieres certior, ſtatim ad te hanc ſcripſi epiſtolam: dedique operam diligentiſſime, ut ad Andream Auriam regiæ claſſis præfectum illico perferretur; perſuaſum habens, neminem eſſe qui certiores ad te nuncios dirigeret. Satis mihi erit, mi Federice, ſi inter maximos, difficillimoſque negotiorum fluctus, quibus te continenter agitari non dubito, tantillum ſaltem temporis amori erga te meo impartias, ut me facias certiorem, an ſpes aliqua ſuperſit, fore, ut te cito videre poſſim. Nulla eſt, mihi crede, itineris difficultas, aut laboris moleſtia, quæ me a te conveniendo poſſit abſterrere. Vale.

Digitized by Google

67 *AUGUSTINO GRIMALDO*

EPISCOPO GRASSENSI.

Graſſenſem rogat, ut Antoninum nepotem ſinat in Sacrorum hebdomade ad Lerinenſe cœnobium venire, in quo & ſociorum gravitas, diſciplina, mores adoleſcentem juvabunt, & pulcherrimæ cærimoniæ animum utili relaxatione recreabunt.

DUM apud te Monoeci eſſem, oppreſſus incredibili quadam ægritudinis moleſtia, id omnino oblitus ſum coram tecum agere, quod potiſſimum præſens, & ſumma cum diligentia facere cupiebam; ut ſcilicet hac Sacrorum Hebdomade Antonium nepotem tuum ad nos mittere velles. Veruntamen mihi perſuaſum eſt, quantum propter abſentiam commendationi detractum fuerit, tantundem ex vi amoris, & petitionis honeſtate compenſatum iri. Gratiſſimum igitur nobis omnibus, ſpero item ipſi nepoti tuo, te facturum eſſe, ſi nos a te hoc impetrare patieris. Nam ut illud ſcribam ſupervacuum eſſe puto, futurum ipſum apud nos maxima cum gravitate, & diſciplina: cum, quod hoc ipſum tibi & temporis, & loci conditio, tum præcipue perſpecti tibi mores hominum, cum quibus illi futura eſt conſuetudo, perſuadere poſſunt. Tantiſper enim optimo, & doctiſſimo viro ejus præceptori vicarium Dionyſium ſubſtituemus, donec ad eam diem, quam tu conſtitueris, ad vos revertatur. Danda eſt interdum, ut noſti, juvenibus animi relaxatio, quo promptiore, & recreato, ut ita dicam, ad virtutes ſpiritu, ad priſtina ſtudia alacriores revertantur. Potiſſimum cum remiſſio ipſa ejuſmodi, ut ſpero, futura eſt, ut non corpus tantum honeſtiſſima voluptate, ſed etiam pulcherrimis cærimoniis divinorum beneficiorum memoria revocata, ipſe animus mirifica oblectatione recreandus ſit. Hoc igitur ſic a te petimus, ut nihil vehementius peti poſſit. Etſi tantum abeſt, ut de benignitate, & humanitate tua dubitem, ut ſperem ipſum eundem nepotem tuum litteras ad nos indices tuæ facilitatis allaturum eſſe. Vale. Acerba illa ægritudo mitius mecum agit. Iterum vale, & ſalve.

68 HIE-

68 HIERONYMO MONELIANO

Quoddam negotium favore Moneliani apud Graſſenſem, cum jam Lerinam reverſus præſens non poſſit agere, agit per epiſtolam, quam tradit Abbati cuidam Lerinenſi, qui Genuam profecturus, apud Graſſenſem conſiſtit aliquantulum. Ad eodem Abbate, quæ ſit voluntas Graſſenſis noſcet Monelianus, cui ut res pro voto eveniat nihil non præſtabit Gregorius & nunc, & in poſterum.

CUM pluribus jam antea diebus Monoeco diſceſſiſſem, hodie demum in Lerina accepi litteras tuas, quas Idibus Februarii dediſti, quibus lectis, moleſtiſſime tuli non eas ante mihi redditas fuiſſe, quam a Graſſenſi diſcederem. Quicquid enim authoritate, & gratia apud illum poſſum, id ipſum tibi totum potuiſſem. Perſuaſum vero mihi eſt & ejus Principis liberalitatem, & æquitatem poſtulationis tuæ, facilem omnino exitum negotio præſtituras fuiſſe. Ne tamen penitus animum hominis intentatum relinquerem, ſcripſi ad eum de hac re diligentiſſime, & eas ipſas litteras Abbati Lerinenſi, qui Genuam proficiſcebatur, reddendas tradidi; ut quoniam ſalutandi Graſſenſis gratia omnino Monoecum eſt diverſurus, explorata ejus voluntate, certi quippiam ad te deferre poſſit. Tu cum primum ab illo acceperis, quid tibi de ea re ſperandum eſſe videatur, confeſtim me facies per litteras tuas certiorem, ut ſi forte nos illuc iterum proficiſci contingat, non ignorem, quantum mihi in eo negotio perficiendum reliquerit. Enitar certe quoad ejus rei fieri poterit, uti ne fruſtra in fide, & diligentia noſtra præſidium tibi poſuiſſe videaris. Cæterum Syngrapham ea potiſſimum ratione apud me retinere volui, ut qui ſponte (ſic enim mihi perſuaſum eſt) æquitati fuerat conceſſurus, adhibita etiam ejuſmodi tanquam honeſtiſſima coactione, nullum omnino ſibi effugium patere cognoſcat. Chalcidii commentarios in Timæum, ſi ei, qui has ad te deferet, nobis reddendos commiſeris, tantopere mihi erit gratum, quantopere ejus libri lectio a me diutius deſiderata eſt. Statim enim ad nos reverſurus quicquid illi a te commendatum fuerit, ex fide reſtituet, quod ſi pretium indicaveris, illico tibi pecuniam repræſentari imperabo. Vale.

69 AMICO CUIDAM

Quod duabus Epiſtolis ab amico exquiſiverat, qui nullas dedit, exquirit nunc tertia. Poſtulat primo, qua ratione confici poſſit machina quædam mathematica ab Euclide oſtenſa in globi definitione; poſtulat ſecundo ut diffuſius explicet locum quemdam difficiliorem de Iride, quem in Meteorologicis Ariſtotelis pene intactum reliquerat.

BInas ad te ſuperioribus diebus litteras dedi, quæ quoniam certiſſimis hominibus commendatæ fuerunt, conjectura aſſequor, tibi reddi-

tas

tas fuiſſe. Cumque ut a te nobis reſponderetur mirifico arderem deſiderio, obtuliſſetque ſe nobis rurſus certi hominis commoditas, non ſum veritus tertiis etiam moleſtus eſſe tibi, eoque libentius id feci, quod is ad nos, confectis iſtic aliquibus negotiis, confeſtim eſt reverſurus. Primis igitur a te ſummopere flagitabam, uti ne ad me reſcribere gravareris, qua nam ratione machinam illam confici poſſe putares, quam ab Euclide nobis oſtenſam fuiſſe ſcripſiſti in globi definitione. Etſi enim intelligere mihi videor te ex circumductione ſemicirculi, in lignea æreave materia, ſic tornatilem globum fieri poſſe opinari, quemadmodum ex circini circumductione fit circulus, quo tamen pacto id fieri debeat, cuperem ut a te illuſtrius eſſet declaratum. Cum enim nulli dubium ſit rem ipſam ſejunctam a materia conſideranti, quod ſuum proprium eſt mathematicorum, Euclidis definitionem intelligi poſſe, in materia certe, cum in eo diu & torno, & aſcia laborarim, nondum tamen id quod volebam ſum aſſecutus. Quid vero obſtet, tum facilius a te intelligetur, ſi non cogitatione tantum, ſed inſtrumentis etiam volueris experiri. Ego ſane adhibitis ejus generis artificibus admodum peritis, non difficilem ſolum, ſed ejuſmodi, ut omnino confici non poſſit, machinam illam tuam inveni. Et niſi deſcriptione, aut certe verbis id a te nobis illuſtrius fuerit expreſſum, omnino me aſſequi poſse deſpero. Alteris porro litteris petebam, ut ni tibi moleſtum eſset, locum de Iride, quem in Meteorologicis Ariſtotelis pene intactum reliquiſti, diffuſius explicares, idque non mea ſolum cæterorumque, ſed tua etiam præcipue cauſa. Cum enim ais præteritum a te locum, quod difficiliori quadam ratione tractandus eſset, vereor, ut doctis a te ſit eo pacto ſatisfactum, quorum præcipue ratio in his, quæ ſcribimus, mihi habenda eſse videtur. Si vero rudium etiam gratia te tantum ſcribere profitereris, nunquam tamen in difficilioribus locis ſic eſsent illi deſtituendi, ut nihil præter ea quæ omnino cognitu facilia ſunt, intelligere poſse crederentur. Cum vero nihil ſit in Meteorologicis oſtenſione illa Iridis ingenioſius, ſit etiam a græcis, potiſſimumque ab Alexandro, planiſſime demonſtrata, opinor te rudioribus illis gratiſſimum facturum, ſi non perinde de ipſorum ingenio deſperaris, quaſi nihil difficile obſtruſumque labore, aut diligentia ſint aſsecuturi. Doctioribus vero hac ratione occurri a te poterit, qui, ut ſe habent pleſumque mores, non ieicirco fortaſse a te præteritum locum judicabunt quod rudioribus conſultum volueris, ſed quod nondum a te ſatis fuerit intellectus. Quare, ſi denuo curaveris ut paraphraſes illæ imprimantur, opinionem, quam de te apud omnes concitaſti, eo pacto ſuſtinere poſse videberis, ſi ea quoque pars, ut pleraque omnia, plane dilucideque, addo etiam mathematicis demonſtrationibus a te fuerit explicata. Hæc illa ſunt quibus a te reſcribi magnopere deſiderabam. Quod quidem ſi ut facias, poteris animum inducere, id humanitati facilitatique, addo etiam doctrinæ tuæ erit conſentaneum.

Sin

Sin autem ſecus a te fuerit conſtitutum, ea quoque de re ut me certiorem facias te vehementer etiam atque etiam rogo, ne & ego poſthac fruſtra in ſcribendo ad te laborem inſumam, & tibi ſim fortaſse moleſtior quam aut tu velles, aut moderationis, & communis ſenſus ratio poſtularet. Vale.

70 *AUGUSTINO GRIMALDO*

EPISCOPO GRASSENSI.

Quam ex cujuſdam verbis ſpem didicit concepiſſe Graſſenſem brevi accedendi propius, eam cupiens impleri Gregorius Graſſenſi memorat quæcumque ſunt ad id aſſequendum aptiſſima, & eum cupit a moleſtiis ad quietem apud ſe tranſire. Mercatorem quemdam Genuenſem commendat, qui neſcio quid ſibi ab ejus fratre deberi aſſerit.

INcredibili me affecit jucunditate Simon noſter, qui cum mihi verbis tuis ſalutem dixiſſet, adiecit præterea te in maximam ſpem veniſſe brevi fore, ut te ipſo hic frui poſſemus. Qua re nihil & nobis gratius, & tibi ad tranquilliorem ſedatioremque vitam accommodatius accidere poſſe opinor. Cum enim hæc loca ſemper mihi viſa fuerint amœnitatis, & oblectationis pleniſſima, mirum quantum quotidiano hoc experimento conceptam jam de ſe opinionem in nobis confirmarunt. Etſi mirum in modum voluptas iſthæc noſtra, abſentia tua imminuitur, quod non æque gaudeam opportunitatem mihi abs te comparatam eſſe, ut vitam in rebus jucundiſſimis traducere poſſim, ac doleo te illis carere, quæ coniectura ex animo meo facta tibi longe gratiora, quam quæ iſtic habes, futura fuiſſe ſuſpicor. Quare pedibus, manibuſque, ut ajunt, tibi enitendum eſt, ut relicta illa alpium aſperitate, relicto tubarum, tympanorumque ſtrepitu, relicta nocturnarum excubiarum exploratione, relicta denique ſollicita illa corporis cuſtodia, huc ad nos quam primum proficiſcare, ad eaque confeſtim advoles quæ tibi & ad moleſtiarum levationem, & ad honeſtiſſimum ocium tanto ſtudio & diligentia comparaſti. Quibus eo difficilius te carere arbitror, quo experte, quam penitus incognitæ voluptatis, longe acerbior recordatio conſuevit eſſe. Et hæc quidem non iccirco ſcribo, quod te non id aſſidue meditari neſciam, ſed ut gratiſſimarum rerum veluti refricata memoria, promptior fias ad ea expedienda, quæ & pondere rerum, & temporum iniquitate puto eſſe impeditiſſima. Mitto præterea ad te litteras, quas ad me mercator quidam Genuenſis dedit, & ille quidem de facie, ut ſcribit, non tibi incognitus, qui cum neſcio quid ſibi a te deberi prolato etiam fratris tui Chirographo dicat, non aliter ſe tibi commendatum fore credidit, quam ſi ad æquitatem poſtulationis ſuæ vis quoque no-

Digitized by Google

noſtræ commendationis accederet ; quæ jam apud omnes tanti ponderis exiſtimatur, quanti tu eam exiſtimari voluiſti. Perfectum enim a te eſt declaratione amoris erga me tui, ut niſi apud amicos & propriæ opis diſſimulator, & uni mihi commodus (ut Flaccus ait) haberi velim, ejuſmodi officiis frequentius quam vellem tibi cogar moleſtus eſſe. Gratiſſimum mihi erit, ſi quid de ea re ſtatueris, ad me ſcribere non gravaberis. Qua in re non Romanam, non Gallicam, ſed nec provincialem quidem linguam, modo, ut id commodo tuo fiat, aſpernabor. Vale.

71 *AUGUSTINUS EPISC. GRASSENSIS*

JACOBO SADOLETO S. (a)

In graviſſimo mærore ob unici fratris acerbiſſimam necem, epiſtolam accepit Graſſenſis a Sadoleto ad levandum dolorem. Commodum veniſſe eam fatetur; graviſſimum tamen inflictum vulnus haud facile quidquam mederi poſſe, ex maxima felicitate, vitæque tranquillitate ad perditam fortunam ſe nunc devolutum; unam ſupereſſe tot inter calamitates jucunditatem, Gregorii noſtri conſuetudinem.

GRaviſſimo mihi fortunæ vulnere afflicto redditæ ſunt litteræ tuæ plen[illegible]iæ & officii, & humanitatis. Cum enim me abs te ſummopere amari mihi antea fuerit perſuaſiſſimum, hæc tamen potiſſimum Epiſtola expreſſius quodammodo, & illuſtrius incredibilem tuam erga me benevolentiam, tamquam ea, quæ oculis cerni ſolent, mihi perſpectam fecit. Quapropter, multi honeſtiſque de cauſis non modo graviſſimi caſus levationem aliquam, ſed ſolatium etiam non mediocre nobis attulit. Cum enim hoc meo tempore te ita affectum fuiſſe cognoſcam, ut pene ipſe conſolatore indigueris, ejuſmodi tamen & ſententiis, & rationibus uſus es, quæ cum per ſe ad levandum dolorem graviſſimæ eſſent, fie-

(a) Auguſtinus Epiſcopus Graſſenſis fratrem habuit Lucianum Grimaldum Monæci Principem. Hunc per inſidias, & dolos interfecit Bartholomeus Auria ejus nepos anno 1523. Luciani mortem acerbiſſime tulit Graſſenſis; hinc interfectorem inſectatus eſt apud Imperiale tribunal Spiræ, quod ut in ſui favorem conciliaret, Caroli V. favorem obtinere ſtuduit, & Hiſpaniæ protectioni commendavit Monæci Principatum, quem tamquam tutor filiorum fratris ſui adminiſtrabat. Ea res infenſum Graſſenſi fecit Franciſcum I. Galliæ Regem, qui eum expoliavit bonis omnibus, quæ jam in Galliis obtinuerat. Carolus tamen eum decoravit Majoricenſi Epiſcopatu, & Archiepiſcopatu Oriſtanienſi, quin & Cardinalatus honore inſigniri curavit, quo tamen brevi frui potuit, cum anno 1531., vel 1532. e vivis exceſſerit, veneno fortaſſe ex quorumdam ſententia interemptus.

fiebant tamen acceſſione authoritatis, atque eloquentiæ tuæ longe graviores. Ego vero, quemadmodum nunquam me, fratremve meum, præcipua quadam conditione inter cæteros homines natos eſſe exiſtimavi, ut non ſubitis maximiſque fortunæ ictibus ſubjaceremus, ſic fateor, nunquam me eam animi celſitudinem prætuliſſe, ut omnes humanos caſus animi mei magnitudine inferiores eſſe crediderim. Enimvero, quis adeo præmeditatus, aut præmunitus eſſe potuiſſet, quem ſi non mors acerbiſſima unici fratris, genus ſaltem ipſum immanitatis, & inaudita crudelitas non commoveret? Nullam opinor aut prudentiam, aut doctrinam tantum virium habere potuiſſe, ut acerbiſſimum hunc dolorem moderate fuerit toleratura. Sed ne atrocitatem ſceleris commemorando acerbum illud vulnus recrudeſcere faciam, ad me ipſum, meaſque proprias calamitates me convertam. Erit enim per quam ſalubre medicamentum incredibilis doloris, ærumnas meas atque calamitates tecum communicare. Ego quidem cum jam inde ab adoleſcentia eruditi ocii, & litterarum fuerim cupidiſſimus, aſſidue tamen gravibus curis eiſdemque neceſſariis ſimul, & moleſtiſſimis, velut quodam reflante vento, a tranquillitate portus quam a longe intuebar, in maximos negotiorum fluctus memini me eſſe delatum. Cumque diutius difficillima, ut ita dicam, navigatione uſus, nunc demum immenſum illud pelagus ſuperaſſe me putarem, cœperam jam ad diu cupitum vitæ genus actiones meas accommodare, potiſſimumque adventus tui ad hanc provinciam expectatione recreabar, quod in eo me cernerem partem longe maximam felicitatis collocare poſſe, ſi tecum mihi vivere liceret. Poſtquam vero mihi renunciatum eſt, te iſtuc adventaſſe, tantam animo cœpi voluptatem, ut me putarem quod diu optaveram, cumulatiſſime conſecutum. Et ut nihil mihi deeſſet ad id quod inſtitueram, diligentiſſime operam dedi, ut apud me haberem Gregorium Monachum civem tuum, cujus cum mores, &, pene dixerim, pietas erga me mihi cognitiſſima ſint, animo meo longe cariſſimus eſt, atque gratiſſimus. Ex ea vitæ tranquillitate, adeo moribus & inſtitutis meis accommodata, repente non in luctum modo laboremque detruſus ſum, ſed ad tam afflictam perditamque fortunam devolutus, ut non amicis tantum, & his omnibus quæ ſummo mihi ſtudio comparaveram, ſed me ipſo etiam mihi penitus ſit carendum. Quare tantum abeſt ut dies ipſa luctum meum levare poſſit, ut ſummopere verendum ſit, ne etiam longinquitate temporis augeatur. Cum enim cæteri dolores vetuſtate mitigari conſueverint, hic non poteſt non & ſenſu præſentis miſeriæ, & recordationis præteritæ vitæ quotidie augeri. Jam ſolatia illa ſtudiorum, quæ ipſe mihi adhibiturus fueram, irruentibus undique moleſtiarum fluctibus ſic obruuntur, ut nec veſtigium fere ſupereſſe poſſit priſtinæ conſuetudinis. Unica mihi inter tot calamitates jucunditas ſupereſt, Gregorii mei conſuetudo, & quotidianum, ut ita dicam, contubernium, in quo interdum aliquantiſper depoſi-

poſitis curis & doloribus acquieſco. Apud quem tantum valuit ſanctum, & venerabile amicitiæ nomen, ut ſpreta ſtudiorum gratiſſima quiete, ſpretis tot locorum amœnitatibus, quibus ordo ille hominum potiſſime abundat, non moleſte tulerit mecum in has locorum anguſtias detrudi, & ablegari. Cujus cum tantus amor erga me ſit, interdum tamen vereri cogor, ne tædio, atque ſatietate præſentis vitæ, & prioris deſiderio, inter tot, tamque moleſtas ſollicitudines, ſolum me repente deſtituat. Quod ſi forte contigerit, erit tunc mihi litterarum tuarum ſolatium, quod nunc quidem maximum eſt, atque optatiſſimum, tunc etiam unicum mihique præcipue neceſſarium. Vale.

72 HIERONYMO ADURNO (a)

Poſtquam longo proœmio oſtendit Principes in Rep. non ſolum legibus, ſed etiam exemplo, non ſolum in facta, ſed etiam in dicta turpia debere animadvertere, in eos invehitur, qui tota nocte per vias, & compita obſcænam ſermonis licentiam cum laſcivis cantibus bonorum omnium offenſione miſcebant. Hieronymum tum Reip. moderatorem graviter monet, ut in id totus incumbat, quo peſtis perniciosiſſima tollatur, majorem honoris jacturam ſubiturus, ſi eo regente corrumpantur mores, quam ſi Reſpublica fortunas, opeſque iterum amittat.

CUM omnium legiſlatorum ea potiſſimum mens, id conſilium eſſe debeat, ut civitate ſtabilita optimis & legibus, & inſtitutis, ſic ad ea cives aſſueſcant, ut quoad fieri poteſt, legibus ipſis mores ſint conſentanei, maxime plane ad id aſſequendum prodeſt, ſi de his, quæ facere oportet, quæque evitare, cives ipſi inter ſe quam ſæpiſſime fuerint collocuti. Maximum namque momentum habet ad ſtabiliendos, evertendoſque mores, quales quotidie ſermones habeantur. Index certe morum eſt oratio, quæ tum demum in nobis honeſte ſecuſve affecta eſſe conſuevit, cum jam in alterutram partem morem habitumve, crebro uſu actioneque nacti fuerimus. At vero regem in civitate legem vi-

(a) Jam ab anno 1488. Auguſtinus, & Joannes ex prænobili Adurnorum Familia, Ludovici Sfortiæ nomine Genuam moderati ſunt. Eam nomine quoque Joannis Galeatii ſucceſſoris moderati ſunt ad annum uſque 1499., cum Civitas ad Ludovicum XII. Galliæ Regem defecit. Pro Rege etiam Antonius ex eadem familia Genuæ imperavit uſque ad annum 1513. Sed cum Adurnorum gens Gallorum partes reliquiſſet, non niſi expulſis Fregoſiis tunc cum Carolus V. Genuam cœpit, & diripuit, iterum rerum potitus eſt Antonius, qui tamen omnia gerebat conſilio, ope, auctoritate Hieronymi fratris, ad quem hac de cauſa data eſt hæc Epiſtola. Hieronymus idem multa laude, & inſigni zelo Carolum V. juvit, ſed admodum juvenis deceſſit, magnam relinquens nominis celebritatem, magnumque deſiderium, anno 1523.

Digitized by Google

vivam eſſe credidit Ariſtoteles, qui tanto melior, tanto ſolertior eſſe debet in regendis moribus, inſtituendaque civitate, quanto inanimis animata præſtare certiſſimum eſt, & ea potiſſimum animæ parte viventia, quæ non in ſenſibus tantum, ſed etiam in ratione ipſa dominatur. Enimvero, cum in magna civitate multa Principes latere neceſſe ſit, quod ſoli diverſa, & pene infinita negotia ſuſtineant, non arrogans videri debet, ſi honeſti, juſtique gratia, adde etiam amore in ipſum Principem, quiſpiam inventus fuerit, qui ſi quid in tanta mole, veluti in vaſto corpore, luxatum fuerit, ad ejus notitiam deducat, ut illius opera reponatur. Morbum ſiquidem omnem, qui in quavis corporis parte oriatur, in caput demum redundare, neminem opinor eſſe qui negare audeat. Eſt ſane Princeps in civitate idem, qui in domo paterfamilias: is vero, modo liberaliter inſtitutus ſit, non obſcœne tantum facta, ſed dicta etiam turpiter, aut coercere, aut certe pœna proſequi volet. Qua in re, tanta extitit, in recte inſtitutis civitatibus, graviſſimorum hominum cura, ut etiam cum neceſſe eſſet quippiam nominare, quod obſcœnum aliquid in cogitationem revocare poſſet, alieno nomine uterentur: hinc nimirum metaphoræ, hinc ſimilitudines, & ejus generis complura: etſi paulum hac in re controverſiæ extitit inter antiquos Philoſophos. Si quidem Stoici acuta quadam partitione, nihil eſſe obſcœnum oſtendere nitebantur. Quos tamen omnes, & præterea Cynicos, ratio ipſa, communis vitæ uſus, & Academicorum inſuper authoritas refellebat, verum eſſe negantium, quod a petulantibus illis Philoſophis diceretur, qui quemadmodum flagitioſa dicendo obtegere non curarunt, ſic in obſcœnis patrandis lucem ipſam, & turbas non verebantur. At quanto ſecus parens ille Philoſophiæ Socrates! qui cum ſpecioſum juvenem paulo petulantius loqui audiſſet, plumbeum dixit gladium ab eo extrahi ex vagina eburnea. Enimvero licuerint omnia priſcis illis Philoſophis veritatis expertibus: nunc vero chriſtiana lex, quemadmodum in cæteris omnibus, quæ laudabilia ſunt, culmen ipſum arcemque obtinuit, ſic in hac etiam parte æqua ferme animadverſione dicta ipſa, ac facta compeſcuit. *Fornicatio*, inquit Paulus, *nec nominetur inter vos*. Rurſus, *ſtultiloquium*, *&* *ſcurrilitas*, *quæ ad rem non pertinet*. Te vero dudum expectare ſcio, quonam hæc noſtra ſpectet oratio, quidque ſibi velit tam alte, & ex Philoſophia repetitum principium. Quod ſi non penitus auribus careres, aut certe ſi ita affectæ tibi eſſent, ut Principis decet eſſe, ſtatim audita de honeſtate ſermonis, deque verecundia diſputatione, quonam perventurus eſſem intellexiſſes. Quis enim non audiat, quinam ſint perditorum adoleſcentium in honeſtiſſima hac Civitate, per totas noctes, cantus, quæ ſermonis licentia, quæ procacitas obloquendi? Circumſtrepunt voces obſcœnæ graviſſimorum civium aures, feriunt, vulnerantque laſcivi cantus tenerarum virginum mentes, & corda. Matronæ porro caſtiſſimæ, licet ad id horæ in tenebris, & no-

cte verſentur ; cuperent, ſi fieri poſſit, pudore & verecundia, in occultiora etiam loca ſe illatebrare. Id rogo ad aures tuas nondum pervenit, quod non opifices modo, ſed viliſſima quæque mancipia & audiunt, & erub..cunt. Parietes mediusfidius ipſi hanc tantam licentiam ſi fieri poſſet, incurſu ſuo refutarent. Audis? Aut ſi forte hæc tanquam in Mileſiorum, aut Alexandrinorum, & Sybaritarum moribus ſis educatus, nihil tibi momenti habere videntur ad evertendam, non diſciplinam tantum, ſed etiam ſtatum Reip.: parum mihi diligenter videris, pace tua dixerim, in Platonis iui Rep. verſari: qui non tantum ſeveriorem muſicam immutari prohibet, ſed id fieri poſſe negat abſque Reip. immutatione. An non audiſti præclarum artificem Timotheum, quod id auſus fuerit, Lacedæmone expulſum, extorrem deinceps exulemque vixiſſe? Hoccine illud fuit quod de te ſibi pollicebantur cives tui, cum funeſtam illam univerſi patrimonii direptionem moribus, & ingenio tuo compenſatum iri putabant, ut quantum detractum eſſet rei familiari, tantumdem acceſſurum expectarent civili diſciplinæ? Quare summopere tibi cavendum eſt, ne non tantum longa pace cumulatis divitiis, ſed honeſtis etiam moribus direptam ſpoliatamque patriam poſteris tuis derelinquas. Hic vero nequaquam neceſſe eſt, ut id ſibi impune licere opinentur, quod poematum hæc conſueverit eſſe licentia, ut libere procaciter obloquantur. Auſus enim eſt mihi quidam nuper Ovidium opponere, qui cum dixiſſet, nihil apud Menandrum abſque amore ſcriptum reperiri, demum ſubjecerit: *Et ſolet hic pueris virginibuſque legi*. Dignus quidem, ut, quod factum eſt, pro hac mente perpetuo multaretur exilio. Longe vero diverſa mens fuit Pauli, qui, inter tot amatoria Menandri, præclarum illum ſenariolum delegit, *corrumpunt bonos mores colloquia mala*. Dixerit licet de quodam Hadrianus & cenſor, & Imperator, ut Apulejus ait: *laſcivus verſu*, *mente pudicus erat*. Dixerit Catullus: *Caſtum eſſe decet pium poetam ipſum*, *verſiculos nihil neceſſe eſt*. Dixerit poſtremo alius, cujus etiam nomen erubeſco: *Laſciva eſt nobis pagina*, *vita proba*. Si namque vera eſt omnium Philoſophorum opinio, verba eſſe earum rerum, quæ ſint in animo, notiones, nemo, ut opinor, adeo demens reperietur, ut cum nulla labe maculatum animum habeat, affinis ei crimini velit eſſe, cujus omnino culpa carere ſe noverit. Sed nimirum perinde atque intus affecti ſunt, ſic etiam neceſſe eſt ab illorum verbis animum, mentemque declarari (*a*) *λόγος γὰρ ἔργυ σῆμα κατὰ δημόκριτον*. Quare nunquam aſſequentur, ut non pluris ſit apud nos alius ob ſermonis honeſtatem Parthenices cognominatus, ut non magis judicio meo probati ſint, qui tam abſolutam pudoris rationem habuerunt, ut neque ductari exercitum, neque arrigi aures, neque quæſitum per membra ſoporem, voluerint dici. Quin e-

tiam

(*a*) *Sermo namque operis indicium eſt juxta Democritum.*

tiam tantum ab illorum opinione diſtat opinio mea, ut etſi nunquam æquanimiter, minus tamen iniquo animo, toleraturus ſim, id in ſoluta oratione, quam in poematis peccari: cum quod divinum quiddam eſſe carmen ipſum omnes fere conſentiunt, quod obſcœnitate illa nequaquam debeat inquinari, tum etiam quod ſuavitate quadam, & oblectatione cantus ad verborum obſcœnitatem accedente, facilius in animos illabuntur carmina, & incautas audientium mentes ipſa ſuavitate convulnerant. Enimvero quid te ego conor inſtruere, ſus, ut ajunt, Minervam? quaſi per te ipſe neſcias impudentium adoleſcentium congreſſus iſtos veriſſime rationis objectu refellere: qui conſueveris etiam ex temporali eloquentia, illud quod tantopere Oratores admirandos facit, conſequi, ut inferior cauſa, ſuperior eſſe videatur. Quare cum hoc tantum adiecero, concludam Epiſtolam, nequaquam verens ea libertate tecum uti, quam ipſemet mihi tradideris. Grave vulnus exiſtimationi tuæ familiæque veſtræ ignominiam ſempiternam inuſſiſſe videtur miſerrima iſthæc Patriæ tuæ direptio. Quæ tamen eo pacto elevare ſolitus es, ut vel omnem culpam in eos transfundas, qui parum memores virium ſuarum potentiſſimo exercitui, nullis præſidiis, ſe obſiſtere poſſe ſperarunt: vel in primos exercitus ductores, quibus tantum aberat, ut imperare poſſes, ut etiam tibi invito, illis fuerit parendum. Nunc autem adepto Patriæ tuæ imperio, ſi corruptelam hanc morum, non tantum æquo animo toleraveris, ſed præterea nutrieris tacendo, & diſſimulando, non in fortunam amplius, aut ea, quæ ſupra diximus, ſed in te ipſum, & in perverſam quandam naturam, quod a te quidem alienum eſt, iſti obloquentium fluctus redundabunt: ut jam optatius tibi eſſe debuerit, Patria carere, quæ te exule florens, opulentaque viſebatur, quam adepto Regno tibi, poſteriſque tuis ſempiternum dedecus acquiſiſſe. Quando ne tu quidem negare audebis, longe majorem fieri honoris jacturam, ſi Civitatis mores te regente corrumpantur, ut ejus rei in te princeps culpa eſſe videatur, quam ſi neſcio quid divitiarum amiſerit, cujus jactura & brevi reparari poteſt, & ejus te authorem fuiſſe conſtanter poteris denegare. Vale.

73 *BENEDICTUS THEOCRENUS*

GREGORIO S.

Seriem exponit eorum omnium, quæ Genuæ paſſus eſt, & Gregorium expoſtulat, quod ea non præſtiterit, quæ potuit, ac debuit, ut amicum in maximis calamitatibus juvaret. In hujus expoſtulationis cauſa feciſſe ſe arbitrum Fregoſium, qui tamen ob nimium viri amorem, Gregorium excuſat immeritum.

SUbiratus tibi aliquandiu fui, quod eum te erga nos quem oportebat non præbuiſſes, illo præſertim tempore, quod ut amicorum fidem maxime poſtulabat, ita quo quiſque in alterum animo eſſet, planiſſime oſtendebat. Nam toto quatriduo, quo Genuæ in illis ruinis captivus fui, nunquam me niſi accerſitus adiuviſti, & cum ſemel prece noſtra motus aliquid opis mihi ferre conatus eſſes, idque non ſucceſſiſſet, cauſam meam, cum omnia me extrema circumſtarent, omnino deſeruiſti: ſatisfactum abs te amicitiæ uno periculo ratus. Quod quidem nobis perincommode cecidit; fuit enim mihi ſuſcipienda Turnenſis profectio, in qua parum abſuit, quin ter cæſus fuerim ab Germanis militibus (a) τὰ λύτρα, neque loco, neque tempore opportuna minaciſſime depoſcentibus, qui ægre Principis Sfortiæ, cui me Ghillinus diligentiſſime commendaverat, tum authoritate, tum precibus adducti ſunt, ut poſtenſes jugulo meo centies (b) μονονουχὶ, impreſſos incolumen me inter Principis comites Turnum pervenire ſinerent; ubi ſalus mea ab infandiſſimis prædonibus centum nummis aureis expreſſa eſt. Hinc mille difficultates in nos exortæ, nam e Togata ad Federicum penetrandi, quod in primis optabam, omnis mihi in præſentia erepta eſt facultas, cum victori omnia ſuſpecta eſsent, &, ut ſemel univerſa complectar, fuit mihi per innumerabilia propemodum pericula, & nova ſubinde naufragia quinque ipſos menſes in Italia immorandum, quanquam crebris & litteris, & nunciis, ut ad ſe quamprimum irem, Federicus agebat. Ad quem dum bruma jam inſæviente propero, antea quidem non licuerat, in hoſtium manus incidi; illud ſalutem attulit, quod non ſum agnitus. Quod ſi patrocinium noſtrum ſemel ſuſceptum fortiter proſecutus eſſes, minore omnino pretio jam tum inde Genuæ ab Germanis dimiſſus navigio in Provinciam ad Graſsenſem tuto delatus eſsem. Non enim deerant, ut tibi coram tum diximus, qui me eouſque optima ſe fide vecturos pollicerentur. Illic e-

nim

(a) Lytra redemptoria. Pretium eſt quod pro redemptione ſolvitur.

(b) Tantum non.

him apud virum noſtri amantiſſimum tantiſper ſuiſsemus; dum aliquid certi a Federico afferretur. Multa præterea incommoda, & quaſdam etiam graviores impenſas effugiſſemus, ſi quæ potuit recenti malo medicina adhibita fuiſſet. Quæ cum mecum omnia ipſe animo volverem, non poteram non videri mihi injuſte a te deſtitutus, aut potius frigide adjutus: quo argumento, te nobis in amore nunquam reſpondiſſe colligebam. Id vero quam mihi cauſa tua, non ſolum mea moleſtum accideret, tute cogita. Sæpe fui tecum hoc nomine expoſtulaturus, ſed veritus ſum ſemper ne quid acerbius, dum perturbationi indulgeo, excideret, quod in me poſtea tanquam ex (a) ἀντικατηγορίας retorqueri poſſet. Ita omne ejuſmodi vel officium vel ſtudium in id tempus differendum duxi, quo Federicum coram alloqui liceret, utpote quem non auditorem modo, ſed arbitrum, & diſceptatorem hujus controverſiæ inter nos ab initio uſque decreviſſem nuncupare, & habere. Verum ille cum primum querelas de te noſtras audiit, perſonam mihi viſus eſt patroni quam judicis malle, ea eſt erga te hominis pietas. Itaque paucis tam plene, tamque accurate abſentem purgavit, ut dubitare cœperim, an exacte ſatis omnia accuſando te expendiſſem; ſed mox intellexi, quod extra culpam videreris, patrono magis quam ipſi cauſæ tribuendum. Quamobrem ſi ſapies, non nihil tua intereſſe putabis aliquid ſuper iis ad nos reſcribere, quæ de induſtria aliquanto graviora propoſuimus, ut dignam iſta eloquentia defenſionem eliceremus. Ego quidem in te amando propterea nihil immutatus ſum, ſatis namque putavi in tali officii tui offenſione non tacere. Vale.

74 BENEDICTO THEOCRENO

Superioris Epiſtolæ querelas diluit Gregorius, ſe nihil peccaſſe evincit ex iniquo rerum ſtatu; communium amicorum judicium pro ſe ſtare affirmat, ſuique amoris firmitatem ſpondet.

Nihil mihi ſane magis præter ſpem accidere potuit quam vehemens iſthæc tua expoſtulatio, quæ quidem, ut eſt magna vis eloquentiæ, me etiam ipſum primo aliquantiſper commovit. Veruntamen, cum me collegiſſem, compararemque factum meum cum expoſtulatione tua, nihil omnino fuit, quo partem aliquam officii, illo tuo tempore, a me derelictam fuiſſe, mihi perſuadere poſſem. Nec quidem tantum mihi arrogo, ut affirmare auſim, quicquid amicitiæ noſtræ debebatur, a me præſtitum eſſe. Illud enim infinitum quoddam eſt, & quod a nemine, ut opinor, præſtari poſſe videatur. Quicquid tamen a mediocri viro

(a) *Ex reciproca accuſatione.*

viro expectari poteſt, abunde tunc a me præſtitum tibi fuiſſe; vehementer contenderim. Nec ſane æquum eſſe arbitror, te, ex magnitudine animi tui, aliorum conjecturam facere, quem natura excelſum quendam, & ſuperiorem omnibus humanis caſibus effinxit. Me vero vel frigidum, vel etiam, ſi magis ita libeat, in communibus officiis ineptum appelles licet, dum plane nihil prudentem, volentemque in amicitia peccaſſe confiteare. Sed quoniam ad diſceptatorem Federicum me vocas, a quo nec mihi, nec tibi eſt provocatio, nihil eſt quod mihi difficile fore ſuſpicer in hac cauſa, quando & arbiter, non ſolum propitius, mihi contigit, ſed qui patroni etiam perſonam ſuſcipere non ſit veritus. Poſt cujus quidem patrocinium, neſas omnino mihi eſse putarem, verbum aliquod pro mea cauſa facere, niſi ad id adverſarius me coegiſset; & non nihil etiam vererer, ne tua hac expoſtulatione, in quotidianis congreſſibus, quæ tibi vis perſuadendi eſt, etiam ita erga me animato judici quippiam perſuaderes. Cum ſit illud eloquentiæ (*a*) *τὸν κρείττον᾽ ὅς τις ἐςὶ ϗ τὸν ἥττονα*. Ego, mi Theocrene, quantum memoria repetere poſsum iniquiſſimi illius temporis diſcrimina, & calamitates, neminem fuiſse opinor tam ſui compotem, qui, ultra id quod ob oculos eſset, potuerit proſpicere: quod ſi aliunde non ſatis noſti, ex te ipſe conjecturam facias licet. Ego certe cum ad primam ſtatim hoſtium irruptionem complures deinceps impetum in me feciſsent, qui ſe pro comperto habere dicebant auream, argenteamque ſupellectilem, maximum præterea pretioſæ veſtis, & gemmarum numerum a Federico ad nos fuiſse translata, amicorum conſiliis acquieſcens ſtatui, mihi tantiſper tempori cedendum eſſe, donec atrox illa tempeſtas acquieviſſet. Nec toto illo triduo quiſque omnino mortalium fuit, non dicam qui a te mihi tulerit nuncium, ſed nec qui ubi gentium eſſem, poſſet cognoſcere. Cum vero ex illis, ut ita dicam, latebris prodiiſſem, jamque pro adverſæ valetudinis curatione dilutum neſcio quid bibiſſem, certior factus te Genuæ eſſe, quem cum Federico noſtro profectum credideram, adventumque meum ad te deſiderare, oblitus omnino & valetudinis, & pharmaci, confeſtim ad te advolavi. Hic vero libenter taceo, in quibus viris quantaque opulentia, non illorum quidem, ſed temporis iniquitate nihil, non dicam auxilii, ſed nec conſilii quidem, te inveniſſe mihi narraveris: ne cum demum de me ipſe loquar, prudentiam tuam videar deſiderare, qui id ab hoſpite, & ut ſe res tunc omnium habebant, indigo rerum omnium, ſperare potueris quod tot cives tui, qui in ſuis ſummis verſabantur, præſtare non potuiſſent. Amicorum, inquies, opera utendum fuit. Id quidem certe dicere poſſem, quod meminiſſe te arbitror, complures me tunc appellaſſe, ſed illud plane tibi perſuaſum eſſe certo ſcio, me in tantillo temporis,

(*a*) *Ut qui ſuperior eſt cauſa; inferior eſſe videatur;*

poris, quo Genuæ hoſpes fueram, neque certiores, neque fideliores amicos parare potuiſſe, quam tu in patria tot annorum ſpatio paraviſſes. Quod vero ad Sfortiam, Barbaroſque attinet, ſcis me difficillima diei hora illo tunc profectum, quo non ordinis, non valetudinis quidem, ſed amoris tantum noſtri ratio poſtulabat; inter gentem efferatiſſimam, cujus ſe non regem, ſed ſubiectum eſſe ipſemet Sfortia non eſt veritus confiteri. Addiditque inſuper, nihil te ſperare de conditionibus, quas firmaris, poſſe immutari. Acerbeque me audiente Gilinum increpuit, quod vas pro te factus, ad illos proficiſci non extimuiſſet, a quibus ſuſpicari poſset magnum aliquod malum ſibi imminere. Summa poſtremo ſermonum hæc fuit: cupere ſe quidem tibi, Gilinoque ſtrenuam operam navare, ſed nihil earum rerum fore in poteſtate ſua. Hic vero dicerem optandam mihi fuiſse vim tuam perſuadendi, niſi viderem, te poſtea diebus compluribus, additis ad eloquentiam ſordibus & ſquallore, vultuque illo tuo, qui tacens etiam maximi Oratoris inſtar habere conſuevit, nihil de ſumma, quam pactus fueras, detrahere potuiſse; nihil illos flexiſse ad miſericordiam, quos qui ego non flexerim, tam acerbe mihi iratus fuiſti, ut etiam ſummo jure mecum experiri non dubitaris. Illud poſtremo quod minimum quidem eſt, in tam conſtituta amicitia, quoniam me ad calculos revocas, præterire non poſsum, ut ex Feritore, ubi diutius ſub ardentiſſimo ſole multæ a me difficultates devoratæ ſunt, tandem correptus vehementiſſimis doloribus, vix domum me recipere potuerim, & ut ſequenti nocte inter manus miniſtrorum, aſſiduaque fomenta, jacuerim ſemivivus. Id vero ea de cauſa accidit, quod, ſumpto medicamento, conſuetam diligentiam non adhibuiſsem. Quare mihi neceſse fuit poſtridie ejus diei, quo hæc contigerant, violentius pharmacum ſumere, cujus vi affecto corpore complures dies memini me jacere: miſique illico qui nomine meo de his omnibus te faceret certiorem. Hæc ſunt, mi Thocrene (a) περὶ ὧν ἔδει με ἀπολογήσασθαι, quibus ſi acquieveris, pergratum mihi erit, ſi minus rurſus ad Federicum. Philippo Saulio non modo nomine tuo ſalutem dixi, ſed ad ipſum quoque detuli querelas tuas, qui, cum feſtinatiſſimo ſuffragio ſecundum me judicaſset, magis mihi viſus eſt operam dare, ut te nihil in amicitia peccaſse mihi perſuaderet, quam ut me quippiam peccaſse ſuſpicaretur. Cœterum ita tibi perſuadeas velim, ſive irato animo ad me ſcripſeris, ſive ut ipſe præ te fers, litterarum mearum eliciendarum gratia, me cum a Federico diſceſserim, neminem habere, quem æque ac te diligam, & obſervem, mihi jam diu perſuaſum eſse te mirifice nobis in amore reſpondere. Quoniam vero ea tempora inciderunt, ut mutuo amore noſtro coram frui non poſſimus, danda eſt ſaltem opera, ut & litteris, & officiis nos invicem creberrimis excitemus. Pergra-

(a) *De quibus me purgatum oportuit.*

gratum mihi erit ſi Budæum nomine meo ſalutaveris, noſque feceris certiores, quot qualeſque doctos viros tibi conciliaris, quid litterarum, quid judicii iſtic inveneris. Vale.

75 *BENEDICTUS THEOCRENUS* GREGORIO S.

Epiſtolam, qua Theocreni accuſationem repulit Gregorius; tam fortem, tam elegantem, tam gravem fatetur Theocrenus, ut ipſemet det manus victas, & de Epiſtola præclare ſentiant viri omnes docti, qui eam, ejuſque auctorem ſuſpiciunt, ac prædicant.

SI Thulem, non Lerinam incoleres, citius ad nos, Gregori, perferrentur litteræ tuæ, nam quas ad III. Nonas Novembris iſtinc dederas, idibus demum Februariis accepimus. Quod quidem effecit, ut æquius te prope coram audire viſi fuerimus objecta noſtra, quæ ſolo tarditatis argumento innitebantur, acutiſſime purgantem: quamquam quid ego tuam in amolienda ingratitudinis ſuſpicione ſolertiam commemorem, quam ut abſolutiſſime præ te feras, non eſt ea tamen meo judicio inter ſummas Epiſtolæ tuæ laudes cenſenda, ubi virtutes aliæ longe antecellunt. Efferunt enim ſe inprimis atque oſtentant in verbis delectus eximius, incredibilis candor, admiranda vis, & efficacia, in ſententiis ſuum atque adeo conſentaneum pondus, jucunda varietas, decentiſſimus lepor, utrobique perſpicuitas, quantum vix hodie præſtari poſſe credideram. Quid ſingula perſequor? Omnia illic apta, diſtincta, & vim plane afferentia: non enim ſolum univerſa mihi tela confutans eripuiſti, quibus rurſus peti poſſes, ſed quæ in te vano impetu emiſeram, ſic retorques ut vulnus faciant lethaliſſimum, quod mox tamen adhibito in tempore medicamento curabile ipſe reddis. Didicimus itaque hoc periculo, Gregori, quam non tutum ſit tali viro negotium exhibere, & in forum eum adducere, qui non alibi ſit exercitatior. Neque vero id ego ſolus intellexi, qui libertatem meam tam infeliciter tentaveram, ſed & principes mei cum primum Epiſtolam tuam legiſſent, graviter teſtati ſunt, nihil ſe id genus a junioribus ſcriptum adhuc ſcire, quod videatur aut elegantius, aut pugnacius. Quorum ego tanti facere ſoleo judicium, ut alterum non requiſierim. Quicquid enim undique ab litteratis viris ad nos ſcribitur, ad eos ſtatim afferimus, & tanquam optimis judicibus legendum tradimus, vel ipſi recitamus: ii quantopere jam te ament, atque admirentur, paucis dici non poteſt. Quod tibi mehercle tam jucundum eſſe debet, quam tu es illis admirabilis, quando hic eſt ſtudiorum fructus preclariſſimus tantorum virorum gratiam do-

ctrinæ opinione colligere; taceo reliquos cives noſtros, qui vel teſtimonio meo, vel tuarum litterarum elegantia ita de te univerſi ſentiunt, ut doctorum omnium ſine controverſia ordinem te ducere exiſtiment, principemque Corteſium in ore habeant, quotieſcunque de hominibus eruditiſſimis infertur mentio. Quamobrem nemo fuit ex his, qui non omnino a muſis ſunt alieni, qui non exemplum Epiſtolæ tuæ a nobis impenſiſſime flagitaverit, ut non ſufficiant ei tranſcribendæ amanuenſes mei. Eſque tu tam hic notior, quam in urbe Mutina, cui natales tuos acceptos ferimus. Sed hæc parcius, ne ſi temeritatem te increpando incurrimus, videamur tam obliqua ſatisfactione velle peccatum redimere. Vale.

76 HIERONYMO ADURNO

Cum urgente Hieronymo libros recuperaverit Gregorius, quibus fuerat ſpoliatus, jucundam fuiſſe ait jacturam, cujus cauſa clariſſimi viri amicitiam adeptus eſt, cui ſe totum pollicetur, ac donat.

QUod nunquam fore putavi, ut illis gratiam deberem, qui me librorum meorum ſupellectili ſpoliarant, id mihi nuper beneficio, atque humanitate tua contigiſſe gaudeo. Ea namque iniuria potiſſimum cauſa extitit, ut gratia, atque favore tuo indigerem, quæ mihi ita humaniter, atque abunde pollicitus es, ut tamen ampliſſimas pollicitationes opera atque officio ſuperaris. Jamque animo meo gratius eſt, atque jucundius quod te rogarim, quam id quod poſtulaveram impetraſſe. Accidit enim mihi, licet aliud agenti, ejus tamen rei cupidiſſimo, ut in amicitiam tuam clanculum inſinuarer, qua nihil mihi gratius non modo aliquando contigit, ſed vix etiam in futurum contingere poſſe non dubito. Libros præterea diligentia, atque amore tuo conſervatos ad unum omnes recuperavi. Cæterum etſi officio ipſo admoneor, ut a te ſuſcepti pro re mea laboris aſſidue memor eſſe debeam, præcipue tamen cum ad hos ipſos libros acceſſi, nihil aliud nobis perſuadere velle videntur, quam ut cujus opera factum eſt, ut cum ipſis aſſiduus eſſe poſſim, ejus ſaltem jucundam, ſuavemque memoriam aſſidue teneam, quando nequeam tantis tuis in me beneficiis aut ſtudio aut opera reſpondere. Ego vero facile hoc me facturum recipio, quod, ut opinor, egregie ſum præſtiturus. Tantum enim abeſt ut moleſte feram in hac noſtra ratione, me tibi plurimum debere, ut etiam ſi quid ad cumulum accedere poteſt, magis magiſque in poſterum tibi debendi ſim cupidiſſimus. Quod vero ad cætera attinet, nequaquam expectandum eſt, ut tibi quippiam de me pollicear, cui deinceps liberum fore confiteor cuicunque volueris de me polliceri. Vale.

Digitized by Google

77 HIERONYMO ADURNO

Priores litteras Hieronymo redditas non fuiſſe novit ex Saulio. Id moleſte admodum tulit veritus ne hoc tribueretur ingrati animi vitio, a quo maxime abhorrens beneficiorum memoriam renovat officiumque iterat.

NIhil mihi moleſtius accidere poterat, quam ut noſtræ ad te litteræ non perferrentur. Quod ſive iniquitate temporum evenerit, ſive negligentia eorum, quibus commendatæ fuerant, non ſatis ſcio. Certe cum idipſum mihi Saulius noſter renunciaſſet, qui poſtquam eas fideliſſime accepit, quas ad ſe eodem die dederam, compluribus diebus ſe tecum fuiſſe dicit, nihil mihi viſum eſt eidem officio prævertendum. Quæres forte, quidnam gravioris rei litteræ illæ habuerint, ut ipſas periiſſe tantopere doleam. Illud utique, quod in maximorum virorum vitam, moreſque intuens, maximam ſemper vim in optima quaque natura habuiſſe cognoſco. Vereor enim ne parum memor acceptorum beneficiorum judicari poſſim: cum hoc ipſo nihil facilius efficere poſſit, ut male collocata eſſe videantur. Ea vero quæ in me contuliſti, talia, tantique ponderis extitere, ut meipſum mihi hoc officio abs te reſtitutum eſſe & confitear, & præ me feram, cum illud mihi reſtitueris, ſine quo vita omnino mihi acerba futura videbatur. Quid enim libris gratius eſſe poteſt his, qui in libris aſſidue verſari conſuevere? Quare, cum nequaquam par gratia a me poſſit tanto beneficio referri, certe operam dabo, ne ejus memoriam ulla unquam deleat oblivio. Etſi qui deinceps fructus futuri ſunt ſtudiorum meorum, quod a te omnes proficiſcentur, merito etiam tibi dicatos, conſecratoſque ſuſpendemus. Vale.

78 HIERONYMO ADURNO

Erudite, & eleganter contendit majus innocentiæ teſtimonium habere eum, qui ſevere examinatus judicium obtinuerit innocentiæ, quam qui deceſſerit nullis unquam excuſſus quæſtionibus. Julianus Grimaldus varie licet oppugnatus magnifice tamen accuſationes repulit, ac dejecit; maximum igitur habet pro ſe integritatis teſtimonium, & in eamdem ſententiam Hieronymum jam concedere autumat Gregorius.

ILlud demum ſummæ innocentiæ teſtimonium mihi eſſe videtur, cum diligenti hominum perveſtigatione cujuſpiam moribus univerſoque vitæ curſu ſevere examinato, nihil inventum fuerit, non modo quod puniri debeat, ſed nec quod jure reprehendi poſſe videatur. Et ſi quiſpiam ejuſmodi inventus fuerit, hunc non verebor illis præferre, qui tran-

tranquillam, & opinione omnium innocentem vitam ducentes, nunquam hominum judiciis, aut quæſtionibus excuſſi deceſſerunt. Quare ſi mihi Scipionis illius, qui a Senatu Romano vir optimus judicatus eſt, Cenſoriique Catonis, qui quater, & quadragies cauſam dixit, toties abſolutus, facienda ſit contentio, non verebor longo intervallo Catonem præponere. Quod & de quibuſdam Ariſtophonte, & Cephalo ſcripſit Æſchines, quorum prior (*a*) γραφὰς ἑβδομήκοντα, καὶ πέντε πέφευγεν, alter autem (*b*) οὐδεμίαν πώποτε γραφὴν πέφευγε. Infinitæ ſunt nempe non in pectoribus modo, ſed in hominum etiam actionibus latebræ, innumerabiles ſinus. Diſſimulando multa, plura etiam ſimulando, complures innocentiæ, bonitatiſque nomen nanciſci poſſe videntur. Ut non alia de cauſa fabricatorem hominis Momus reprehendiſſe videatur, quam quod non pectora hominum feneſtrata feciſſet, ut non actiones modo, ſed cogitatus etiam liceret intueri. Cujus vero vita pulſatur quæſtionibus, judiciis agitatur, vexatur teſtimoniis, in eo nihil latebroſum, nihil occultum reſidere patitur inimicorum diligentia, importunitas accuſatorum; in lucem prodeant univerſa neceſſe eſt. Adde etiam, quod cum calumniarum, obtrectationumque plena ſit vita, ille ipſe innocens, ſi in ſuſpicionem venerit, non verius abſolvi poteſt, quam ſi cum inimici quid in eo reprehendant non potuerint oſtendere, nec juratus etiam judex inveniat quid condemnet. Recte igitur majores noſtrum facile patiebantur plurimos accuſatores eſſe, quod innocens ſi poſtulatus ſit ex ea ipſa accuſatione gloriam, honoremque conſequi poteſt, reus, niſi accuſatus, non poteſt condemnari. Utilius vero eſſe judicarunt innocentes abſolvi, quam nocentes cauſam non dicere. Idipſum uſu accidiſſe opinor Juliano Grimaldo, qui duabus rebus, quæ plurimum in Rep. valere conſueverunt, gratia ſcilicet, & clarorum virorum ingeniis oppugnatus, vim omnem accuſatorum, judiciorumque tela, a ſeipſo ſociiſque innocentia tantum & integritate tectus, magnifice repulit, atque dejecit. Quare nec locupletius quidem teſtimonium integritatis potuerat optare, quam illum ipſum exitum judicii, tam præclarum, atque magnificum: ut jam non mirum eſſe videatur, quod abſolutus fuerit, ſed quod in mentem venerit inimicis tanta innocentia virum accuſare. Admiranda tamen omnino mihi videtur hujus viri mens, atque conſilium: cui cum olim non ſuffecerit optimorum virorum ſententia illa, quæ conſcientiam mille teſtium inſtar habere dicit, nunc etiam publico judicio abſolutus non acquieſcat, ut facile conjectura aſſequi poſſimus non potuiſſe ejus hominis mentem iniquum aliquid concipere, qui ſe in ſuſpicionem veniſſe perpetrati delicti, etiam abſolutus, tam inique patiatur. Cum igitur acta omnia ejus judicii examinarim, non ſecus de ipſo judicare potui, quam quod inimici ejus, quod juratus judex, quod vir ille Deo di-

(*a*) *Quinquies, & ſeptuagies cauſam dixit*, (*b*) *Nullam unquam dixit cauſam.*

Digitized by Google

dicatus humani, divinique juris conſultiſſimus, judicarit, Julianum ſcilicet tam longe abeſſe a culpa, quam illi ipſi accuſatores a modeſtia abfuerunt. Hortarerque te ut eadem de ipſo ſentires, quæ tot teſtes jurati ſenſerunt, niſi mihi eſſet perſuaſum te non id a me quæſiſſe, quod ſecus ſentires, ſed quod tecum quamplurimos illius innocentiæ teſtes habere velis. Vale.

79 *PHILIPPO SAULIO*

EPISCOPO BRUNIATENSI.

Non potuit Gregorius ad Bruniatenſem accedere, ut optaverat & diuturniore negotio conficiendo detentus, & amore Graſſenſis Pontificis, quem noluit in rebus trepidis deſerere. Itaque moram excuſat, & ad amæniſſimam Lerinam ſuam amicum invitat; cum tamen eum venturum non ſperet, litterarum, ſtudiorumque commercium promovet; de Theophilacti, & Chryſoſtomi commentariis ſermonem habet.

CUM a te amoris, & humanitatis pleniſſimam epiſtolam acceperim; eo fui tardior ad reſcribendum, quod mihi nequaquam perſuaderi poterat, navigationem meam ad vos in hanc diem reiiciendam eſſe. Contigit autem præter ſpem expectationemque meam, ut negotium illud, quod me, ſimulatque applicuiſſem, confecturum putaram, difficiliorem omnino exitum opinione noſtra habere experiremur. Etſi enim non admodum moleſte fero, me potiſſimum eo tempore hic affuiſſe, quo abſentiam meam Graſſenſis Pontifex moleſtiſſime fuerat toleraturus, abſentis tamen tui deſiderium compluriumque, qui mihi pene meipſo cariores ſunt, mirum in modum me anxium habet, atque ſollicitum. Veruntamen quoniam niſi ſalvo officio hinc diſcedendum non eſt; non video qua ratione, ut nunc ſe res habent, ad vos redire poſſim. Urges me tu quidem & velut obſignatis tabellis mecum agis (a) ἐγὼ παῦλος ἔγραψα τῇ ἐμῇ χειρί. Quanam igitur ratione ex his laqueis potiſſimum me expediam? Utar eodem Paulo auxiliatore, & patrono (b) εἴπως ἤδη ποτὲ εὐοδωθήσομαι ἐν τῷ θελήματι τοῦ θεοῦ ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς. Rurſuſque (c) ἐβουλόμην ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς πρότερον τοῦτο οὖν βουλόμενος μή τι ἄρα τῇ ἐλαφρίᾳ ἐχρησάμην. Neceſſe eſt enim ad varia temporum momenta actiones etiam noſtras accom-

(a) *Ego Paulus ſcripſi mea manu* Epiſt. ad Philem. v. 19.

(b) *Si quo modo tandem aliquando proſperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos.* Ad Rom. I. 10.

(c) *Volui prius venire ad vos. Cum ergo hoc voluiſſem, nunquid levitate uſus ſum?* 2. ad Cor. c. 1. v. 15. 17.

commodare. Non verebor igitur ejus criminis accuſationem ſubire, in quo prius peccaſſe Paulum, ſi vere crimen eſt, nobis neceſſe eſt confiteri. At ſi maxime peccatum eſſet, ejuſmodi eſt Graſſenſis mei in me amor, atque benevolentia, ut ejus gratia vereri non debeam opinionem meam de amicitia ad Theophraſti opinionem accommodare; qua rependi putat, & compenſari leve damnum delibatæ honeſtatis, majore alia gravioreque in adjuvando amico honeſtate. Utinam vero fieri poſſet, ut tu quoque relaxandi animi gratia huc aliquando proficiſcerere! ea eſt hujus cœli clementia, & ſalubritas, ea amænitas locorum, & quod moribus meis maxime conſentaneum eſt, grata quæpiam & amabilis ſolitudo, ut fieri poſſe non dubitem, te quoque ab eiſdem vinctum, captivumque retinendum eſſe. Si enim tantum virium habuit neſcio quis ille Lotophagorum cibus, ut, quod Homerus ait (*a*) ὅςις λωτοῖο φάγοι μελιηδέα καρπὸν ὐκ' ἔτ' ἀπαγγεῖλαι πάλιν ἤθελεν ὐδὲ νέεσθαι; quidnam futurum eſſet, ſi præter amæniſſimam locorum faciem, præter fructus terræ ſuaviſſimos, fortiſſima illa vincula tibi injicerentur, quibus etiam Sirenas ipſas apud inferos detineri Plato confinxit? Verum quoniam id ne ſperandum quidem nobis eſſe videtur, danda eſt ſaltem opera, ut litteris inter nos quam ſæpiſſime colloquamur. Quod ſi tibi gratum fore cognovero, me in eo genere mirifice tibi reſponſurum eſſe polliceor. Cæterum quod ſcribis te cum Paulino noſtro aſſidue in græcis, & eiſdem ſacris litteris oblectari, idem ego, & Dionyſius in hac amæniſſima ſolitudine facere cogitamus. Ad hanc nanque diem Monæci apud Graſſenſem commorati, nondum animum adiicere potuimus, ne oculos dicam, ad ejuſmodi quippiam pertractandum. Gratiſſimum nobis erit, ſi nos quam ſæpiſſime feceritis de veſtris ſtudiis certiores. Erunt nanque litteræ veſtræ honeſtum quoppiam incitamentum nobis ad id ſollicitius peragendum, quod ſponte quoquo modo eramus facturi. Theophilacti commentarios tibi tantopere probari mirum in modum gaudeo, cenſeoque nobis omnino utendum eſſe benevolentia, & liberalitate patrum illorum, ut tantiſper apud nos ſint, donec integri deſcribantur: ſi enim te id paulo vehementius deſiderare cognoverint, non committent, ut importuna exactione, tali officio partum humanitatis nomen amittant. Quod ſi forte importuniores futuri eſſent, non vererer ſententiam Euripidis in re longe honeſtiore quam Etheocles uſurpare: Si violandum eſt jusjurandum, librorum gratia violandum eſt. Chryſoſtomi opus cum primum acceperis, ſi ad nos tranſmittere non gravaberis, dabo operam diligentiſſime, ut ad vos duplex revertatur, libenter tentaturus, quidnam in eo genere poſſim; quod felicius caſurum opinor, quam in Nazianzeno ceciderit.

Ad-

(*a*) *Dulcem qui loti fructum guſtaverit, idem Inde redux retro vel nuncius eſſe recuſat.*

Addent ſtimulos expectata ex Chio, & Conſtantinopoli volumina, deſiderio enim novæ lectionis jam prævideo animo, me interpretandi laborem illum confeſtim devoraturum eſſe. Nuper Lugduno accepimus Chryſoſtomi commentarios in Geneſim in lucem prodiiſſe; eos, etſi nondum vidi, omnino tamen tibi habendos eſſe cenſeo; nam ſi græcis latina reſpondent, neceſſe eſt, opus ejuſmodi eſſe, ut in eo cum doctrina gravitas, cum utraque regnet eloquentia. Poſtremo, quæ de Stephano, & Naugero ſcribis, tantum in me deſiderium concitarunt, quantum virorum doctiſſimorum, & amantiſſimorum mei expectatus adventus excitare debuit; & quoniam Naugerus, ut ſcribis, legatus ad Cæſarem in Hiſpaniam profecturus eſt, omnino non deſperamus fieri poſſe, ut vel caſu, vel conſilio ad nos divertat. Vale.

80 CASSIANO CAMILLO GENUENSI

Camilli conſuetudine, quam & jucundam, & utilem expertus eſt, frui ſe non poſſe nunc dicit, non vulgi rumoribus territus, ſed iis ductus rationibus, quas in Epiſtola ſuperiori Bruniatenſi patefecit. Camillo in opere quodam Geographico adjutorem ſe offert, ejus viciſſim operam poſtulans in magno opere ſuo, quod eſt aggreſſus.

EGO vero, mi Camille, abſens multiplici fructu careo amicitiæ noſtræ: cum quod uberiores omnino futuri erant ex quotidiana conſuetudine, tum etiam, quod non ex epiſtolis tantum (id enim raro, & ad breve tempus contingit) ſed ex ſuaviſſimis illis ſermonibus, & familiari vultu tuo, aſſidue nobis quippiam lucri afferebant domeſtici congreſſus. Nihil vero cauſæ erat, cur nobis ita iraſcerere, ut Theocrenum debueris imitari, etiam ſi nihil temporis nobis a lucubrationibus ſurriperetur. Binas enim tantum abs te accepi, cum jam ternas ad te dederim. Quare, ſi quod vos facere conſueſtis, diligenter rationem ſubduxeris, nihil erit quod me tibi eo nomine debere putes. Quod vero adeo diligenter de reditu meo requiris, omnino tibi perſuadeas velim, nihil animo meo gratius accidere poſſe quam vobiſcum in iſta patria vivere, & cum tuo, tum etiam civium tuorum amore, & benevolentia perfrui. Verum ut nunc eſt, non video, qua ratione æquo animo ad vos reverti poſſim; non quod diluvii fabulam hanc pertimeſcam; imminent enim majora, & graviora non in paluſtribus tantum locis, ſed in ipſo etiam Alpium iugo pertimeſcenda, & quæ non ex aſtrorum conſideratione, ſed ex ipſis jam rerum initiis, nemo eſt qui conjectura aſſequi nequeat. Quare ubicunque fuerimus, omnes nos in eadem navi futuros eſſe ſuſpicor. Quæ vero me retrahunt ea ſunt ejuſmodi, ut etiam in maxima rerum omnium pace quemlibet poſſint retrahere. Quæ omnia facile a Pontifice Bruniatenſi intelliges, ad quem de his rebus ſcri-

pſi

pſi diligentiſſime . De opere tuo Geographico, cujus maxima apud omnes expectatio concitata eſt, longum eſſet ſi litteris quid ſentiam explicare vellem. Faciat Deus Opt. Max. ut aliquando abſque incommodo valetudinis apud vos commorari poſſim. Etſi enim video quam ſint omnia in me ejus generis, quæ ad tantum opus neceſſaria ſunt, tenuia, faciet tamen amor in te meus cum enitendo, tum etiam laborando, ut tibi aliquo adjumento eſſe poſſim. Accepi a Graſſenſi Pontifice librum tuum, quem tantopere cupiebam: eo mihi nondum uti licuit ad opus ad quod, etſi a me jamdiu inſtitutum eſt, nondum tamen eſt manus appoſita. Omnino mihi opus eſſet non libro tantum, ſed etiam opera tua; tenuiſſima enim, ut ſcis, valetudine impedior, ut quæ diutius a me excogitata ſunt, ſcriptis nequeam commendare. Cæterum quod de Areopagitæ volumine ſcribis, Dionyſius illud ſe tibi reſtituiſſe conſtanter affirmat. Quare tibi diligentius veſtigandum eſt, ne forte, te inſcio, in illa librorum tuorum ſtrue deliteſcat. Thucydidem, & Homerum ſimulatque certum hominem nactus fuero mittam ad te. Vale.

81 FEDERICO FREGOSIO

SALERN. ARCHIEPISCOPO

Federici litteris etſi non latine ſcriptis maximopere lætatus moleſte intelligit ſpem nullam ſupereſſe vel ut Federicus ad ſe, vel ut ipſe ad Federicum poſſit venire. Præſentiæ deſiderium epiſtolarum frequentia imminui cupit. Graſſenſis animum, voluntatemque a Federico alienam revocare ſtudebit, & ſuſpicionem amovere, quam in illum foverunt perverſi quidam propter acerbiſſimum Monæci caſum.

MAxima me expectationis moleſtia liberarunt poſtremæ litteræ tuæ, quas Lugduni Id. Febr. dediſti. Nec velim putes quippiam ex oblectatione mea imminutum eſſe, quod non latine ſcripſeris. Etſi enim elegantia, & eruditione epiſtolarum tuarum mirum in modum oblectari ſoleo, plus tamen voluptatis ex amore tuo, qui mihi ex ſenſu litterarum fit perſpectus, quam ex eloquentia, quæ quidem eſt admirabilis, percipere conſuevi. Accedit præterea, quod cum commodo tuo fieri nequeat, ut alia ratione ad me ſcribas, æque mihi profecto gratum erit, ſi qualeſcunque a te accepero, ac moleſtum eſſet ſi omnino litteris tuis carerem. Doleo tamen vehementer tuis, non difficilibus tantum, ſed moleſtis etiam occupationibus fieri, ut non & animo tuo, & deſiderio noſtro in eo genere poſſis ſatisfacere. Quod vero ſcribis ſi noſtræ ad te delatæ eſſent, facile futurum fuiſſe, ut tu ad nos proficiſcerere, ſed ut nunc eſt, non modo te huc non eſſe adventurum, ſed nec quippiam tibi ſuccurrere, cur ad vos ego proficiſci debeam; omnino tibi

perſuadeas velim, ſi mihi adventus tuus, cumprimum iſtuc appuliſti, denunciatus eſſet, nihil tam arduum fuiſſe, quod a te conveniendo me potuerit deterrere. Nunc vero, quoniam ſuſpenſo animo iſtic es, nec quicquam de remanſione, profectioneve tua potes conſtituere, invitus, & dolens ejuſmodi neceſſitatem devorabo. Quod de Pontifice Carpentoractenſi ſcribis, quando fideliores hinc Romam & inde ad nos tabellarii commeant, omnino curabo, ut de officio, & voluntate tua a me fiat quamprimum diligentiſſime certior. Ego quidem tantiſper ſtatui in Lerina me continere, quoad exitum hujus calamitoſi belli perſpexero, ſi modo exitus aliquis ſperandus eſt. Fui vero Monœci apud Graſſenſem dies complures, unde cum aliquando me difficillime explicaſſem, ad ſtudia noſtra reverſus, totum me in litteris abdidi, & cum his qui pari amore tenentur, ocio honeſtiſſimo perfruor: daboque operam donec hic fuero, ut noſtræ ad te quam ſæpiſſime perferantur; idem quoque ut tu facere ne graveris, maximopere etiam atque etiam rogo. Non enim difficile futurum ſuſpicor, ut amiciſſimi hominis opera litteræ omnes utrinque fideliter reddantur, nec eſt quod de longinquitate, aut impedimento itineris pertimeſcamus: dabitur enim (quod ad me attinet) opera, ut frequentia litterarum omnes difficultates ſuperentur. Scribis in poſtrema Epiſtola, te iniquam necem Monœci Principis tuliſſe iniquo animo, laturumque ægerrime, ſi cuipiam perſuaſum eſſet animum tuum ab ejuſmodi ſceleribus non abhorrere; quæ quoniam quorſum tendant mihi perſpicere videor, officii mei eſſe duxi de ea re aliquid ad te ſcribere. Ego quidem, mi Federice, cum poſt acerbiſſimum illum caſum confeſtim Monœcum me contuliſſem, nihil intelligere poſſe videbar, quo animus Graſſenſis noſtri a te cognoſci poſſet alienior. Cum vero quotidie plures ad illum venirent, qui ferrent moleſtiſſime mutuam inter nos benevolentiam conſtantiſſime perdurare, ſuſcepi mihi acerrimam propugnationem & honoris, & dignitatis tuæ, ſed neſcio quo pacto factum eſt, ut feliciores illi fuerint in alienanda abs te optimi viri voluntate, quam ego in retinenda fuerim. Nam ut id facilius conſequi poſſent, contigit præcipue, ut opinor, & temporum, & eventorum conditione: Quod ſi caſu alter veſtrum ad alterum divertiſſet, unico congreſſu, facillimi viri animus a te recuperatus eſſet. Non enim altas radices ea indignatio habere poteſt, quæ a malevolis tantum poſita, nihil habet ubi innitatur præter inanem atque adeo falſam ſuſpicionem. Tu vero velim ad me ſcribas quantopere ad utilitatem, vel dignitatem tuam pertinere putes, hominis voluntatem revocari, non enim recuſabo in illas locorum anguſtias iterum detrudi, ut ejus animus erga te ſit is, qui eſſe debet. Cæterum nihil cauſæ fuit cur libri tui a me diſcederent, nec aliquem fore opinatus ſum, cui æque ac mihi commendati eſse poſſint. Nam ſi, quod opto, Genuæ illis tibi futurus uſus eſt, illico erunt parati. Si autem alio transferendi eſsent, hac ratione nihil

am-

amplius periculi timeremus. Omnino, quandocunque tibi decretum fuerit, prompti erunt. Vale.

82 BAPTISTÆ FLISCO

Inurbanam Fliſci querelam, qua Gregorium petiit, quaſi dolo malo libros quoſdam Genua aſportarit, moderate quidem, ſed acute rejicit, & ſe nulla re offendiſſe demonſtrat.

COgnovi ex acerbitate litterarum tuarum, nequaquam te tranquillo animo ad me ſcripſiſſe. Nec enim aliter fieri potuiſſe opinor, ut pro re tantula, præſertim quæ nullo mihi uſui futura eſſet, & furti ſimul, & violatæ fidei tam acriter me expoſtulares, ut etiam argumento ex diffinitione ipſa, quo nullum certius eſſe poteſt, adverſum me ad id oſtendendumutereris. Quare futurum mihi perſuaſi, ut cum quietiore animo, ſedataque iracundia rem diligentius perſpexiſſes, eam perſonam, quam & nobilitas tua, & omnium judicio probati mores dudum tibi impoſuerunt, ad te eſſes revocaturus. Addo uſum rerum, & prudentiam, quæ ita præ cæteris omnibus ea diſciplina, cui ſemper operam dediſti, ſibi vindicare videtur, ut etiam ſapientum cognomen, his qui ſe profiterentur, conſueverit impartiri. Cæterum certiorem te eſſe volo longe te ab his deceptum eſſe, qui quippiam quod tuum esſet, iſtinc a me ablatum eſse tibi perſuadere potuerunt. Tantum enim abeſt, ut libros tuos contrectarim, utteris enim eo verbo, quorum nullus mihi uſus futurus fuerat, ut nec meos quidem, cum iſtinc diſcederem, cogitaverim exportare; quod, ut tunc res ſe habebat, propediem me Genuam reverſurum eſſe ſperarem. Ejuſmodi vero tempora deinceps conſecuta ſunt, quæ me, ut officii, & amicitiæ rationem haberem, omnem reverſionis cogitationem coegerunt abiicere. Cumque certis hominibus, quotum mihi diligentiam perſpectam habere videbar, per litteras mandaſſem, ut Bibliothecam meam ad me tranſmitterent, eſſentque in ea complures libri, quos commodo ab amicis acceperam, memini me mandare, ut omnes, nominatimque tui, dominis reſtituerentur. Illi vero cum paulo indiligentius negotium tractaſſent, paucis reſtitutis, majorem illorum partem ad me tranſmiſerunt, quod quidem & tuli, & fero moleſtiſſime: ſit enim ob temporum iniquitatem, ut paulo difficilior ſit hinc ad vos omnium rerum trajectio. Ejus vero rei certiſſimam teſtificationem tibi faciet Caſſianus Camillus, cujus cum libri plures ad me eadem imprudentia delati ſint, benigniſſime, qui ſunt hominis mores, admonitum, non modo non furti quod tu feciſti, ſed nec aliqua in parte violati officii me expoſtulavit. Si quod autem peccatum meum in ea re accuſari poteſt, eatenus tantum culpam recognoſco, quod in amicitia tua judicanda, quam ſatis conſtitutam putaram, paulo ſecurioris animi fuerim. Debueram

ram ſiquidem ſimulatque Pont. Nebienſis Genua diſceſſit, quo præceptore in litteris hebræis uti ſtatueram, libros tuos tibi reſtituere qui apud me in poſterum ocioſi futuri eſſent. Potui certe ea ratione non modo inopinati hujus caſus, ſed etiam tinearum periculum evitare. Contigit enim incommodiſſime, ut, cum nunquam poſtea in illos oculos conjecerim, memoria mea penitus exciderent. Poſtquam vero huc appuli, nondum tantum ocii mihi ſuppeditatum eſt, ut aut tuos, aut meos, qui omnes tui ſunt, ex arcis extrahere poſſem, ut ſaltem hac ratione, eorum quos a te acceperam, memoria in me renovaretur. Nec vero præter te quemquam eſſe puto, qui fuerit opinaturus me fide labi voluiſſe in re & minimi pretii, & quæ in publicis etiam tabernis vulgo venalis expoſita eſt. Quod ut certiori argumento cognoſcas, ſcias velim, non eos tantum libros, de quibus tu ad me ſcripſiſti, ſed Budæi etiam neſcio quid te ipſum mihi tunc ultro commodaſſe; quod, ut plerumque in domo opulenta conſuevit accidere, omnino tibi memoria excidiſſe arbitror. Cum primum vero certi hominis, qui ad vos proficiſcatur, & illos deferre poſſit, nobis copia fiet, quod propediem futurum ſpero; omnes ad te advolabunt, ne diutius in eo genere tardentur ſtudia tua. Nec tui modo, qui impedimento tantum futuri ſunt Bibliothecæ meæ, ſed noſtri etiam quotquot ſunt (ſunt autem plurimi) ad omnes uſus tuos paratiſſimi ſemper erunt. Habeo vero tibi immortales gratias & pro beneficio tuo, & quod me cautum in poſterum reddideris, non temere quemquam ſibi aliquid polliceri debere de novis necdum ſatis conſtitutis amicitiis. Cæterum quod ſcribis, lapſum fidei noſtræ cauſam tibi in poſterum præſtiturum, ut libri tui alicui monacho non cedantur, vix mihi perſuaderi poteſt, te, qui æquitatis cognitioni ex profeſſo das operam, id juris ſtatuere velle; nam ſi ex me uno omnes noſtri ordinis minus certæ fidei eſſe judicare volueris, ego quoque conjectura ex te tantum facta juriſconſultos omnes & præcipiti iracundia eſſe, & facillimos ad indignationem judicabo. Vale.

83 CASSIANO CAMILLO

Cum adverſus virum ſororis Pontificis Graſſenſis ageretur judicium de opulenta hæreditate, maximi momenti negotium & ſuo, & Graſſenſis ejuſdem nomine Camillo commendat.

NEquaquam mirum videri debet, ſi idem negotium tibi ſæpius commendavero. Etſi enim eam eſſe intelligo amicitiæ, & conſuetudinis noſtræ vim, ut ſi quid acciderit quo alter altero indigeat, id vel indicaſſe tantum nulla commendationis acceſſione, ſatis eſſe videatur, tantis tamen Graſſenſis mei beneficiis me aſtrictum eſſe ſentio, ut nullis officiis

ciis mihi videar partem aliquam ejus meritorum aſſequi poſſe : Nunc vero, cum ſororis ipſius ſpectatiſſimæ fæminæ ejuſmodi negotium agatur, ut aut florentiſſimi viri, aut penitus inopis uxor futura ſit (ſi quidem de pagis nonaginta judicium futurum ajunt) admonitus ipſa rei magnitudine, non verebor tibi ſæpius moleſtus eſſe. Ipſe vero Graſſenſis tantam in litteris ad te meis ſpem poſuit, ut ſi forte ſecus atque optat negotium ceciderit, nihil aliud ſibi ſit perſuaſurus, quam non ſatis diligenter cauſam ſuam a me tibi commendatam eſſe. Cum vero tuo etiam nomine plurimum te diligat, pro his quas in te ſitas eſſe intellexit morum, & doctrinæ artibus, hunc tantum virum tuo tibi beneficio cenſeo arctius devinciri oportere, atque adeo tenaci vinculo, ut nulla unquam temporis injuria poſſit labefactari. Cujuſmodi tamen hæc cauſa ſit & utri litigantium magis leges faveant, quamvis mihi plane eſt incognitum, facile tamen adducor, ut credam, filio unico in paternis bonis impedimentum afferri non oportuiſſe, magiſque ſpectari debere naturæ jura, quam irati patris voluntatem. Attamen, quid de jure ſtatuendum ſit, tuum erit arbitrium; tantum ut cauſa intellecta quam ociſſime finem negotio imponas, etiam atque etiam rogo. Cæterum de communibus rebus nihil habeo quod potiſſimum nunc ad te ſcribam, niſi id quod; etſi non ſcriberem, te tamen ſcire non dubito, me ſcilicet deſiderium iſtius civitatis ægerrime ferre. Et quanquam laute, & abundanter omnia mihi a Graſſenſi ſuppeditentur, qui non ſolum ſalutis meæ, ut medicus, ſed deliciarum etiam ut nimium mei amans rationem habet; ſentio tamen neſcio quo pacto fieri, ut mihi aſſidue in hac patria velut hoſpes & jam jam alio profecturus, moram trahere videar. Quod ſi adduci poſſum, ut ſperarem tolerabilius mihi apud vos fore, quam hactenus expertus ſim, vel reflante vento continuo iſtuc advolarem. Sed quomodo nunc eſt, Catonem mihi audiendum puto, qui peſſime agi in ea regione putat, in qua cum Orco aſſidue ſit luctandum. Vale.

84 CASSIANO CAMILLO

Gratam ſibi, gratiſſimam futuram ait Graſſenſi ſolertiam, qua ejus negotium Camillus pertractavit. Quoddam opus in Acta Apoſtolorum, quod ſub Hieronymi nomine prodierat, Hieronymo abjudicat, & affirmat indignum tanto viro; narrat tandem Fliſci querelam, de qua ſupra, datas Fliſco litteras mittit, indicat quam ſollicite egerit ut quotquot erant apud ſe aliorum libri in dominorum manus venirent.

Binas abs te accepi litteras pleniſſimas & amoris, & officii : cognovi enim ex eis id quod ſummopere deſiderabam, te maximo uſum diligen-

ligentia in Graſsenſis noſtri regotio pertractardo. Qua re cum nihil mihi gratius poſſet accidere, confeſtim feci eum de omnibus per litteras certiorem, ut jam te ab ipſo ob merita tua mirifice amari, nulla apud me dubitatio relicta ſit. Acceſſi præterea hortatu tuo ad ea excutienda, quæ ſub Hieronymi nomine in Acta Apoſtolorum a Germanis edita ſunt; ſtatimque in ipſo, ut ita dicam, veſtibulo operis, certiſſimis conjecturis intellexi, nihil ſere in eo eſſe quod ſub Hieronymi nomine debuerit publicari. Ut enim ſtyli ineptiam omittam, quæ adeo manifeſta eſt, ut in pauciſſimis etiam illis verbis, & pene nudis nominibus deprehendi poſſit; quod ad Coſmographiam attinet, tam magnis, tamque multiplicibus erroribus refertum eſt, ut, non dicam tibi quem nihil in eo genere poteſt latere, ſed omnibus etiam quæ ad eam diſciplinam ſpectant expertibus, ſtatim obvii eſſe poſſint. Quare periculo quoque meo pronuncies licet, in eo opere judicando virum, qui ſe acerrimi judicii vult haberi, longe deceptum eſse. Sed de his omnibus propediem nos pluribus verbis coram acturos eſse confido. Cæterum & ut darem tibi quod rideres, & ut cognoſceres nunquam mihi Theocrenos deſuturos, miſi ad te exemplum quarundam litterarum, quas ad me dedit Baptiſta Fliſcus, vir in civitate tua primarius, & in primis juriſconſultus, qui mirifico artificio parum abſuit, quin mihi ipſi furem me eſse perſuaderet, ex poſterioribus etiam Analyticis ſumpto fortiſſimo argumento, quem probationis modum ejus generis hominibus omnino incognitum eſſe putaram. Quare cautius mihi in poſterum cum juriſconſultis veſtris agendum eſse intellexi, quando & ejuſmodi dialectica callent. Mitto præterea litteras, quibus laconice ejus accuſationi reſpondi, quæ cum a te lectæ fuerint, & quo tibi placuerit ſigillo obſignatæ, ut confeſtim reddantur magnopere te etiam, atque etiam rogo. Nam ut ſerio loquar, non ſine maxima animi mei moleſtia accidit, quod cum ad Dionyſium ſcripſiſsem, ut quicunque aliorum libri apud me eſsent, eos omnes ante diſceſsum ſuum iſtinc reſtitueret, nominatimque & de tuis, & de illis ipſis pro quibus hæ turbæ excitatæ ſunt, mandaſsem; habuit ſe in eo negotio paululum indiligentius quam a me deſideratum eſset; quippe quod complures etiam ex noſtris pari negligentia Genuæ dereliquerit, quod tamen non æque ac de illis, qui aliorum erant, moleſte tuli. At ſi quod nollem me hic diutius morari contingat, non committam, ut tu etiam nobis poſſis iraſci, cujus pluſquam omnium aliorum indignationem extimeſcerem. Vale.

85 CAS-

85. CASSIANO CAMILLO

Facete reſpondet Camillo, qui ſcripſerat Epiſtolas, quas Gregorio dabat, eſſe tamquam fulmina, quæ ejus ſolitudinem terrebant, ejus delitias turbabant. Cujuſmodi ſint ex delitiæ deſcribit Gregorius, eaſque impedimento non eſſe, quominus amicis det litteras; dediſſe revera etiam eidem Camillo Epiſtolam, eam nempe, quæ hanc antecedit.

Rectiſſime omnino ſuſpicareris Epiſtolas tuas non tormenta tantum; ſed fulmina etiam mihi videri, ſi id ob vim ipſam, impetumque eloquentiæ contingere poſſe tibi perſuaſiſſes. Sed non eo certe pacto, quo tu intelligi vis, inſtar mihi bellicarum machinarum videntur habere. Illæ nempe horrore quodam ſonitus expaveſcendæ, & quod cladem afferant quam plurimis, merito vitandæ eſſe videntur; at vero Epiſtolis tuis nihil ſuavius, nihil amabilius fieri poteſt; addo etiam leporem quemdam tibi proprium, & feſtivitatem, quibus adeo non oblector tantum, ſed capior etiam, ut non ſatis conſtituere poſſim, elegantia, an urbanitate major ſis, cum cæteros in utraque mihi ſuperare videaris. Nec vero hæc noſtra exundans, ut ſcribis, ſolitudo ita penitus eſt inhoſpitalis, ut non amicorum litteras benigniſſime excipiat, quæ ipſos etiam amicos longe benignius ſuſceptura eſſet. Sed jam intelligo te ex Gentili noſtro Homeri ſententiam didiciſſe, qua ſaturitate contumeliam procreari dicit, teque eo pacto delitias noſtras interpretatum. Sed nondum noſti non unum genus delitiarum eſſe? Quid ſi in colendis hortulis, quid ſi in piſcationibus, quid ſi in corporis exercitatione delitiæ noſtræ ſint? Utinam (quod Diocletianus ſpreto orbis imperio dixit) videre potuiſſes olera manibus meis conſita, brevi te ipſum etiam Anachoretem evaſurum fuiſſe mihi perſuadeo. Nec tamen adeo ſum harum delitiarum, & hujuſce ſolitudinis appetens, ut non frugalitatis illius veſtræ, & gratiſſimæ conſuetudinis longe ſim appetentior. Sed ais tu: ita ne niſi a Saulio Pont. coactus litteras ad me daturus non fuiſti? Commode omnino cecidit, quod paucis antea diebus ſcripſi ad te, ſimulque Epiſtolam ad quemdam dedi, ex qua facile potuiſti percipere, quo pacto a me accipiendus fueras, ſi vel parum quippiam indignationi conceſſiſſes. Illic enim te intellexiſſe opinor, quam graviter inimicus illorum ſim, qui ita faciles ad indignationem eſſe conſueverunt. Sed hactenus luſiſſe ſufficiat. Gratiſſima fuerunt officia tua Graſſenſi noſtro, homini omnium longe gratiſſimo. Egit enim mihi eo nomine per Epiſtolam diligentiſſime gratias. Quare ſcias velim, nihil ex re tua familiari tam tuum eſſe, quam ipſe Graſsenſis inpoſterum futurus eſt. Cæterum poſtremis meis litteris ad

te

te ſcripſi quale meum judicium eſſet de his, quæ ſub Hieronymi nomine in Acta Apoſtolorum circumferuntur. Qua in re tantum opere ut dubitem quin rectum ſit de ea re judicium meum, ut maximabeſt, admirer illos, qui perſuaſum habent ſe nihil non videre, in hac clariſſima re utroque lumine fuiſſe orbatos. Vale.

86 VINCENTIO DE BORLASCA
GENUENSI.

Direptio, & excidium prius, ſæva poſtmodum peſtilentia Genuam devaſtavit. Id dolet Gregorius, ſibique etiam ait moleſtiſſimum, qui ibi perfugium habebat a Galliæ calamitatibus; in tantis ærumnis animum ad ſempiterna convertendum. Cæterum doluiſſe ſe vehementer de interitu Caſſiani Camilli hominis amiciſſimi, & de damno, quod ejus morte ſubeunt docti quique, qui privantur opere pereruditos; in Civium infortuniis debere Vincentium de univerſæ Reipublicæ ſtatu cogitare, hinc munus injunctum amplecti, & maxima diligentia complere.

AD cæteras incredibiles animi mei moleſtias, quibus poſteaquam in hanc provinciam veni, vehementiſſime afflictatus ſum, acceſſit nuper nunciata mihi patriæ tuæ calamitas, quam tantum a me amari ob merita in me ſua, omnes intelligere credo, ut nulli civium in amore concedam. Cum igitur infeſtiſſimo bello totam hanc provinciam ardere viderem, & (quod in regno Francorum jam inde ab ejus conſtitutione inauditum eſt) inteſtinis diſcordiis penitus conturbari, etſi pene intolerabilia erant, quæ cum a provincialibus, tum etiam ab hoſtibus perpetiebar, cum tamen cogitabam, finitimam regionem eſſe, in quam, ſi hæ calamitates majores fierent quam ut aliqua ratione a me poſſent tolerari, videbam tutum mihi perfugium fore, paulisper in ea ſpe conquieſcebam. Nunc autem cum videam ſæviſſimo peſtilentiæ genere Liguriam fere omnem, principemque ipſam Genuam devaſtari, neceſſe eſt incredibiles has noſtras miſerias, non conſuetis tantum ſolatiis, ſed omni ſpe penitus conſolationis carere. Quare in luctu, & ſquallore me aſſidue futurum eſſe dicerem, ni firmiſſime mihi perſuaſum eſſet, tantas clades, quantas nunquam legimus, non ſolum Dei Opt. Max. juſtiſſima ſeveritate accidiſſe, ſed etiam ea de cauſa, ut frequenti hac rerum commutatione admoniti, aliquando nos alterius patriæ cives eſſe meminerimus, in qua pro tumultu bellorum animi tranquillitas, pro peſtilentiæ cladibus ſempiterna ſalubritas erit. Utinam vero ſic ejuſmodi calamitatibus inſtrueremur, ut tandem hæc, quæ nos ſpecioſo nomine bona appel-

appellàmus; ſic naturali inſtabilitate ſua nos admonerent, uti ne ab ipſorum amore tantopere deciperemur. Quid enim, rogo te, facturi fuiſſemus, ſi hæc quæ tam arcte, tantaque cum oblectatione complectimur, aliquid ſoliditatis habere experiremur? cum etiam inter vitæ hujus aſſidue fluctuantis agitationes, illis veluti tenaciſſimis ancoris adhærere nos poſſe confidamus. Quod ſi cui generi hominum, ex continuis cladibus, rerum humanarum infirmitas in animis ſemper verſari debet, id potiſſimum fore, ut nunc civibus tuis accidat, mihi facile perſuadeo: qui ſinguli ſuperiore anno, ob ſævam illam direptionem, maxima ſui patrimonii parte expoliati, deinde univerſi acerrimo vexati bello, nunc etiam, ne qua detur a miſeriis intermiſſio, ſæviſſima peſtilentia devaſtantur. Qua cum plurimi ex amicis (qui mihi me ipſo pene cariores erant) perierint, ex unius tamen potiſſimum Camilli noſtri interitu mihimet imperare nequivi, quin plurimum doloris caperem. A me enim non communi cæterorum æſtimatione, ſed ea quæ mihi fortaſse tantum perſpecta erat & virtutis, & doctrinæ excellentia, perpendi illum neceſse eſt. Accedit præterea damnum incredibile, quod ex laboribus ejus deperditis doctos omnes facturos eſse non dubito. Animum enim adjecerat ad Coſmographiæ partes omnes illuſtrandas, & cum diligentiſſime locorum omnium ſitus, & eorum quæ antiquis cognita fuerunt, & quæ nuper inventa ſunt, nobis ſe deſcripturum ſperaret, præcipue tamen, quo olim nomine, quo nunc unuſquiſque locus appelletur, omni ſtudio veſtigarat. Qua in re jam tantum profecerat, ut non portus modo, promontoria, ſinus, inſulas, fluvios, montes, urbeſque celeberrimi nominis, ſed infima quæque oppida ita memoriter, ut proprium nomen, tenere videretur. Quæ omnino nobis minus dolenda putarem, ſi ſpes aliqua eſſet quempiam pari doctrina, & diligentia id ipſum præſtiturum eſſe. Sed quis nam obſecro erit, qui cum exquiſita illius diſciplina conjunctam habeat locorum cognitionem, non auditu, & lectione tantum ſed pedibus oculiſque perceptam? Navigarat enim, ut ſcis, ad Tanaim, ad Phaſidem. Peragrarat ferme regiones omnis Aſiæ, Ægyptum, Africamque luſtrarat. Taceo de Hiſpania, Britannia, Gallia, Germania, quas ſic habebat cognitas, ut digitos, ungueſque ſuos. Accedebat admirandum illud in tanto opere præſidium, quod in ea civitate illi naſci contigerat, in quam, cum ipſi cives ad exteras longinquas nationes quotidie navigent, tum etiam ex omnibus mundi partibus vel negotiorum, vel viſendi gratia aſſidue ſuperveniunt peregrini. In patriæ igitur tuæ tantis calamitatibus, in tot clariſſimorum civium interitu, nec moderationis, nec prudentiæ tuæ eſſet propriam quandam privatamque felicitatem deſiderare. Sic fratrum tuorum obitus tibi dolendus eſt, ut de univerſæ Reipublicæ ſtatu non deſinas cogitare, cujus honoratiſſimam partem & fidei, & diligentiæ tuæ nuper creditam fuiſſe, tu me per litteras certiorem feciſti. Quod quidem, cum libenter audivi,

Digitized by Google

tum etiam maxima cum ſpe, fore ut conſilio, authoritateque tua, in hoc communi naufragio, ejuſmodi curſum Reſpublica iſta teneat, ut propediem portum aſſecuturam non deſperemus. Quod vero te ſtudio, & conſiliis meis tantopere indiguiſſe ſcribis, in deliberando an impoſitum tibi a civibus tuis munus ſuſciperes, perſuaſum quidem mihi eſt ob vim quandam amoris incredibilem, nihil eſſe quod a me tibi præſtari non poſſe confidas, etiam ſi ejuſmodi ſit, ut ſuperet facultatem meam. Quod vero ad hoc negotium attinet, ſcias velim me ejuſdem opinionis in conſulendo futurum fuiſse, cujus nunc etiam ſum in judicando de conſiliis tuis, non potuiſse te ſcilicet, niſi læſa pietate, vel potius abſque maximo flagitio, munus tibi injunctum communi civium tuorum voluntate non ſolum recuſare, ſed nec etiam deprecari. Quare quod recte ordineque feceris, talemque te præbueris patriæ tuæ, qualem ante actæ vitæ dignitati conſentaneum erat, mirum in modum tibi gratulor; Deumque Optimum Maximum rogo, & obteſtor, ut tibi, familiæque tuæ perpetuæ dignitati ſit præſens adminiſtratio. Nam quod omnia tua, teque ipſum nobis adeo humaniter polliceris, dicerem te id feciſse quod veteri proverbio fieri prohibetur, ut ſcilicet actum ageres, niſi ſcirem infinitam quamdam amoris abundantiam ejuſmodi a te pollicitationes expreſſiſse. Quare nequaquam æquum erit te moleſte ferre, ſi ego quoque de integro omnia mea officia, ſtudia, cogitationes pollicebor, quæ ad tuam dignitatem, & quietem animi pertinebunt. Vale.

87 *HIERONYMO GRIMALDO*

Hieronymum rogat, ut ſumma fide quas mittit litteras reddi curet Franciſco cuidam, qui per eumdem Hieronymum ſibi litteras dederat, quibus conquerebatur parari a Gregorio volumen in ejus ſcripta.

GRatias tibi habeo maximas, quod litteras Franciſci ad me tanta cum diligentia reddi curaveris, longe etiam majores habiturus, ſi viciſſim nunc operam dederis, ut noſtræ ad ipſum perferantur. Scripſit enim ad me, ſe ex quodam civium tuorum intellexiſſe, volumen; quo in ejus ſcripta inveherer, dudum a me parari. Quod etſi nullo pacto nobis veriſimile ſit, conjectura facta ex civium tuorum, qui iſtic negotiantur moribus; non tamen omnino mihi faciendum eſſe duxi, ut illi non reſcriberem, quod gravius de me conquerebatur, quam necdum inſtitutæ amicitiæ conſentaneum fuit: quod ſi fortaſſe verum nobis reſcribere voluerit, gratiſſimum mihi erit, ſi rurſus eadem diligentia perfeceris, ut ſumma cum fide Genuam litteræ perferantur. Vale.

88 JA-

88 JACOBO SADOLETO
EPISCOPO CARPENTORACTENSI (a)

Deducto recens Romam Sadoleto gratulatur, ejuſque Epiſtolas expoſcit multiplici ex cauſa ſibi jucundiſſimas. Gratulatur etiam quod apud Pontificem Maximum gratia, & auctoritate floreat, quam bonarum artium ſtudiis excitandis utilem auguratur, quam etiam juvari confidit tum ex ejuſdem Pontificis, tum ex aliorum qui apud ipſum pollent propenſione. Poſtulat demum ut facultatem impetret & habendi, & legendi Lutherianorum libros.

QUod tibi proficiſcenti facturum me eſſe receperam, ut crebras ad te litteras darem, ideo facilius præſtabo, quod maxima cum lucri acceſſione a me factum iri non dubito. Primum, quod pro Epiſtolis noſtris tuas ſum accepturus, hoc eſt, pro inconditis elegantiſſimas; deinde, quod ſicut nos diſceſſu tuo afflictos, triſteſque reliquiſti, ſic a te renovata hac ratione tui memoria, mirum in modum nos recreabis. Etſi ea quidem aſſidue florens, vigenſque perſeverat, video tamen neſcio quo pacto fieri poſſe, ut crebra renovatione, quaſi quodam cultu adhibito, confirmetur. Poſtremo, quod Graſſenſi Pont. qui te mirifice diligit, & obſervat, gratiſſimum id futurum intelligo: cujus tanta eſt apud me authoritas, ut hac potiſſimum de cauſa, etiam ſi hoc a te mihi præceptum non eſſet, omnino tibi litteris meis moleſtus futurus fuerim. Quare æquo animo feres, ſi ocio meo ad negotiorum tuorum interpellationem abuſus fuero: quando id non amori meo tantum, quod tamen a te mihi concedendum eſſet, ſed etiam humanitati tuæ eſt aſſignandum. Quamquam cum has dabamus, nondum erat auditum te Romam perveniſſe: quoniam tamen ex dierum ratione id ſuſpicari poteramus, volui meas litteras ſtatim ſubſequi, quæ pro itineris difficultate ſuperata tibi noſtro nomine gratularentur. Niſi fortaſſe magis gratulandum pro ea re videtur, quod apud Pontificem Maximum gratia, & authoritate florens, maximam bonis omnibus ſpem attuliſti fore, ut conſilio, admonitioneque tua, excitatis bonarum artium ſtudiis, tantus brevi ingeniorum proventus appareat, ut omnis antiquitas in certamen provocari poſſit. Qua in re minus tibi laborandum eſſe video, quod ejuſmodi principem nactus es, qui ſuopte etiam ingenio inter maximas, diffi-

(a) Vix Petri Cathedram aſcendit anno 1523. Clemens VII., ſimul juſſit ex Urbe Carpentoractenſi venire Romam Sadoletum, ut ejus opera, & conſilio uteretur in graviſſimis quibuſcumque negotiis. Obtemperavit Sadoletus, & Romam venit prope finem ejuſdem anni 1523., quo item anno datam ideo noſcimus hanc Epiſtolam.

difficillimaſque curas, quæ ejus animum diſtrahunt, hanc etiam non in poſtremis ſit habiturus. Accedit præterea, quod eorum, qui plurimum apud ipſum poſſunt, jandiu perſpectus eſt, cum magna eruditione, incredibilis etiam amor amplificandi honeſtiſſima ſtudia. Damnum igitur, quod ex abſentia tua maximum ſumus habituri, communi hoc omnium doctorum commodo compenſabimus. Veruntamen ne tibi perſuadeas, amicitiam meam impedimento tantum non etiam labori tibi futuram eſſe, unum a te maximis precibus petere conſtitui, de quo dum tu hic adeſſes oblitus ſum tecum loqui. Noſti, ut opinor, diris omnibus execrationibuſque interdictum eſſe, uti nequis Lutherianorum libros attingat. Id vero ſapienter, atque ſalubriter ſtatutum eſt. Quare gratiſſimum mihi erit ſi pro tua humanitate negotium hoc pro me ſuſceperis, & confeceris, ut abſque aliqua animi mei moleſtia, libros ejus generis apud me habere, & legere poſſim. Quod timidius forte peterem, niſi mihi cognitum eſſet, iſtud ipſum quamplurimis antea conceſſum eſſe. Id vero ſi precibus tuis, ſi authoritate tua mihi impetratum fuerit, maximum nobis a te beneficium præſtitum eſſe judicabo. Vale.

89 *JACOB. SADOLETUS EPISC. CARPENT.*

GREGORIO S.

Quod poſtulaverat prioribus litteris Gregorius, id eum nuntiat Sadoletus aſſecutum eſſe a Pontifice Maximo, qui præſentem ejus voluntatem exiſtimat Chriſtianæ Reipublicæ utilem, & de illo magnifice ſentit.

Occupationibus meis factum eſt, ut ſerius quam ego vellem tibi reſponderim, addo etiam nunc brevius. Ego tuis litteris acceptis ſtatim cum Pontifice Maximo locutus ſum ide te ea, quæ debui, & viſa ſunt dixi. Is ita mihi reſpondit, ut non ſolum bene noſſe te, verum etiam non mediocriter diligere ſit viſus; tam multa de tuis laudibus. Quod ad rem ipſam attinet, quam petiſti, non modo facile tibi, & libenter dat, ut libros Lutherianos habere penes te, & legere poſſis; verum gratiſſimam quoque habere ſe dixit hanc voluntatem tuam; perſuaſum enim habet te iccirco illa legere velle, ut melius refellere valeas. Quare potes fidenter, & abſque ullo legum metu, & conquirere ejuſmodi libros, & perlegere. Graſſenſi noſtro plurimam verbis meis ſalutem dicito. Tu ut valeas, meque abſentem diligas magnopere a te peto: hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

90 STE.

90 STEPHANO SAULIO

Amico dulciſſimo grates agit, quem Beſſarionis teſtimonio eo amplius novit ſui amantiſſimum, ſuæque conſuetudinis cupidum. Præclara amoris vice ſuum teſtatur animum, & propoſitum eum quantotius inviſendi.

ETSI tua incredibilis benevolentia, & ſummus erga me amor, multis maximiſque tuis beneficiis mihi perſpectus, nullius teſtificatione indigebat, gratiſſimum tamen mihi fecit Beſſarion, quod omnia quæ cum ipſo de me locutus es, diligentiſſime ad nos perſcripſit. Quamquam enim nullius prædicatione fieri poſſe putandum eſt, ut arctiore vinculo tibi conjungar, quam quo me obſtrictum eſſe ſentio; maxima tamen cum animi mei oblectatione intellexi, te præclare admodum rationem excogitaſſe, quo mutuus amor noſter, qui jam ad ſummum perveniſſe putandus erat, quippiam etiam incrementi domeſtica conſuetudine poſſet accipere. Qua quidem in re, etſi (quemadmodum quidem nunc eſt) acceſſio liberalitatis tuæ minime mihi repudianda eſſe videtur, nullos tamen fructus uberiores, ſuavioreſve in amicitia eſſe ſtatuo, quam ipſius amicitiæ propria quadam jucunditate cumulatam obſervationem. Et quidem in hac noſtra, licet omnem gratiarum actionem ſupervacuam ſemper eſſe judicaverim, (quod ea aliena eſſe debere videatur a tam veteri, tamque conſtituta amicitia) haudquaquam tamen ipſemet mihi imperare potui, quin pro tantis tuis in me meritis immortales tibi gratias agerem. Si enim nullum omnino tuum in me officium extaret, ſi nulla amicitiæ fundamenta poſita eſſent, cognito tamen hoc tuo deſiderio conſuetudinis noſtræ, tanta amoris vi a me proſequendus eſſe viderere, quantam vix animus meus capere poſſet. Qua enim ratione fieri potuiſſe putandum eſt, ut me cuperes aſſidue tecum eſſe, niſi vis incredibilis quædam, & (ut ita dicam) intemperantia amoris, te ipſum de me decepiſſet? Nunc vero cum ad innumerabilia merita tua poſtremus hic velut cumulus acceſſerit, nihil aliud ad ea, quæ ad me Beſſarion ſcripſit, reſpondere poſſum, quam communibus votis me ſatisfacturum eſſe, quæ iccirco communia appello, quod nequaquam tibi concedam in mutua conſuetudine noſtra expetenda. Sed quoniam adventum tuum in Calendas Julias rejeciſti, ſtatui & ego tantiſper mihi a profectione ſuperſedendum eſſe, donec te Genuam applicuiſſe audiero. Multæ enim, graviſſimæque cauſæ nobis occurrùnt, quare adventum tuum deceſſionem hinc noſtram præcedere cupiam. Gratiſſimum igitur mihi feceris, ſi cum primum tibi de reverſione tua ſtatutum fuerit, iſtinc nos de omnibus feceris diligentiſſime certiores. Et ni tibi moleſtum futurum eſt, omnino interim revocanda videtur, neſcio quo caſu, diutius

inter-

intermiſſa frequentia litterarum. Vale. Et N. verbis meis ſalutem dicito plurimam. Quem, etſi de facie mihi incognitum, tamen & quia tibi intimus, & quia doctiſſimus, ſe a me vehementiſſime diligi cupio fieri certiorem.

91 FRANCISCO DE SANCTO VENERIO

Subiratus Franciſco, quod ſæpius provocatus non reſcripſerit, amorem tamen ſuum eidem confirmat, rationes profert, ob quas ab eo receſſit, & præteritam tenuitatem refert compenſari præſenti abundantia. Nuntiat demum Theocreni apud Galliæ Principem auctoritatem.

FEſſus jam in ſcribendo ad te; ſtatueram nihil amplius moleſtiæ tibi a me inferri debere, cum, ut video, tibi funditus exciderim. Vide tamen quantum poſſit amor; affectus etiam tam inſigni contumelia, a me ipſo impetrare nequivi, ut tibi iraſcerer. Quare certiſſime tibi perſuadeas velim, me tandiu tibi moleſtum fore, donec aut aperte inimicitias nobis denunciaveris, aut toties reſcripſeris, quoties a me litteras accepiſti. Illud enim dicere non audebis, noſtras tibi redditas non fuiſſe. Nam cum tuas in eoſdem faſciculos conjecerim, in quibus ad complures alios dedi, qui mihi amiciſſime reſcripſerunt, nequaquam ſit veriſimile, incolumibus cæteris, tuas tantum periiſſe. An forte illud dices te mihi iratum eſſe, quod jam ſeptimum menſem abſim? Enimvero cum primum iſtinc abii, nemo fuit, qui certius quam tu intelligere poſſet, me non facile eo reverſurum, ubi ſæpius tecum conqueſtus ſum omnia, præter cæli clementiam, mihi eſſe ad conſervandam valetudinem longe difficillima. Quod quidem neque religioſis illis viris aſſignare poſſum, a quibus tantum abeſt ut quippiam eo nomine peccatum ſit, ut etiam experientia ipſa didicerim, illos aſſidue ſupra facultates ſolitos eſſe conari, ut omnia mihi humaniſſime ſuppeditarentur. Sed noſti loci illius tenuitatem, ne dicam inopiam. Illud ipſum quod mihi adeo humaniter exhiberi videbam, me admonebat, ut tam præclare meritis de me diutius oneri eſſe non deberem. Quare judicari poſſet, ut opinor, hominis parum ſibimet conſulentis atque adeo inconſiderati, ſi eo reverterer, unde antea hac rerum difficultate compulſus ſum abire: cum præſertim nulla mihi ſpes oſtendatur ex priſtinis illis conditionibus quippiam immutari poſſe. Cave enim credas me æque libenter alibi futurum æquis etiam conditionibus. Nunc vero Graſſenſis Pont. beneficio abunde mihi omnia ſuppetunt, quæ iſtic deerant; perinde enim rebus illius utor, ac meis. Reliquum eſt, ut quoniam locorum intervallo disjuncti ſumus, creberrimis ſaltem litteris amicitiam noſtram excolamus. Niſi forte magis opera danda eſt, ut vel tu huc ad nos proficiſcare, vel ego ad vos rever-

reverti poſſim; quorum utrum magis cupiam, vix ſatis declarare poſſem. Cæterum ex litteris Theocreni Pariſiis datis accepimus, illum apud Principem Galliæ maxima cum authoritate, tum etiam gratia florentem, curam Regis Primogeniti brevi accepturum eſſe. Quod ſi forte contigerit, cenſebo tibi illo advolandum eſſe, ut hominis amiciſſimi non jam benevolentia tantum, ſed etiam liberalitate perfruare. Vale.

92 BENEDICTO THEOCRENO

Theocreno gratulatur, quod ejus potiſſimum diſciplinæ prima filii rudimenta Galliarum Rex commendaverit. Sagax tanti Regis conſilium meritam acquiret nominis in ævum omne memoriam Theocreno eidem, cui acceptum referent præcipue gentes quidquid maximum futurus Rex potentiſſimus operabitur.

MAgis ne tibi gratuler, an Regi omnium ſapientiſſimo, Regiæne ſtirpi, an totius Galliæ populis nondum ſatis conſtituti. Tibi certe in primis quod amicitiæ noſtræ conſentaneum eſt, mirifice gratulor, quod unus potiſſimum electus es, cujus innocentiſſimis moribus, & ſanctiſſimæ diſciplinæ futuri aliquando Regis omnium maximi, atque potentiſſimi, prima rudimenta commendarentur, ut egregiæ illius indolis, quæ omnium ore tantopere celebratur, admiranda materia, tanquam in manum præclari artificis devenerit, in abſolutum quoddam, & ex omni parte perfectiſſimum opus formari poſſit. Quod ſi tibi jam inde ab ineunte adoleſcentia, ea mente in honeſtiſſimis ſtudiis laboratum, vigilatumque eſt, ut aſſidue præclaram aliquam opportunitatem tibi ſe oſtenſuram ſperares, in qua virtus tua poſſet eniteſcere, nunc illa certe ſe tibi ejuſmodi obtulit, ut non majorem, honeſtioremve potueris deſiderare. Fidei enim, virtutique tuæ commendatus eſt adoleſcens in tantam ſpem natus, ut præceptis, & conſiliis tuis obtemperans, omnis ævi præſtantiſſimum ſe Regem ſit præbiturus. Quo nomine, non tibi ſolum, aut Patriæ tuæ, ſed univerſæ Italiæ laudis, famæque incredibilem acceſſionem faciendam eſſe tibi perſuadeas velim: nunc demum enim eruditionis Italicæ ſplendor ſic gentibus illis elucere incipiet, ut tandem credituri ſint, fuiſſe olim homines noſtros, tanta non innocentia ſolum, & integritate, ſe etiam doctrina, & eruditione, ut hi populi beatiſſimi judicarentur, quibus partem aliquam tantæ felicitatis voluiſſent impartiri. Cum tibi non multo minori, quam Ariſtoteles fuit, hunc longe majorem futurum quam Alexander, fructus omnes, & indolis, & ingenii ſui acceptos relaturum eſſe omnes intelligere poterunt. Quem & ipſum certo ſcio, cum non a conficta quadam Xenophontis diſciplina, ſed a ſanctiſſimis præceptis tuis ad officium diligentis, & moderati imperii excultus fuerit, daturum operam, ut nomen illud Chri-

Chriſtianiſſimi ; quod a majoribus habiturus eſt hæreditarium , aliquando etiam per ſe partum poſſideat , & , quod Alexandro viſum eſt , magis velit (*a*) περὶ τὰ ἄριςα ἐμπειρίαις ἢ ταῖς δυνάμεσι διαφέρειν . Nequeo plane ſatis admirari Regis ipſius providentiam , atque conſilium , qui cum Gallias videret uberrimo proventu doctiſſimorum hominum abundare , incredibili tamen judicio , te potiſſimum ex omnibus elegit , a quo longe majora , quam a Patre Regis filium accepturum eſſe putaret . Gratiaſque , ut opinor , Deo Opt. Max. agit immortales , quod ſuo potiſſimum tempore natus ſis , qui , quemadmodum Phænix Homericus , illum docere poſſis (*b*) μύθων τε ῥητῆρ' ἔμμεναι πρηκτῆρά τε ἔργων , qua in re non ultra tibi laborandum eſſe video , quam , ut Alumno tuo patris admirabilia geſta proponas , & ad ea imitanda , & æmulanda , quoad ejus fieri poterit , horteris , atque incites : ut aliquando cognoſcat honeſtiſſimam ſibi neceſſitatem impoſitam eſſe , illius laudi , & moribus , & rerum gerendarum gloriæ reſpondere . Contigit certe ſæpius , ut qui majorum præclare geſta auſi ſunt æmulari , illos demum longo intervallo ſuperaverint : qua victoria nihil puto gratius illis contingere poſſe, qui ea ratione vincuntur. Cæterum univerſæ Galliæ tanquam pro certa , atque adeo jam adepta felicitate , mirum in modum gratulor , quod eum , qui præceptis Philoſophiæ egregie excultus fuerit , Regem etiam aliquando ſunt habituræ . Qui conſiliis , atque fortitudine , æque prolatis imperii Gallorum , ac Chriſtiani nominis finibus ab extremis Orbis partibus ad nos reverſus pulcherrimum , ac juſtiſſimum triumphum ſit acturus. Cum devictis omnino nationibus , quæ Chriſtiano nomini ſunt infeſtæ , ſublato omni & bello , & belli timore , pace terra , marique parta non tantum victori ipſi , quam tibi , cujus præceptis obtemperans , ad eum felicitatis gradum pervenit gratias acturi , nec minori cum admiratione Regem ipſum , quam Theocrenum , intuituri ſumus . Tunc etiam liberalium omnium diſciplinarum ampliſſimus proventus tanto fructu ſe efferet , ut non provocaturos ſolum omnem antiquitatem , ſed ſuperaturos etiam longo intervallo nos eſſe confidam . Veruntamen quoniam propediem te viſurus ſum , cætera in id tempus differemus ; non enim mihi perſuadeo tantum hunc felicitatis curſum , aliquid in te priſtinæ facilitatis mutaſſe , niſi ut quantum vis tantundem amicis poſſis prodeſſe ; ſuavitatem igitur congreſſus tui perinde atque antea mihi polliceor. Vale.

(*a*) *In certaminibus , vel , ut ego quidem opinor , ad præclara quæque edenda facinora uſu & experientia , quam virtute , ac robore exercitus præſtare .*

(*b*) *Verborumque Oratorem eſſe operumque effectorem .*

Ut te fermarem eloquio rebuſque gerendis : Conſ. Hom.

93 SEVERUS MONACHUS CISTERCIENS. GREGORIO S. (a)

Quæ Severo Beſſarion retulit de Gregorio, ejuſque erga ſe animo Severus ipſe accepit jucundiſſime, ſuamque operam tum ei, tum ejus Ordini enixe pollicetur, ſi hæc futura ſit uſui apud Cæſarem. Se miſſurum ait ad Gregorium emendationes, quas præ manibus habet in M. Tullii Orationes, ut ejus gratia, & favore excudantur.

CUM mihi pergrata, perque jucunda ſemper extitit recordatio conſuetudinis, quæ mihi tecum jam inde ab adoleſcentia interceſſit, tum etiam nuper ſumma cum voluptate renovavit Beſſarion, tui Ordinis Monachus, quem cum primum apud Belgas vidi, diligenter percunctatus ſum, ubi nam gentium eſſes, quidve rerum gereres. Is mihi de te bona omnia narravit, & ſingularem eruditionem, cæteraſque virtutes tuas prædicavit, quo nihil gratius inter tot calamitates, & ærumnas meas audire potui. Nec mihi omnino perditus videor, cum intelligam te apud omnes gratia, atque auctoritate florentem, mei quoque memoriam retinere; id quod ex litteris tuis de me honorifice ſcriptis animadverti. Eidem Beſſarioni, qui mihi vir modeſtiſſimus viſus eſt, omne meum ſtudium, atque operam pollicitus ſum in tuenda veſtri ordinis dignitate. Eum exiſtimo id omne, cujus gratia ad Cæſarem miſſus fuerat, ſumma fide, ac diligentia tranſegiſſe. Attamen, ſi quid in ea cauſa reliquum eſt, aut ſi quid de integro emerſerit, in quo apud Cæſarem aut tibi, aut Ordini tuo alicui uſui eſſe poſſim, id me omni ſtudio curaturum polliceor, atque adeo præmeſero. Sunt mihi nunc præ manibus emendationes in M. Tullii Ciceronis Orationes, quas ſi mihi diutius ab

(a) Severus Monachus Ciſtercienſis Placentiæ ortum habuit ex familia Varina. Quamquam eſſet omni ſcientiarum genere excultus, præcipue tamen puriori latinæ linguæ candori ſtuduit, ideoque fuit Ciceronis amantiſſimus. Eum inter doctos ejus temporis viros numerari ab Areoſto Cant. 46. Str. 13. credit Fornarius; autumat tamen Porcacchius Severum alium Camaldulenſem ibi deſignari. Idem Porcacchius contendit hunc noſtrum obiiſſe apud Germanos, ad quos perrexit ob detectam Cardinalis Petrucci in Leonem X. conjurationem, cujus conſcium fuiſſe Severum nonnulli exiſtimarunt. Ab hac nota eum abſolvere curavit Nicolaus Baccetius Abbas Ciſtercienſis Florentinus, conſcripta quadam inſigni, ut ait Ughellius, Apologia. Apologiam hanc typis vulgatam non credimus, cum ejus non meminerint neque Negrius in Hiſtoria Scriptorum Florentinorum, neque Mazzuchellius in Scriptoribus Italicis de Baccetio differentes. Ex Italicis Gregorii noſtri Epiſtolis colligitur Gregorium ipſum egiſſe cum Cardinali Contareno, ut Severus in Italiam rediret, quæ res etſi Severi crimen non evincat, gravem tamen de eo ſuſpicionem ſatis indicat.

ab Italia abeſſe contigerit, ad te mittere decrevi, ut a Calchographis in officina Aldi gratia, & favore tuo excudantur. Eas cum tibi, tum cæteris bonarum artium ſtudioſis, neque inutiles, neque injucundas fore confido. Nec me, ut arbitror, poſt Bucinenſem, & Naugerum, in illud opus incubuiſſe pænitebit. Vale.

94 SEVERO MONACHO

Grato animo memoriam revocat priſtinæ ab adoleſcentia conſuetudinis cum Severo, cui maxima ex parte acceptum refert, ſi quid in ſtudiis profecerit, etſi ſtudia virorum principum amicitiam conciliaverint. Suo, totiuſque Ordinis nomine gratias agit, quod Beſſarionem apprime juverit in negotio, pro quo Cæſarem adivit. Deſiderat maxime emendationes in Tullium, quas conjicit opus eſſe abſolutiſſimum pro auctoris ingenio, & ſapientia.

DEdiſſem omnino antea ad te litteras, ſi mihi exploratum fuiſset diutius te apud Cæſarem commoraturum. Cave enim putes quippiam gratius, aut jucundius mihi eo officio potuiſſe accidere, niſi forte ut te viderem, & alloquerer, contigiſset. Neſcio enim quo meo fato acciderit, quod ex quo Religonem iſtam, quam tu profiteris, & ego profeſſus ſum, cum te ſemper, ut ita dicam, veſtigiis fuerim inſectatus, nunquam tamen aſſequi potuerim: nec adeo antea multis diebus, ut te potiſſimum conſiliario, & (a) μυςάγωγῷ tantum opus aggrederer. Et quidem quantum memoria repetere poſſum, nemo te mihi eſt amicus antiquior, nemo magis conjunctus, nemo, cui æque omnes ſtudiorum meorum qualeſcunque fructus acceptos referre debeam. Non enim memoria nobis excidit, nec excidet profecto aliquando, cum tu jam tum princeps Ordinis tui, atque adeo maxima dignitate præditus, me adoleſcentulum, & adhuc in litteris balbutientem, tantum aberat ut ſperneres, ut ultro etiam facilitate, comitateque tua ad continuum contubernium ſemper provocaris: cum noctes, dieſque me quietem ſtudiorum tuorum interpellantem, non modo non repellebas, ſed ne vultu quidem ſubtriſtiore moleſte id ferre unquam mihi viſus fueris. Reſonant adhuc in auribus meis ſanctiſſimæ illæ adhortationes, & graviſſima præcepta, quibus me aſſidue & ad bonarum litterarum ſtudia, & ad Chriſtianam pietatem hortabare. Cum ea ordinis gravitate, qua tunc eras, etiam circa incunabula mea cum latinarum, tum græcarum litterarum, mecum, ut ita dicam, repueraſcere non gravareris, ut ad ea ad quæ verbis me hortabare, te ipſum ducem, & prævium nobis exhiberes. Quare nihil mihi gratius facere potuit Beſſarion noſter, quam ut & tibi litteras ad ſe meas oſten-

(a) *Duce ſacrorum.*

oſtenderet; & viciſſim impetrata abs te ad me Epiſtola; conſuetudinis noſtræ recordationem renovaret. Quod vero & de eruditione, & gratia, ut ais, noſtra apud omnes tantopere nobis gratularis, facis tu quidem humaniter, & amice: neque enim mirum eſt illa omnia, ſi ita eſſent, maximæ tibi jucunditati futura fuiſſe, & quod eruditionem tibi potiſſimum acceptam relaturus fuerim, & ſi quid favore, aut gratia poſſem, id totum me tibi poſſe profiterer. Veruntamen alterum, in quo me fateor non mediocrem curam adhibuiſſe, ut ſcilicet non eſſem omnino ineruditiſſimus, ita mediocriter conſequutus ſum, ut magis ob curam, diligentiamque in ea re quam ob fructum ipſum laborum mihi gratulari debeas: alterum vero ita mediocre eſt, ut longo tamen intervallo ſuperet in ea re deſiderium meum. Etſi enim non minimam laudis partem eſſe majoribus viſum eſt, principibus viris placuiſſe, in eoque complures fructum ſtudiorum ſuorum collocarunt; fateor tamen non accerſitam, ſed ultro exhibitam principum virorum nobis amicitiam proveniſſe. Ex litteris præterea Beſſarionis intellexi ipſum opera, conſilio, authoritate, gratia tua ſic uſum fuiſſe, ut quod ea ex ſententia confecerit, quorum gratia a nobis ad Cæſarem miſſus fuerat, tibi præcipue ingentes gratias agat, quas & ego, non meo tantum, ſed univerſi Ordinis noſtri nomine immortales ago, egregie relaturus, cum tibi animos noſtros libuerit experiri. Sic enim tibi perſuadeas volo, nos omnes, quoad noſtrum fieri potuerit, præclare tibi & voluntate, & actionibus eſſe reſponſuros. Cæterum non mediocre in nobis deſiderium excitaſti emendationum tuarum in M. Tullii orationes legendi. Quod opus, conjectura ex cæteris operibus tuis facta, conjicio eſſe abſolutiſſimum: ut non modo te nunquam pœnitere poſſit in eo opere poſt eos, quos nominas, elaboraſſe, ſed magis futurum opiner, ut eos vehementer pœniteat, quod te in eo labore præceſſerint. Quorum quidem Naugerum plurimum etiam eo nomine tibi debiturum polliceor, idque præ ſe laturum. Sunt enim nobis perſpectiſſimi viri illius & integerrimi mores, & candor ſupra quam dici poteſt ingenuus: eſt enim nobis in primis & amicitia, & familiaritate conjunctus. Quare ſi te diutius apud Belgas immorari contigerit, ipſius potiſſimum opera utemur in excudendis his quæ nobis a te fuerint tranſmiſſa. Id autem te latere nolo paucis antea menſibus, Aldum ipſum immatura & ſibi, & rei litterariæ morte ereptum, triſtiſſimum nobis ſui deſiderium reliquiſſe. Vale.

Digitized by Google

95 DIONYSIO MONACHO (a)

Quæ dies memoriam mortis Chriſti recolebat, eadem recolebat memoriam quoque cæleſtis nuntii ad Deiparam miſſi. Ea igitur die, cum meditatio amoris Dei, quo ad mortem tractus eſt, pietatis lacrimas expreſſiſſet, expreſſerunt gaudium mores, integritas, humilitas Matris Virginis, quæ Dei Filium ad ſe traxerunt. Æſtro percitus carmen effudit, quod mittit.

Contigit hoc anno ut dies ille, quem nos græco vocabulo (b) παρασκευὴν appellamus, & qui anniverſario ritu Chriſti Dei, & Regis noſtri obitus recordationem ſingulis annis renovare conſuevit, idem eſſet, quo & cæleſtis nuncii ad Deiparam Virginem miſſi memoria celebratur. Maxima, admirandaque ſunt quæ in hoc ipſo die contigiſſe communi hominum opinione perſuaſum eſt, eo nempe, Orbem conditum, creatum, erectumque Adam, Abel a fratre interſectum, Baptiſtam ab Herode (c) ἀποκεφαλισθέντα primum his, qui ob veritatis teſtificationem deinceps periere, exemplum hac ipſa die præſtitiſſe: quæ omnia, etſi magis pervulgata hominum opinione ad nos pervenerunt, quam quod a majoribus noſtris ſcriptis, memoriæve ſint commendata, multa tamen occurrunt quare facile cuivis perſuaderi poſſit, vulgarem hanc famam non longe a veri ſimilitudine abeſſe: ſed quoniam alterius omnino loci eſt ab his, quæ ad te ſcribere decrevimus, ejus rei perveſtigationem in magis opportunum, magiſque idoneum tempus rejiciemus. Cum igitur hac ipſa die multum temporis in ſecreto abſumens diu cum animo meo verſaſſem inenarrabilem illam amoris vim, quæ Deum Optimum Maximum non hominem fieri tantum, ſed mori etiam, & eo præcipue mortis genere coegiſſet, quo nullum ea tempeſtate magis contumelioſum, & infame putabatur, ſic eram affectus, ut in meditatione mea non ignis modo exardeſceret, ſed oculi etiam vim lachrymarum profunderent. Cumque diutius in ſuavi, gratiſſimoque hoc mœrore verſatus fuiſſem, converti deinceps animum ad Virginem matrem illam, cujus innocentiſſimi mores, illibata integritas, humilitas excelſiſſima, ipſum Dei Filium ad ſe traxerunt, ſtatimque velut (d) ἐνθουσιασμῷ œſtro percitus hoc carmen effudi, quo tantum abeſt, ut admirandum illud divinitatis domicilium ſatis hoc hymno laudatum putem, ut omnino ab ejus laude ceſſaturus fuerim, ni certo ſcirem admirandæ bonitati hoc etiam accedere, ut

(a) Hæc pertinere debet ad annum 1524. Hoc enim Anno Reſſurrectionis Dominicæ dies incidit in VI. Kal. Aprilis, ideoque Feria ſexta Paraſceve celebrabatur Feſtum Annuntiationis Virginis Mariæ.

(b) *Paraſceven*. Hoc eſt *preparationem*.

(c) *Jugulatum*.

(d) *Inſtinctus Sacri, vel divini afflatus*.

ut quæ a mortalibus dantur munera non propria celſitudine, ſed eorum qui illa offerunt modulo metiatur. Alioqui ſi nihil illi placiturum eſt, niſi quod ejus magnitudine dignum eſſe videatur, poſſunt jam cæleſtes Spiritus ab ejus laude ceſſare, quos longe magis ei meritis concedere non dubito, quam nos ipſis hoc in genere concedamus. Vale. (*)

96 *AUGUSTINO GRIMALDO*

EPISCOPO GRASSENSI (*a*).

Renunciatus Gregorius Cœnobii Lerinenſis præſes vehementiſſime doluit, quod ſenſerit ob novum munus amittere ſe tranquillitatem, qua fruebatur. Hanc quæſiviſſe ſe ſemper, eamque ope præſertim Graſſenſis ibi inveniſſe, ubi nihil deerat, quo totus in litterarum ſtudia incumberet; ex maxima tranquillitate in maximam calamitatem delapſum orare ſe, ut Graſſenſis auctoritate apud Ordinis principes priſtino ſtatui reſtituatur.

NIhil humana felicitate eſſe incertius, conſueſſeque uſu hoc accidere, ut quo ſtabilius pedem ſibi homines fixiſſe videntur, eo gravius ruant, ſi unquam alias, nuper in memetipſo veriſſimum eſſe expertus ſum. Qui cum jam plures annos in una tantum re laborarim, jamque viderer mihi portum eum tenuiſſe, ad quem curſum direxeram, repente tam valida tempeſtate, atque adeo vehementi impetu rejectus ſum, ut nec a longe quidem eam, quam tantopere deſideraveram, tranquillitatem portus valeam intueri. Qua de re iccirco ſerius ad te ſcripſi, quod adhuc gravibus, anxiiſque curis excruciatus, nullam officii, nullam conditionis meæ, nullam denique tuorum erga me meritorum rationem ex dolore animi habere potuerim. Quis enim non incredibili dolore afficiatur, qui ex tranquilliſſimo rerum ſuarum ſtatu eo miſeriarum, & ſollicitudinis devenerit, ut præſens calamitas videri poſſit cum priſtina felicitate certare? Sed poſtquam veluti revocata ad me ratione, & quis ego ſim, & quid cæteris præſtare debeam, cæpi conſiderare, nequaquam mihi committendum eſſe duxi, ut quamvis a portu in maximam tempeſtatem rejectus ſim, omnino tamen dimiſſo gubernaculo in aſpera, atque vadoſa loca navem detrudi patiar. Hoc certe mihi honeſtiſſime facere poſſe videor, ut tecum dolorem meum communicem, a quo potiſſimum ſecun-

(*) In prima Parte ſub Num. V. vide Carmen de laudibus Matris Virginis, cujus initium: *Suave dicite Virgines* &c.

(*a*) Anno 1524 licet reluctans, Abbatis dignitate primum inſignitus fuit Gregorius, ejuſque adminiſtrationi demandatum tunc fuit Monaſterium Lerinenſe. Hinc ejuſdem anni 1524. erit hæc Epiſtola, & duæ, quæ ſubſequuntur.

ſecundum Deum non pars quædam beatitudinis, ſed integra felicitas, quoad hic ſperare licet, nobis obvenerat. Perſuaſum mihi erat jam inde ab ineunte juventute, cum plura ſint honeſte vivendi genera, ætatemque in rebus ſummopere utilibus, atque honeſtis traducendi, ad longe omnium utiliſſimam, & honeſtiſſimam actiones meas accommodaſse. Primum, quod relicta communi omnium hominum tempeſtate, in Religionis portum confugeram, ubi niſi penitus diſsoluti, & ſacrarum rerum contemptores eſse velimus, mira tranquillitas, atque adeo certa ſalus inveniri poteſt. Deinde, quod cum in hoc genere hominum duplex ſit vivendi ratio, altera agendi, contemplandi altera, relicta priore illa ad eam quæ mihi & honeſtior, & magis naturæ meæ conſentanea videbatur, totum memetipſum converteram. Dies, noctesque verſabar in gravioribus ſtudiis, ejuſmodi diligentia, ut non me pœniteret quantum proficerem. Tentaveram poſtremo ut Theologiæ, & Philoſophiæ venuſtas orationis, tanquam duabus matronis, debitus cultus, & decor reſtitueretur, quo per injuriam expoliatæ ſquallentes diu, obſoletæque jacuerant. Cumque vidiſsem in ea re tentanda ſtudium meum a te non improbari, diligentiſſime tecum egi, ut ſi quid etiam moleſtiarum, aut ſollicitudinis in hac Religionis ſtatione mihi relictum fuerat, id omne & auctoritate, & auxilio tuo, velut duabus jactis anchoris, ſedaretur. Qua in re ita ſtrenue a te nobis navata eſt opera, ut nihil in ea mihi deſiderandum reliqueris. Tu legatos ad principes Ordinis noſtri, atque ad ipſa comitia deſtinaſti: tu magno ſumptu, & labore copioſiſſima librorum ſupellectili undique conquiſita, univerſam uſibus noſtris expoſuiſti. Tu ut nobis librariorum copia fieret, quo exſcribendi laborem effugeremus, rationem excogitaſti. Tu amæniſſimo in loco pulcherrimis ædibus extructis, partem in eis longe pulcherrimam, atque ſaluberrimam ad uſus noſtros accommodaſti. Tu poſtremo (quod minimum fortaſse tibi videtur) mihi autem, ex quo patriam, & ſatis amplum patrimonium ſponte reliqueram, inſtar eſt maximarum divitiarum, ut commode ſumptus mihi ſuppeditarentur, habita imbecillitatis meæ ratione providiſti. Cumque hæc omnia jam mihi viderer certa quadam ſtabilitate poſſidere, repente inde tempeſtas extitit, unde minime ſuſpicabar, ut non tantum ad frugem jam pervenientes ocii noſtri fructus omnes abſumpſerit, ſed & in poſterum ſpem omnem propemodum abſtuliſſe videatur, quod ex ſumma quiete in ſummam ſollicitudinem detruſus ſim. Satis enim tu ipſe noſti, quam difficile, quam operoſum negotium ſit, quam poſtremo & laboris, & periculi plenum, alienis animis imperare, & in paſtoris morem diu, noctuque excubare pro caulibus. Accedit præterea incommodum illud maximum, quod tenuiſſima utens valetudine, etſi mente maxime, & ingenio valerem, corpore tamen ad hujuſmodi labores perpetiendos minime idoneus videri poſſem. Enimvero adverſum hæc omnia, fortiſſimus opponendus eſt obedientiæ clypeus, & quem me fateor, cum primum

in

in me acerbus hic nuncius ex improviſo impetum fecit, penitus abjeciſſe, confirmato jam animo reſumendus. Quod quidem nondum me aſſequi potuiſſe, irruentibus undique moleſtiis, & confiteor, & præmefero. Nec tantiſper me aſſecuturum ſpero, donec tu coram incredibili tua hilaritate, & familiari vultu, accedente ad mirificam efficaciam vi maxima eloquentiæ, memetipſum mihi reſtitueris. Quod etiam a te nulla ratione fieri poſſe mihi perſuaderem, niſi ſpes aliqua ſupereſſet, fore ut amore, & benevolentia tua priſtinus ille rerum mearum ſtatus denuo a me recuperetur. Cum enim tanta ſit apud principes Ordinis noſtri authoritas tua, quanta profecto eſſe debet, acceſſura ſit inſuper æquitas poſtulationis noſtræ, qui non ut ad altiorem gradum provehar, ſed uti ne omnino provehar, peto, facile mihi perſuadeo, ſi preces tuæ interceſſerint, priorem illam vitæ tranquillitatem brevi mihi reſtituendam eſſe. Vale.

97 *VITALIS MONACHUS*

GREGORIO S.

Gratulatur Vitalis Gregorio pro collata recens dignitate, quam incredibili virtute comparavit, non ambitioſe quæſivit. Gratulatur & ſibi, quod tali prælatione decoratum habeat præceptorem, qui diſcipulos & ſplendore, & auctoritate illuſtrare poſſit, & juvare.

NEſcio mihi potius, an tibi gratuler pro hac dignitate tua, Gregori pater, quam tibi in his proximis comitiis præclariſſima virtute, & ornatiſſimis moribus comparaſti. Tibi enim non mediocrem video gloriam acceſſiſſe, cui tantum honoris gradum, te præſertim invito & patribus unanimiter ſuffragantibus, aſcendere licuerit, ut non minus optimam omnium de te opinionem ſuperaturum putem, quam ſemper antea maximam expectationem concitaris: nec id quidem immerito. Tantam namque apud omnes exiſtimationem incredibili virtute tibi comparaſti, ut laus tua non obſcuro, nec vario ſermone, ſed & clariſſima, & una omnium voce prædicetur. Mihi autem non parvam decoris, & ornamenti acceſſionem factam eſſe puto, cui tali prælatione decoratum liceat habere præceptorem, qui & ſuo ſplendore omnes diſcipulos illuſtrare poſſit, & maxima authoritate incredibili ſit futurus emolumento. Tibi igitur iterum gratulor pro hac dignitate tam maxima, quam benemerita, quam etſi nunquam ambitioſe quæſiſti, ſplendore tamen virtutis, & morum gravitate promereri ſtuduiſti. Mihi quoque rurſus gratulor, quoniam & voti mei compos effectus ſum; & jam nihil aliud cupio, niſi ut te videam, fruarque & conſuetudine, & ſuaviſſimis ſermonibus tuis. Poſtre-

ſtremo ſcias velim, me, ut hujus dignitatis culmen aſſequereris; omnem operam, & ſtudium adhibuiſſe. Quam poſteaquam maxima cum omnium gratia, ſavoreque adeptus es, primus agnovi, cum novem virorum ſyngraphas, ut moris eſt, ipſe ſcrutarer. Dii te fauſtum, felicemque conſervent, ac ad meliora ſemper, dignioraque, ut promeritus es, te provehant, ut & tibi, tuiſque, ac ſacræ Religioni decus immortale acquiras. Quam cum diu feliciſſimeque gubernaveris, in ejus tandem ſinu, cum ſenueris, fauſtiſſime requieſcas. Vale.

98 VITALI MONACHO

Agit grates Vitali pro gratulatione, quam noſcit ab amico animo proficiſci; permoleſtum tamen, acerbumque fuiſſe demandari ſibi magiſtratum, ab hujuſmodi onere difficultatibus pleno abhorrere prudentes viros, ab inſciis tantum illud ambitioſe perquiri; moleſtiam, & acerbitatem id unum ſolari poſſe, ſi dignitas Vitali, & condiſcipulis futura ſit emolumento.

ETSI intelligo gratulationem tuam ab amico animo proficiſci, conjecique mirificam voluptatem, qua, ex eo qui mihi nuper demandatus eſt magiſtratu, affectus fuiſti, & iccirco pro tali voluntate, fieri nequit, ut non tibi immortales gratias agam; illud tamen te ſcire volo, nihil unquam mihi acerbius accidiſſe, nihilque poſthac accidere poſſe, quod gravius feram, quam moleſtiſſimum ejuſmodi adminiſtrationis onus. Nec minuit dolorem quod mihi nihil tale expectanti repente iſtuc obrepſerit, niſi eatenus quoad apud omnes conſtare gaudeo, me & voluntate, & animo ab ejuſmodi curis remotiſſimum, id nequaquam ambitioſe quæſiſſe, quod ultro etiam oblatum mirum in modum me angit, & excruciat. Quod illis certe vix veriſimile fieri poſſe puto, qui inania hæc dignitatum nomina tanto ſtudio conſectantur, ut pro illis etiam digladiari non erubeſcant, nihil ex inenarrabili ſollicitudine adepturi præter infinitas moleſtias, & curarum incredibilia tormenta. Quodque his omnibus magis eſt admirandum, complures eſſe intellexi, qui, cum private vitam agentes vix idonei fuerint ad ſemetipſos regendos, maxima tamen ambitione, ut ceteris præficiantur, contendunt: ut non ſecus mihi agere videantur, ac ſi quiſpiam non ventorum modo, & tempeſtatum, ſed navigandi etiam penitus inſcius, onerariam navem precioſiſſimis onuſtam mercibus inter fluctus maximos, & adverſas tempeſtates regere concupiſcat. Quid enim precioſius humanis animis excogitari poteſt? quos cum ex hujus vitæ procellis in portum ſupernæ patriæ deducendos ſuſceperint, plerunque facto naufragio, complures in profunda demergunt. Nec abnuo eſſe aliquos, quibus tuto navis hujus gubernacula demandari poſſint, ſed eos cum pauciſſimos eſſe, tum etiam invi-

invitoſ coactoſque ad clavum regendum accedere non ambigo: eoque potiſſimum argumento prudentes ab imperitis diſcerni poſſe, quod priores onus maximum expendentes, quoad ipſorum fieri poteſt, diffugiunt, & reluctantur; inſcii vero illi tanta cum aviditate id appetunt, ut ſi præteriti fuerint, doloris vehementiam nequeant diſſimulare. Quare non minimam infelicitatis partem eam eſſe duco, quod novem viri adeo unanimes fuerunt ad me ex priori tranquillitate deturbandum, ut nihil aliud præter acerbiſſimam memoriam nobis reliquerint priſtinæ conſuetudinis. Cæterum inter mala, quibus urgeor, non minimum illud nobis ſolatium continget, ſi vel tibi, vel condiſcipulis tuis alicui emolumento hæc dignitas eſt futura. Qua in re meum erit honeſtiſſimis omnium votis obſequi, veſtrum autem quid a me deſiderare debeatis; diu, multumque cogitare. Vale.

99 *FRANCISCUS DE S. VENERIO*

GREGORIO S.

Expoſtulat cum Gregorio Franciſcus, quod ſuis litteris non reſcripſerit; ſicut aliorum omnibus; de maximo amore ſuo certiorem eum facit; conſilium aperit proficiſcendi ad eum ſi major ingruat vis peſtilentiæ; poſcit tandem ut cito remittat expolitum limatumque opuſculum quoddam ſuum, quod illi dederat.

SUM miratus, quod cum cæteris, qui eodem tempore, quo ipſe, ad te ſcripſerunt, & aliis etiam, qui nunquam litteras ad te dederant, reſponderis, mihi nihil adhuc ad ea, quæ volebam, reſcripſeris. Quid vero eſt quare id accidiſſe ſuſpicer, niſi vel te noſtri penitus oblitum, vel te hoc mearum litterarum officium damnaſſe putem? Ego tamen tui ſemper memor ero, te & præſens, & abſens equidem ſemper amabo. Non enim ex eo hominum numero ſum, qui præſentes tantum amant, abſentes vero obliviſcuntur. Nec te litteris appellare deſinam, quotieſcunque mihi ſcribere vacabit. Itaque contemnas licet hoc meum ſcribendi officium, qui quanti te faciam, quamque amem, vel illud certiſſimum eſt argumentum, quod de te ſummo ſtudio, & diligentia ex omnibus, qui iſtinc veniunt, & quos nactus ſum, ſemper quæſivi, quod nunquam tam ſedulo feciſſem, niſi te mirifica vi amoris proſequerer, qui in amore in te meo haud quaquam puto me a quoquam ſuperari, ut ex eo qui tibi litteras meas reddet, diligentius intelligere poteris: quæ res eſt mihi ad brevitatem aptior. Sed de litteris, & de meo in te amore hactenus. Decreveram, ſi vis peſtilentiæ major ingruiſſet, quod tamen ſperandum in melius eſt, iſtuc me

conferre, ut talia tempora tecum exigerem; ſed dubitavi ne reciperer. Mihi ſane rem gratiſſimam feceris, ſi opuſculum illud, quod erat alligatum meis ad litteris, e veſtigio limatum expolitumque remiſeris, quod certe ſcio in cauſa fuiſſe, ne litteras abs te acceperim. Poſthac ero prudentior. Ego amico noſtro, qui libellum a me quotidie cultum repoſcit, intra Reſurrectionis dies me abs te accepturum pollicitus fueram: te obſecro, & obteſtor, cures ad me tuto perferendum. Hoc a te ita peto, & contendo ut nihil vehementius abs te unquam contenderim. Vale.

100 FRANCISCO DE S. VENERIO

Quod Franciſcus litteras non receperit, tabellariorum culpæ, & negligentiæ tribuendum aſſerit Gregorius, cum non ſemel dederit. Ob amoris teſtificationes reddit grates, & eum a ſe impenſe diligi affirmat; hinc ſibi, cæteriſque pergratum futurum adventum ejus ad ſe, quo minuetur mœror ob peſtilentiam; in illud ejus opuſculum non poſſe ſe incumbere, nec repueraſcere inter prima grammaticæ rudimenta.

Accidit tabellariorum negligentia, ut uterque noſtrum de altero conqueri poſſe videatur. Ego binas ad te litteras dedi, quas ex tuis conjicio redditas non fuiſſe, cum viciſſim quoque abs te nihil litterarum acceperim. Illud certe mirum mihi videtur, quid cauſæ fuerit, quod cum cæteri omnes, ad quos Epiſtolas dedi, ſumma cum fide illas ſe accepiſſe ad nos nuper reſcripſerint, tu ſolus a tabellariis ſis præteritus. Quare diligentiſſime danda eſt in poſterum opera, ut iſtæc jactura ſarciatur, & crebritate litterarum omnis ſuperetur tabellariorum negligentia. Nam etſi omnino ſilere ſtatuiſſem, excitat certe nos mirificus ille amor erga me, quem poſtrema Epiſtola tua declarat. Scribis enim, te quamvis illud tuum ſcribendi officium a me contemni perſpexeris, iccirco tamen deſiturum non eſſe nos litteris compellare. Ego vero tam nequeo officium tuum hoc pleniſſimum amoris, & humanitatis contemnere, quam tu me abſentem non potes obliviſci. Cum enim in cæteris omnibus me abs te ſuperari facillime patiar, nunquam in mutuo amore noſtro tibi ſum conceſſurus. Cæterum mirifice gaudeo peſtilentiam iſtic remiſſius deſævire: vix enim dici poteſt, quanta me moleſtia affecerit civitatis iſtius miſerabilis ſimul atque diuturna calamitas. Quæ licet omnibus merito deflenda eſſe videretur, parum tamen abſuit, quin inter maximos mœrores, nuncium mihi attulerit optatiſſimum gratiſſimi adventus tui ad nos, niſi tu inconſulte omnino veritus fuiſſes, uti a nobis non reciperere: tantum enim abſutura fuit a nobis adeo ſæva inhumanitas, ut etiam omnes tibi obviam fuerimus prodituri, excepturique publico cum

appa-

apparatu cariſſimum hoſpitem. Quod præterea vereris opuſculum illud in cauſa fuiſſe, ut non litteras a me antea acceperis, fateor certe me ea de re nihil omnino hactenus reſcripſiſſe. Qua enim ratione fieri poſſe putaſti, ut nunc demum primis grammatices rudimentis denuo operam darem? & quantitatem ſyllabarum, pedumque menſuram, ſic anxie examinarem, ut ſi deſiderio tuo voluiſſem ſatisfacere, mihi rurſus fuerit repueraſcendum. Quare recte facies ſi, ut ſcribis, poſthac fueris prudentior, & diligenter cogitaveris, quidnam a quoque potiſſimum ſit requirendum. Vale.

101 *MICHAELI PLACENTINO MONACHO* (a)

Quanta Gallorum ſtrage completa ſit pugna ad Ticinum, cum placuiſſet Hiſpanis manus conſerere, nuntiat Michaeli monacho. Regis captivitatem, & cætera ejus diei damna narrat; adverſa quæcunque hinc ab Hiſpanorum armis pertimeſcenda nunc, ſi libeat uti victoria.

DUM heri in Vallauriano eſſemus egō, & Venuſinus Pontifex, qui Antipoli ad nos confugit ob ſævientem illic vim peſtilentiæ, redditæ mihi ſunt a Graſſenſi litteræ IV. Calen. Martii Monæci datæ, in quibus erat adſcriptum, miſſum ad ſe a Duce Genuenſium myoparonem cum certiſſimo nuntio, qui referret maxima Gallorum ſtrage ad Ticinum eſſe pugnatum ad VII. Cal. Mart. Cum enim in caſtra Hiſpanorum paucis antea diebus ſuperveniſſet pleniſſima Germanorum phalanx, velletque Rex ab illorum incurſu tutiorem reddere exercitum ſuum, dimiſſa Papienſi obſidione, in conſeptum locum, quem Parcum appellant, copias omnes contraxerat, imminutas ſane, atque debilitatas, quod militum pars longe optima cum Albaniæ duce in Regnum Neapolitanum eſſet profecta. Tum vero Hiſpani duce Federico Aterni, quam nunc Peſchariam vocant, Marchione, nocte, quæ diem Matthiæ Apoſtolo dicatam præcedit, maximo ſilentio de tertia vigilia ex caſtris profecti, ut ad locum eum venere, magno cum ſtrepitu muros demoliri cæperunt, excitatiſque cuſtodibus, & Rege ipſo, tumultuarieque inſtructo exercitu, ante lucem in aciem eſt deſcenſum, conflictumque miſerabili eventu Gallorum. Si tamen is conflictus appellandus eſt, ubi alteri tantum perſequebantur & hoſtes cædebant, alteri vero fugiebant, & trucidabantur. Poſtremo is rei eventus fuit, ut Rex ipſe captivus fuerit, & cum eo Rex Navarræ, Co-

(a) Pugna celebris; de qua hic eſt ſermo, commiſſa eſt anno 1525. VII. Kal. Martias nocte, quæ diem Matthiæ Apoſtolo ſacram præcedit; congreſſi ſunt hoſtes, neque ceſſatum eſt, donec Caroli V. copiæ captivum raro exemplo abduxerunt Franciſcum I, Galliæ Regem.

Comes Sancti Pauli, & Sabaudiæ nothus, quem magnum Regiæ domus Magiſtrum appellant. Ex Italis Federicus Gonzaga, qui honoratiſſimum apud Regem locum tenere ſolitus eſt. Periere autem in conflictu Galeacius Sanſeverinus Regis (a) ἀσπιδοφόρος, Bonivettus præterea, qui ſuperiore anno cum univerſi exercitus dux eſſet, æque infelici eventu cum Hiſpanis bellum geſſerat. Dux Lanchonii, cui in matrimonium Soror Regis conjuncta eſt, audito tumultu fœdiſſimæ fugæ ſe commendaverat. Pauci præterea ex Regis exercitu in acie periere, longe vero maxima pars in trajectu Ticini vi fluminis abſorpta eſt: direpta caſtra, omni genere prædæ refertiſſima, captæ bellicæ machinæ, quarum incredibilis pene erat numerus. Hiſpani hac parta victoria tantos ſibi ſpiritus ſumpſerunt, ut maxima licentia, atque impunitate ad radices uſque Alpium excurſiones faciant, & quod magis admirandum eſt, quaterni tantum ſenive ex populoſiſſimis civitatibus per vim captivos abducunt, etſi invitis populis, non repugnantibus tamen. Nihil harum rerum adhuc provinciales iſti noſtri intellexerunt, quare magnopere cavendum eſt, ne nos ejuſmodi rumorum primi authores fuiſſe dicamur. Tanta enim ſunt ſocordia atque ſtoliditate, ut veluti certa victoria ſecuri in utramque aurem dormiant. Tu vero velim tibi perſuadeas, omnia hæc ex Apollinis oraculo proficiſci. Omnino tibi curandum eſt, ut per omnes noctis vigilias, diligentiſſimæ in turri fiant excubiæ; etſi enim nihil dum de claſſe auditum eſt, vereor tamen nihilo melioribus auſpiciis illam Maſſilia ſolviſſe, ac Rex ipſe Lugduno diſceſſit. Meminiſti ſane quæ noſtra fuerit expectatio, & qualis ſuſpenſio animi, cum Rex in Italiam proficiſceretur: cum non ſatis illi faceret de Hiſpanis, & Duce Mediolani, atque adeo de Regno Neapolitano victoria, ſed vana quadam elatione, Hieroſolymam, & Conſtantinopolim primo vere ſe petiturum jactaret. Nunc autem video in tanto diſcrimine res Gallorum conſtitutas, ut in eo ſolum ſpem ſalutis collocare poſſint, ſi Hiſpani vel neſcierint, vel noluerint tanta hac victoria uti. Eadem enim, ut opinor, facilitate Galliam Ciſalpinam ſunt invaſuri, quo Regem ipſum, & cum eo totius Galliæ robur invaſerunt. Certus tamen quodammodo ſum, illos uſque ad ſatietatem repletiſſimos præda, nihil de ſuperandis Alpibus cogitaturos, maxime cum Regem captivum habeant, a quo quaſcunque voluerint pacis conditiones facile ſe expreſſuros arbitrantur. Interim vero quotidie pro captivis (b) τὰ λύτρα, ut in conficiendis litteris trajectitiarum pecuniarum non ſufficiant trapezitæ. Vale.

(a) *Armiger*. Proprie *Scutigerulus*. Hiſpanice: *Eſcudero*. Gallice: *Grand Ecuyer*. Italice: *Scudiere*.

(b) *Lytra Redemptoria &c.*

102 *MICHAELI PLACENTINO MONACHO*

Quæ ſecuta ſint priorem victoriam proſequitur, & quam inſolenter victoria abutatur Hiſpanorum natio. Monet idcirco iterum, ut diu, noctuque arcis cuſtodes diligentiſſime vigilent, ne victores improviſo ſuperveniant.

CErtiſſima ſunt omnia, & longe veriora his quæ ad Sagram. Rex captivus & tantum non conjectus in vincula, Picighitonum deductus fuit. Eſt id Oppidi nomen in citeriore ripa Abduæ fluminis, natura, atque opere munitiſſimi. Ibi pluribus depoſitis Hiſpanorum cohortibus, incredibili diligentia aſſervatur, cuſtode illi Larchonio dato, cujus in hoc bello longe maxima virtus fuit. Cæterum pene incredibilia ſunt, quæ de horum militum importunitate, atque ſuperbia narrantur, ut nulla unquam natio adeo inſolenter victoria abuſa eſſe exiſtimetur. Ajunt ex Sabaudiæ Ducis cubiculo per vim quoſdam eſſe abſtractos, quod rebus Gallicis faviſſent, qui illuc ex pugna velut in aſylum confugerant. Romæ Pontificem Maximum a paucis, cum quædam veluti iniqua denegaret, publice affectum conviciis. Italis Principibus miſerandam Regis captivitatem moleſtiſſimam eſſe certiſſimum eſt; inſtructiſſimos habent exercitus, mirificos hoſce ſucceſſus Imperatoris habent ſuſpectiſſimos (nec enim dubium eſt, tanto Rege profligato, victorem non quieturum) & tamen trepidi, ſtupenteſque quieſcunt, tanquam venientem ad ſe calamitatem non ſenſuri ſint, ſed inſpecturi tantummodo, ὦ πέπονες κακ' . . . . Rumor eſt, Sabaudiæ nothum Papiæ ex animi mœrore deceſſiſſe, ſerius quidem aliquanto quam oportuit: tunc enim erat æquius illum mori, cum Galliæ Regnum tanta cum avaritia expoliabat, ut nec hominibus, nec Divis parceret. Claſſis, quæ in vadis Sabatiis diu ſtetit ad anchoras deligata, ſolviſſe dicitur, & Populoniam, vel ut complures affirmant, ad hoſtia Tyberina proficiſci, ut Albaniæ Ducem, & Rencium Orſinum Maſſiliam trajiciat, qui eo conſilio ex Regiis caſtris, cum non contemnenda manu, paucis antea diebus diſceſſere, ut motus aliquos in Regno Neapolitano excitarent; nec omnino irriti cecidiſſent ejuſmodi conatus, niſi Regis captivitas, & reliqui exercitus profligatio in diverſa parte eſſent obſecutæ. Nunc vero nihilo feliciore eventu illinc eſt Regnum illud tentatum, atque hinc Mediolanenſe. Ajunt certe intra urbis Romæ mœnia utramque factionem Columnenſium, ſcilicet atque Urſinorum, pene juſto prælio aliquot horis conflixiſſe, diſceſſumque eſſe ex pugna in neutram adhuc partem inclinante victoria; una tantum ratione Columnenſes eſſe ſuperiores, quod ea factio victoribus fœlere eſt conjuncta. Horum malorum Pont. maximus ſpectator, non arbiter ſedet. Veruntamen quod ad nos potiſſimum attinet, danda tibi dili-

diligentiſſime eſt opera, ut die, noctuque cuſtodes arcis nunquam ex ſpecula diſcedant: incertum enim eſt, quidnam conſilii claſſes Imperatoris, & Genuenſium ſint capturæ; etſi vix mihi perſuaderi poteſt, niſi prius in Provinciam hanc irruperint terreſtres copiæ, claſſes ad nos adventuras. Pridie certe quam hæc ad te ſcriberem, duo myoparones ſtationi applicuerunt, quibus Hieronymus Auria Maſſiliam deferebatur, qui aſſidue, (ut noſti) maximis pedum, articulorumque doloribus laborat. Retulit is mihi, Claſſem, quæ Genuæ in portu eſt, inanem pene eſſe, cum a militibus, tum etiam a remigibus, ut nihil a nobis inde penitus ſit timendum. Nec tamen iccirco committendum eſſe arbitror, ut non diligentiſſime habeantur excubiæ. Non enim cæterorum noſtraque æqua conditio eſt: nam ſi quippiam a cæteris eſt offenſum, fortunæ tantum id aſſignari conſuevit: a nobis ſi quid peccabitur, experimento jam docti didicimus, fore, ut non fortuna, ſed fides noſtra accuſetur. Vale.

103 *FEDERICO FREGOSIO*

ARCHIEPISCOPO SALERN.

Ob infelicem Ticinenſis prælii eventum Lugdunum ſeceſſit Federicus; neque Italiam petiit, ut optaverat. Summa rerum omnium perturbatione territus nec ipſe audet Gregorius ad ſui Ordinis comitia proficiſci, quamquam nec ubi nunc eſt tutum ſe omnino credat. Quod temporum ratio ſuadebit, poſtmodum exequetur, & Federico notum faciet, a quo viciſſim petit, ut conſilium ſuum aperiat.

CUM te propediem Nicæam venturum eſſe ſperarem; repente acerbiſſimo nuncio de Rege Gallorum, eventuque prælii accepto id quod a te factum eſt, fore ut omnino fieret mihi perſuaſi, ut ſcilicet iſtinc proficiſcerere, id enim & ſalutis tuæ, & officii ratio mihi poſtulare videbatur. Poſtremis vero litteris, quas Lugduni ad XII. Calend. Aprilis dediſti, iſtic te futurum intellexi per totos hoſce jejuniorum dies, poſtea vero, voluntate quidem te in Italiam trahi, vereri tamen, (ut ſunt in tam afflictis perditiſque rebus incertiſſima conſilia) ut neceſſitatem aliquam, non voluntatem ſequi cogaris. Qua in re non tibi conſulendum, ſed conſiliorum tuorum exitum a me expectandum eſſe cognoſco. Ego vero, cum jam (ut ad te ſcripſeram) ſtatuiſſem ad comitia noſtra proficiſci, poſtmodum hac rerum omnium perturbatione vehementer territus, non ſatis tutum fore opinatus ſum terreſtri maritimove itineri me committere, in tanta latrociniorum impunitate, & perditorum hominum licentia. Et tamen ſummopere vereor, ne hic quoque maximis tumultibus, & anguſtiis affligar; ut quod vetus habet proverbium, Lupum mihi videar auribus tenere, quem nec tuto dimittere nec abſque maximo

mo periculo retinere poſſim. Quoniam, ſi quid moleſtiarum hic nobis impendeat, non adeo certum eſt, cum in itinere non dubia pericula ſint, omnino ſuſpicor me ex his locis tantiſper non diſceſſurum, quoad quietiora, tranquilliorаque omnia in itinere eſſe nunciabuntur. Illud præterea magnopere me movet, quod neminem eſſe credo, qui conjectura aſſequi poſſit, ea loca ad quæ proficiſci decreveram, bellum, pacemne ſint habitura. Quare (quemadmodum nunc eſt) magis remanſionem, quam profectionem nobis eligendam eſſe judico. Quod ſi ſecus a me decretum fuerit, fies illico per epiſtolam certior, & ad quam diem diſceſſurus, & quonam gentium profecturus ſim. Tu quoque, ut idem facias vehementer etiam, atque etiam rogo, quando ex tuis conſiliis non parum dependent conſilia noſtra. Teſtamentum, quod fidei noſtræ credideras, confeſtim acceptis litteris tuis, quando tibi ſic placere intellexi, ut erat obſignatum flammis tradidi, quare nihil eſt amplius quod pro ea re dubius animi pendeas, ut non quæcunque tibi viſa fuerint, vel corriges, vel immutes. De libris præterea, quando me hinc diſceſſurum non eſſe confido, nec Jo. Baptiſtæ, nec alii cuipiam negotium demandabitur, ei vero qui ad nos a te litteras deferet, maxima cum fide a me reſtituentur. Tu (ſi fieri commodo tuo poteſt) interim quam creberrimas ad nos litteras dabis: nihil enim cum mihi gratius, tum etiam ad rationes vitæ meæ expediendas accommodatius facere potes. Vale.

104 *JACOBO FERRO PHILOSOPHO* (*a*)

Electo ad curandam Regis ſalutem Jacobo gratulatur meritam honoris acceſſionem, quamvis hæc ſibi damnum afferat ejus abſentiæ. Quemdam Joannem Baptiſtam Monachum miſſum ob Cœnobii negotia ei commendat ſummopere, & rogat ut illum auctoritate, gratia, conſilio adjuvet.

NOndum ſatis conſtitui moleſtius ne mihi acciderit quod a nobis diſceſſeris, ut ſuavi illo tuo congreſſu mihi in poſterum frui non liceat,

(*a*) Ex iis, quæ alibi diximus, cum Caroli V. favorem ſibi conciliaſſet Epiſcopus Graſſenſis ad vindicandam fratris necem, id ſibi injurium cenſuit Franciſcus I. qui ideo eum ſpoliavit iis omnibus, quæ antea contulerat, cumque Itali Caſſinates Graſſenſi acceptum referrent Lerinenſe Monaſterium, Graſſenſis calamitas parum abfuit, quin derivaret in Caſſinates Lerinenſes, quos a Monaſterio expellere erat in animo. Maximam moleſtiam id attulit Gregorio, qui nihil intentatum reliquit, ut imminens damnum averteret: Egit per Epiſtolas cum iis omnibus, quorum operam ſperavit utilem, egit per ſe ipſum Lugduni, atque demum aſſecutus eſt Lerinenſis Monaſterii poſſeſſionem Caſſinatibus confirmari, atque in hanc rem a Ludovica, quæ Regnum tunc adminiſtrabat, diploma obtinuit obſignatum VII. Idus Auguſti anni 1525. ad ea tempora proinde ſpectant hæc, & quæ ſubſequuntur Epiſtolæ de hoc negotio agentes.

Digitized by Google

teat, an jucundius; quod tua hinc profectio honoris dignitatiſque tantum tibi attulit incrementum, ut & amicis utilitati, & patriæ tuæ ſempiterno ornamento ſis futurus. Damnum certe, quod ex abſentia tua maximum facturi ſumus, mirifica hæc voluptatis acceſſio compenſabit. Cave enim putes mihi aliud gratius, aut jucundius nunciari potuiſſe, quam quod unus electus es, qui Regis omnium maximi, atque potentiſſimi ſalutis curam habeas, in qua potiſſimum conſervanda maximæ pulcherrimæque orbis partis ſalutem contineri neminem eſſe puto, qui audeat denegare. Quare fieri nequit, ut tibi non ſummopere gratuler, quod ab hoc potiſſimum electus es, cui ob incredibilem ſapientiam nihil probari poteſt, quod non idem ſit in ſuo genere omnium probatiſſimum. Quod etſi meam de te expectationem non ſuperat, cujus virtuti hæc omnia aut certe longe majora ornamenta jampridem deberi intelligo, gaudeo tamen mirum in modum, cum & præclarorum virorum rationem haberi, & hac honeſtiſſimi laboris compenſatione plurimos, ut eandem virtutis viam ingredi velint, exemplo tuo excitandos eſſe non ambigam. Enim vero ne omnino abſens tibi gratuler, mirifice accidit, ut ob quædam negotia, & animum noſtrum diſtrahentia, & quæ dignitatem Ordinis noſtri concernunt, mitterem ad te Joannem Baptiſtam familiæ noſtræ monachum, quo cum tanta mihi conjunctio eſt, ut per illum me tecum collocuturum mihi eſſe videar. Et quoniam ex Platonis ſententia amicis perinde atque nobis ipſis nos natos eſſe jampridem tibi ſcio eſſe perſuaſum, reliquum eſt, ut tibi perſuadeas ejuſmodi benefaciendi facultatem a Deo Opt. Max. illis potiſſimum concedi ſolere, qui quadam animi celſitudine præditi, ita demum ea ſe recte frui opinentur, ſi quamplurimis benefecerint. Qua in re ſupremam illam divinitatis bonitatem potiſſimum imitantur, cujus ea propria vis, atque natura eſt, ut per omnia benefaciendo pertineat. Quare etſi in Cœnobii noſtri negotiis pene ſupervacuam eſſe opinor acceſſionem commendationis noſtræ, quod te omni officio ſponte tua expectationem noſtram etiam ſuperaturum non dubitem, fecerunt tamen & negotii magnitudo, & incredibilis meus amor in eum, qui ad te venit, ut illa ipſa tibi commendare non verear. Vehementiſſime igitur abs te peto ut opera, conſilio, authoritate, gratia tua ſic Joannem Baptiſtam adjuves, ut non tibi tantum, ſed nobis etiam acceſſionem hanc dignitatis, quæ tibi contigit, factam eſſe intelligamus. Mihi certe perſuadeo, me tibi brevi per litteras gratias relaturum, quod omnia, quorum gratia iſtuc profectus eſt, ex animi noſtri ſententia confecerit. Vale.

105 GU-

105 GUGLIELMO LANGIÆO
REGIS FRANCIÆ A SECRETIS.

Cum Guglielmo a Galliarum Rege in Italiam miſſo ad curanda Religionis negotia cum congredi non poſſit, hominem mittit, qui negotia ſibi crediti Cœnobii ei commendet. Ejus in ſe amorem, ac beneficia commemorat, nova itidem ſperans ex magno animo, & ad optima quaque expedito.

CUM vix fieri poſſe putarem, ut non modò tibi congredi; teque coram alloqui poſſem, ſed etiam ut ſi quas ad te dediſſem litteras, ex aliqua ratione reddi poſſent, ob temporum iniquitatem, atque infeſta undique itinera, repente mihi allatum eſt, te in Italiam adventaſſe, eo potiſſimun conſilio ab Rege optimo, & (quæ veriſſima præfatio eſt) Chriſtianiſſimo miſſum, ut non nutantibus tantum, ſed pene funditus jam everſis Chriſtianæ Religionis rebus ſtudio, atque dexteritate tua opem ferres. Quo quidem nuntio nihil jucundius, nihil optatius nobis accidere potuit. Ex quo enim primum mei in te amoris fundamenta poſuit vir optimus, & utriuſque noſtrum amantiſſimus Venuſinus Pontifex, cum a nobis in Lerina Longolii orationes deſcribendas accepiſti, nullum a te prætermiſſum officium eſt, quo ſingularis tua in me benevolentia illuſtrius, aut expreſſius declarari poſſet: nec enim mihi memoria excidit, ſed nec profectò excidet aliquando cum tu mihi Lugduni gratiam, conſilium, authoritatem tuam ita ſine ulla exceptione aut laboris, aut occupationum pollicitus es, ut tamen ampliſſimas pollicitationes opera, & ſtudio ſuperaveris. Acceſſerunt deinde fratris tui viri ſanctiſſimi, atque innocentiſſimi innumerabilia in me merita, quibus factum eſt, ut cum omnino mihi perſuaſum ſit nequaquam fieri poſſe, ut tantis veſtris in me beneficiis aliquando reſpondeam, non tamen verear, longe majora mihi de vobis in poſterum polliceri. Ea nempe ratione a maximis viris beneficia collocari conſuevere, ut ea non facultate accipientium, ſed dantium magnanimitate æſtimentur. Accidit vero incommodiſſime, quod tu eo præcipue tempore Mutina iter facturus es, quo ego ob longe difficillima, mihique mirum in modum moleſta negotia abſens eſſe cogor, ut non te coram alloqui, tuiſque illis ſuaviſſimis congreſſibus perfrui poſſim. Etſi enim te graviſſimis negotiis pro ſuſcepta provincia aſſidue diſtineri certiſſime ſcio, mihi tamen adeo perſpecta eſt morum tuorum incredibilis facilitas, pari ingenio conjuncta, ut mihi perſuadeam futurum etiam fuiſſe, ut inter tantos negotiorum (ut ita dicam) fluctus, te per ocium perfrui poſſem. Quod quando jam ne ſperandum quidem mihi eſſe videtur, conſilium fuit, cer-

certum hominem ex collegio noſtro ad te mittere, qui mihi exploratiſſima omnia de te referret, quique ejus cœnobii, quod fidei noſtræ creditum eſt, ea ratione tibi negotia commendaret, ut certo ſcires, quicquid ſtudii, & operis in eo tuendo collocaſſes, te non in alienis rebus, ſed in iis quæ jure optimo & tamquam mancipio, & nexu tuæ ſunt, te collocaturum eſſe, quod ut libenter facias, meque in poſterum ejus ſpei uſura ſinas perfrui, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

106 ANTONIO DE PRATO EPISCOPO (a)

GALLIARUM CANCELLARIO.

Galliarum Cancellarii auctoritatem judiciumque vehementi oratione interponere ſatagit, ne Religioſa Monachorum Italorum familia a Lerinenſi Cœnobio exulare compellatur; eſſet namque id a Gallorum humanitate nimis alienum, communi utilitati, pietati, religioni noxium, atque indecorum.

SI per negotia tua mihi licitum fuiſſet, ut ea, quæ nunc per litteras agere conſtitui, coram teque alloquens agere poſſem, commodius certe, ac majore cum animi libertate, tum etiam fiducia a me eſſet hæc cauſa tractata; fretus ſiquidem & æquitate cauſæ meæ, & religione tua, etſi authoritate aliquantiſper deterreri potui, cum ea tamen incredibili humanitati ſit conjuncta, opinor omnino futurum fuiſse, ut quantum authoritas tua me deterruiſset, tantundem provocaret humanitas. Quid enim mihi dubitandum fuit, cum apud te Religioni, Sacriſque, ut accepi, magnopere deditum Religionis cauſam mihi tuendam ſuſcepiſſem? in qua ea ratione agi debere humana omnia divinaque jura ſanxerunt, ut ſi in dubium verteretur, eſſetque jus controverſum, deberet tamen ab omnibus ſecundum ipſam judicari. Tu vero, ſi parum libet animum ab infinitis illis negotiis evocare, quæ in maximo Regno adminiſtrando mentem, cogitationemque tuam ſibi totam vendicare poſsunt, propone tibi ante oculos univerſam familiam noſtram, divina re, cui dies noctes-

que

(a) Antonius de Prato ex illuſtri familia, poſt varia munera, primus, ut vocant, Præſidens fuit anno 1507., deinde anno 1515. a Franciſco I. Magni Cancellarii munere inſignitus. Apud Hiſtoricos non bene audit ejus nomen. Poſt uxoris obitum Eccleſiaſticæ militiæ nomen dedit, & potentum favor primos Eccleſiæ honores ei comparavit. Fuit Abbas Floriacenſis, & Epiſcopus Meldenſis, Albigenſis, Valentienſis, Dienſis, Gapenſis, Archiepiſcopus Senonenſis, & demum Cardinalis a Clemente VII. creatus anno 1527. Poſt triennium fuit etiam Legatus a latere in Galliis. Tantis honoribus non contentum ajunt etiam Romanam Cathedram inhiaſſe. Obiit in quodam ſuo pago, quem Nantovillet nominant, ſeptuagenario major anno 1535. juſſitque ſuum Cadaver in ſua Senonenſi Eccleſia tumulari, quam vivens nunquam ingreſſus fuerat.

Digitized by Google

que pure, pieque operatur, paulisper intermiſsa, te per communia ſacra, per easdem initiorum leges orare, atque obteſtari, ne tot ſuos labores maxima cum animi alacritate hactenus ſuſcepios, ut ſacerrimæ Lerinenſes ædes in antiquam Religionem revocarentur, caſsos inaneſque labi patiare; ne ſanctiſſima penetralia, quæ decimo ab hinc anno verum legitimumque Dei cultum recuperarunt, nunc demum culpa tua, & ut libere quod ſentio loquar, propoſiti contumacia, priſtino ſquallori reſtituantur. Nobis ne id obeſse debebit quod rerum omnium parenti naturæ eſt aſſignandum, quod in alieno cœlo ſimus progeniti? Fateor, Itali ſumus, ſed prophetico præcepto, obliti populum noſtrum & domum patris noſtri. Sed Pauli admonitu pro eo Principe, ſub cujus poteſtate degimus, aſſidue Deum obteſtamur, ut tranquillam, quietamque agat vitam: denique & beneficiorum memores, quæ a Rege omnium maximo, atque humaniſſimo accepimus, & Gallorum genti maxima conjuncti benevolentia. Quod ſi græcorum barbarorumque, ut Paulus ait, idem Deus eſt, & ea de cauſa potiſſime Chriſtianorum omnium, cur qui eiſdem legibus, ſacris inſtitutis, communitate vitæ vobis conjungimur, iidem alienigenæ, externi, & ut ita dicam barbari judicabimur? Cur divino cultui dicatorum hominum fidem, quæ jam Deo obſtricta eſt, in ſuſpicionem vocare non pudet? Sicut enim non in omni terra eædem fruges, ſic non in omni natura eadem facinora obvenire conſueverunt. Enimvero ſi contra Regis tui decretum, ſi contra voluntatem principum omnium Galliæ, nos a te repuleris, non opinor Honoratum ipſum Pontificem a Pontifice, non numeroſam catervam Martyrum, quorum ſanguine ſacroſancta illa Inſula eſt dedicata, omnino eſſe reiiciendos, qui te rogant, & obteſtantur, ne ſe priſtino ſquallori reſtituas, nec cum legitime & ex pietate Chriſtiana vivendi formulam paucis annis apud ſe cuſtoditam viderint, corruptum vivendi genus, & morum licentiam iterum videre cogantur. Quod profecto accidet, niſi tu ea qua æquum eſt pietate, atque religione, Deo dicatorum cauſam & ſuſceperis & confeceris. Quod ut facias, te per ipſum religionis ſanctum, & venerabile nomen, per Divorum Sacroſanctas Reliquias, quibus Cœnobium illud eſt refertiſſimum, oro, atque obteſtor: ne cum religionis contemptu, qui, niſi tu ei conſulueris, omnino ſecuturus eſt, nationis Gallicæ infamia apud exteras nationes conjungatur. Quod ſi nobis, ut ſperamus, a te præſtitum fuerit, id tibi polliceor, atque recipio, quicquid Sacrificiorum, quicquid religionis, quicquid divinarum laudum in auguſtiſſimis illis ædibus deinceps peragi contigerit, id omne humanitati, pietatique tuæ acceptum nos relaturos eſſe; daturoſque operam, ut quando alia ratione a nobis tibi opera reponi non poteſt, precibus ſaltem aſſiduis Deum Optimum Maximum rogemus, ut tibi, univerſoque huic Regno propitius eſſe velit. Id vero a te facile nos impetraturos eſse, cum hu-

manitas, & benignitas tua, tum etiam dies hæc divinò ſpiritui ritè ſolemni dedicata mihi perſuadent, futurumque ut propediem pro ejuſmodi negotio non tibi amplius porrecturi preces, ſed gratias acturi ſimus. Vale.

107 JACOBO SADOLETO

Belli metu, & calamitatibus diſtractus nondum Sadoleti Epiſtolæ reſcripſerat. Id præſtat nunc opportunitatem nactus certi hominis ad eum miſſi a Salernitano. Salernitani ejuſdem negotia ei commendare ſupervacaneum intelligit in tam arcte conſtituta inter eos amicitia. Jam pro certo habet idcirco mirifice ei profuturam Sadoleti auctoritatem, gratiam, operamque in re maxima, ex qua pendet ejus tranquillitas.

QUod hactenus ad te litteras non dedi, cum multis antea menſibus abs te acceperim Epiſtolam pleniſſimam humanitatis, ac benevolentiæ, nolim tibi perſuadeas id aut negligentia, aut oblivione noſtra accidiſſe, ſed quod & difficillimo bello, & belli metu aſſidue vexati, maximiſque præterea affecti calamitatibus, ut pleraque omnia, ſic & hoc ſcribendi officium coactus ſum intermittere. Nunc autem ob eaſdem moleſtias Lugdunum pulſus, cum apud virum tui amantiſſimum Federicum Pontificem Salernitanum diverterem, mirifice accidit, ut is certum hominem ad te mitteret, cujus opportunitatem nactus, plurimum mihi viſus ſum in amicitiam peccaturus eſſe, niſi ad te qualeſcunque has litteras darem; quibus & aliquando tibi gratias agerem, quod negotium meum, pro quo ad te ſcripſeram, cum Pontifice Maximo tam amice confeceris, & me hic diutius futurum te facerem certiorem. Nam cum antea decreviſſem Salernitani negotia tibi arctiſſime commendare, in quotidianis congreſſibus facile perſpexi id, quod antea verbis tuis mihi erat perſuaſum, adeo ſcilicet viderem arcte conſtitutam amicitiam inter vos intercedere, ut nullus tibi commendatior eſſe poſſit quam qui a Salernitano ipſo fuerit commendatus. Quare cum nunc tanta ipſius res agatur, ut ſi eam pro animi ſui voto perfecerit, a maximis difficultatibus, atque moleſtiis ad tranquilliſſimum vitæ ſtatum ſit traducendus; certiſſime mihi perſuadeo, te omnem curam, atque ſollicitudinem ſuſcepturum, ut tua in eum collocata beneficia, quæ ipſe incredibilia eſſe aſſidue prædicat, maximo hoc officio cumulentur. Propediemque futurum ſpero, ut inenarrabili gaudio afficiar, cum tua intelligam opera, authoritate, & gratia tua Salernitanum ipſum perpetuam ſibi in poſterum tranquillitatem animi acquiſiviſſe. Vale.

108 FEDERICO FREGOSIO

Federico, & Gregorio eamdem urbem, Lugdunum nempe, incolentibus in locum epiſtolarum ſucceſſerant quotidiani congreſſus. Ne ceſſatores invicem fiant, quamvis præſens, has dat litteras Gregorius veritus ne uſum latinæ ſcribendi amittat; poſtulat viciſſim litteras, quamquam ſtili poſſeſſio in Federico ea ſit, quæ nulla ratione poſſit ab ejus dominio dimoveri.

CUM nihil mihi gratius; nihil jucundius accidere poſſit, quam ut diu & familiaritate, & conſuetudine tua fruar, hoc mihi præſtitit adventus noſter ad te. Etſi enim Cœnobii noſtri negotia imprimis huc me pepulerunt, deſiderium tamen viſendi tui, id quod cunctanter, & timide fueram facturus, ut libenti animo, alacriterque a me fieret mihi perſuaſit. In hac tamen mirifica noſtra voluptate illud intercidit incommodi, quod cum abſens crebras a te litteras accipere conſueverim, & illas quidem pereleganter, & amiciſſime ſcriptas, nunc cum in illatum locum mutua colloquia, & quotidiani congreſſus ſucceſſerint, omnino ſcribendi uſu intermiſſo, ſummopere verendum eſt ne ceſſatores maximi efficiamur: etſi nullum tibi inde video periculum imminere, quod ea ratione ſtyli poſſeſſionem uſu, mancipioque, ut ita dicam, tibi propriam feciſti, ut non modo de ea depelli non poſſis, ſed etſi ſponte illi cedere volueris, nequeas tamen, quantumvis diuturno tempore, ab ejus dominio dimoveri. Mihi vero qui nullam ferme facultatem, minimo certe uſu ſtabilitam nactus ſum, magnopere cavendum eſt, ne ex balbo, & infanti omnino mutus efficiar. Quare non tantum patienter feres, ſi litteris meis ocium tuum interpellavero, ſed & pro perſpectiſſima mihi humanitate tua, interdum etiam reſcribere non gravaberis. Etſi enim video quam impudenter agam, qui a tanto viro id petere audeam, quod etiam ſalva modeſtia mihi poteſt denegari; fecerunt tamen humaniſſimi mores tui, ut etiam verecundiæ fines apud te tranſgredi non omnino impudentis eſſe mihi perſuaſerim. Quod etſi eo nomine me litteris tuis accuſare volueris, longe tamen mihi erit jucundius litteras abs te accipere, quam moleſtum, impudentiæ nomine accuſari. Vale.

109 MICHAELI BENTINO GERMANO

Ad fovendam augendamque jam cæptam amicitiam dat, & poſtulat a Michaele litteras. Hunc hortatur, ut litterarum ſtudia proſequatur, in quibus adjutorem mirificum nactus eſt Salernitanum, quocum verſatur.

CUM modeſtiſſimi tui mores, & candor quidam ingenuus adeo me tibi devinxerint, ut nihil omnino deeſſe putem, quin ſumma tibi ſim ami-

amicitia conciliatus, exiſtimavi nos mirum modum in amicitia peccaturos eſſe, niſi jam poſita amoris fundamenta mutuis & litteris, & officiis, ut ita dicam ſuperſtructis, ad ſummum perduceremus. Cum igitur ad Salernitanum, Perpetuumque noſtrum litteras darem, tui etiam oblivîſci non potui. Quare viciſſim tibi operam dandam eſſe exiſtimo, ut quoniam omnium rerum quas ad beate vivendum ſapientia comparavit, nihil eſt majus amicitia, nihil jucundius, uti ne quid in ea peccare judiceris; quod facile apud me poteris aſſequi, ſi crebris litteris ſæpius me inviſes, facieſque de rebus omnibus tuis diligentiſſime certiorem. Cave enim putes quippiam mihi jucundius accidere poſſe, quam ſi ex te intellexero, ſic conſtitutas eſſe res tuas, ut maxima cum animi libertate in ſtudia incumbere poſſis, atque adeo cæteris curis abſolutus, ut apud poſteros etiam ratio ocii tui conſtare poſſit. Habebis vero, ut opinor, in ea re mirificum adjutorem Salernitanum noſtrum, cui ſi duos, treſve ad ſummum ſimiles ætas noſtra protuliſſet, omnino neceſſe fuiſſet, ſimul etiam doctorum virorum proventum maximum huic ſæculo contigiſſe. Tuas igitur litteras vehementer a me expectari ſcias velim. Vale.

110 PERPETUO HENRIOTTO

Mirari ſe ait, quod Perpetui litteris careat, a quo tamen ſe vehementer amari certo novit, & experientia didicit; ſe nunc in urbe Genuenſi ſtudia omiſiſſe, cum & librorum ſupellex Lerinæ ſit, & otium non detur ab adventantium amicorum officiis.

NON intelligo quid cauſæ fuerit, quod ex quo Lugduno diſceſſi; cum frequentes ad te dederim litteras, viciſſim ego abs te nullas acceperim. Putemne tibi noſtras redditas non fuiſſe? at iſtud ipſum non accidiſſe arguunt redditæ Federico litteræ, in cujus faſciculos tuas quoque conjeceram. Aſſignem ne iſtud abſentiæ tuæ? ſed ſcio tibi etiam abſenti litteras, quæcunque ad Federici manus pervenerint, reddi conſueſſe. Cauſam ne fuiſſe dicam multitudinem negotiorum? at mihi jamdiu perſpectiſſimum eſt, nunquam te irruentibus etiam graviſſimis multiſſimiſque negotiis ſolere ab officio dimoveri. Fortaſſe quas ad nos dabas, ad manus noſtras non pervenerunt; ſed cur a Federico, Bentinoque datas accepimus? Cum igitur nihil excogitare poſſim, cur apud me excuſatus ſis, nondum tamen mihi perſuadere potui, id a te non optimo conſilio, ſummaque ratione factum eſſe. Diutina ſiquidem conſuetudine certior factus de tuo in me amore, conſequenter etiam intelligo ſuaviſſimos illos mores, ob quos omnibus es cariſſimus, nihil poſſe in amicitia peccare. Præſertim quod nondum memoria nobis excidit, ſed nec excidet profecto aliquando, officioſa illa ſedulitas, quam in rebus noſtris adhibere ſolitus es, cum a latere meo ungue latius nunquam diſcedebas, cum vica-

vicarium pro me quotidie laborem ſubires, cum denique ipſo die diſceſſus mei non ſatis tibi fecerit commune illud cæterorum officium, ut me ad equum uſque proſequerere, ſed relictis negotiis, quibus aſſidue urgeri ſolitus es, Viennam uſque deduxeris. Cum talis igitur, tantaque amoris tui ſignificatio animo meo altiſſime impreſſa, & quodammodo inſculpta ſit, non committam, ut quippiam de te ſuſpicer, moribus tuis, & cæteris in me officiis, atque adeo perſpectæ benevolentiæ non conſentaneum. Si tamen poſthac moleſtiam hanc animi mei penitus extergere potueris, tam nobis erit gratum, quam quod gratiſſimum. Illud poſtremo tibi perſuadeas velim, nunquam te ſilentio tuo aſſecuturum, ut litteris noſtris deſinam tibi moleſtus eſſe. Sed etſi in animum induxiſſes nunquam mihi reſcribere, ego contra crebritate litterarum ejuſmodi pertinaciam expugnarem. Sed de litteris hactenus. Cæterum certiorem te fieri volo, ex quo a te diſceſſi, nullam mihi fuiſſe conſuetudinem cum libris, nec intermiſſa tantum, ſed penitus omiſſa a nobis ſtudia fuiſſe. Quod iccirco ad te ſcribo, ne fortaſse tibi mirum videatur, quod Paraphraſem illam librorum Ariſtotelis de moribus nondum a nobis acceperis, cum præterea copioſa illa noſtrorum librorum ſupellex in Lerina ſit: ego vero Genuæ, ubi ſi quid ocii datur ab adventantium ad nos amicorum interpellatione, totum in ſcribendis epiſtolis abſumitur. Vale.

III DIONYSIO MONACHO

Cum per Gregorium Lerinenſe Cœnobium Italis Monachis ſtetiſſet, ob arduum negotium pro voto geſtum gaviſus Dionyſius gratulatus eſt Gregorio, qui nunc ejus rei meritum a ſe removens conſentit faciliime id Dionyſio pluribus de cauſis fuiſſe perjucundum; quæ ſibi Taraſcone, & Arelate præſtiterint propinqui Dionyſii grato animo ſubjicit; ſe porro nunc Genuæ immorantem ex gravibus cauſis differre reditum. De ſtudiis Dionyſii, & ejus alumnorum progreſſu lætatus data occaſione aſſerit Rethoricos libros ad Herennium non M. Tullii, ſed cujuſpiam alterius eſſe. Laudat tandem ejus Hendecaſillabos ad ſe tranſmiſſos, quos tamen in lucem non proferet, cum juſtis de cauſis nec opus proferat, cui præmitti debebant.

COmpluribus de cauſis gratiſſimos tibi fuiſſe negotiorum noſtrorum ſucceſſus, nequaquam eſt admirandum. Et quidem in primis ejus Cœnobii gratia, quod a te tantopere amatur, ut nemini dubium eſſe poſſit, te nulli in amore ejus loci concedere. Deinde ob retentam totius Ordinis noſtri dignitatem, quæ una cum periculo ejus negotii, quod nuper tranſactum eſt, periclitari videbatur; præterea quod, ut amiciſſime ſcribis, potiſſimum per nos res omnes ſint adminiſtratæ. Etſi poſtre-

ſtremum hoc nequaquam mihi , ſed cum Honorati patris auxilio , tum etiam principum Galliæ benignitati eſt aſſignandum , quorum voluntas adeo propenſa eſt ad totius Ordinis noſtri conſervandam dignitatem , ut quod hactenus abſque cauſa factum eſt , nihil ſit deinceps de Lerinenſis Cœnobii retentione dubitandum . Accidit præterea commodiſſime , quod cum ego ob nimiam licentiam illarum mulierum reſtringendam , quarum cura nobis eſt demandata , Taraſconem divertiſſem , tuorum propinquorum conſuetudine per ocium mihi frui licuerit , qui adeo humaniter nos exceperunt , ut nulla alia de cauſa debuerit perſona tua deſiderari , niſi ea propter ut fierent congreſſus noſtri ſuavitate morum tuorum jucundiores . Nam fratres tui adeo ſe faciles mihi exhibuerunt , ut per dies complures , quibus & Taraſcone , & Arelate fui , nunquam a latere meo diſceſſerint . Quod vero ſcribis adventum meum iſtuc tantopere a compluribus deſiderari , facile id ita eſſe mihi perſuadeo , cum rurſus ego quoque vehementiſſimo veſtrum omnium deſiderio tenear , & nunquam fere accidere conſueverit , uti vis hæc amoris mutua non exiſtat . Veruntamen , quo modo nunc eſt , prope certus ſum ; fieri non poſſe , quin dies aliquot Genuæ ſuperſedeam , non quod me & Saulius Pont. , & Stephanus ſint detenturi ; eſſet certe ea cauſa graviſſima ; ſed ſunt aliæ longe graviores, quas omnes ad Præſidentem noſtrum diligentiſſime ſcripſi , & quibus fortaſſe fieri poſſet , ut uſque ad Comitiorum dies hic retinerer . Habeo præterea tibi gratias , quod me feceris & de ſtudiis tuis , & optimorum adoleſcentium mirifico progreſſu certiorem . Quos omnino mirum in modum proficere admirandum non eſt , cum ob diligentiam tuam in inſtituendo , tum ob ipſorum ſedulitatem , tum vero præcipue ob incredibiles fructus eruditionis , & eloquentiæ , qui ex illis authoribus percipi conſueverunt , in quibus ediſſerendis hoc toto biennio eſt a te elaboratum , & quos omnes ita probo , ut cupiam tamen diſcipulos tuos non ignorare Rethoricos libros ad Herennium , non M. Tullii , ſed cujuſpiam alterius eſſe , longe illo & eloquentia , & ingenio inferioris . Nec iccirco id ſcribo quod opus illud improbem ; eſt enim elegans, eruditum , prope accedens ad antiquorum candorem : & quod præcipue adoleſcentibus utile eſſe conſuevit , diſtincte admodum , & preſſe oratorias preceptiones deſcribit ; ſed quod cupiam , ut Fabius ait , in omni lectione admiſtum eſſe judicium . Cæterum dici non poteſt , quantæ oblectationi nobis fuerint hendecaſyllabi tui , nec tantum ea de cauſa quod perſpectum nobis antea amorem in me tuum expreſſius declarabant , ſed quod ex illis cognovi te nondum blandioribus muſis nuncium remiſiſſe , quod quidem tranquillæ mentis , & quieti animi argumentum eſſe conſuevit . Veruntamen , etſi carmen id venuſtum eſt , elegans , argutum , & quod potiſſimum in hendecaſyllabis commendari ſolet , candidum , & facile , iccirco tamen apud me , (a) ὑπὸ τῇ κλειδὶ erit ,

(a) *Sub clavi* ;

erit ; quòd dudum ſtatui opus , cujus fronti erat aſcribendum , in lucem non mittere ; non quod quippiam adhuc in eo cognoverim , quo me ſcripſiſſe aut pudeat , aut pœniteat , ſed quod quatuor jam de ea re (a) συντάγματα edita ſunt , nec fieri potuit , ut quæ a me animadverſa ſunt , ii , qui in eodem ſudarunt pulvere , ſaltem ſimul omnes non viderint , præſertim cum inter eos ſint aliqui doctrina , & ingenio excellentes . Quare cum intelligam id nunc mihi præreptum , quod ego cæteris omnibus præripueram , non committam ut ejus lucubrationis amore publice poſſim & furti ſimul , & impudentiæ poſtulari . Vale , & Raphaeli Placentino plurimam a me ſalutem dicito.

112 *FEDERICO FREGOSIO*

Poſtquam a Federico diſceſſit , voluit Gregorius ei litteras cito dare ; ſed longiore circuitu facto , diuturnaque mora in pluribus locis detentus nunc tandem dare poteſt : cum tranquillo otio , & libertate animi , quam ſperavit , & optavit , Lerinæ nunc quoque careat , ſubiit animum conſilium alio tranſmigrandi ; id tamen non perficiet modo , ſatis intelligens nullibi deeſſe curas , & tumultus . Federicum tandem de ſtudiorum ejus ratione interrogat .

SI poſtea quam a te diſceſſi , recto mihi itinere proficiſci licuiſſet ; diu antea a me litteras accepiſſes ; cum primum enim ad Lerinam veniſſem , nihil mihi prius ſtatuiſſem eſſe faciendum , quam ut tu fieres de appulſu meo certior : enim vero quoniam , non ſolum longiore circuitu facto quam putaram , huc veni , ſed diuturna etiam mora in compluribus locis detentus , accidit , ut nunc demum ad te litteras dare potuerim . Qua in re duplici ſum damno affectus , & quod ob diutinam peregrinationem nulla ſtudiorum meorum ratio conſtare poteſt , & quod tanto tempore tuis litteris caruerim , quæ ut vehementiſſime a me ſemper deſiderantur , ita mihi nunquam non gratiſſime accidere conſueverunt . Dabitur vero a nobis in poſterum diligentiſſime opera , ut creberrimis litteris , quicquid jacturæ ejuſmodi incommodo factum eſt , cumulatiſſime recuperetur . Etſi id quod magis optare , quam polliceri mihi ſolitus ſum dum apud te eſſem , nondum me aſſequi poſſe video , ut tranquillo ocio , & animi libertate aliquantiſper perfruar , ita omnia hic ſuſpenſa & trepidationis pleniſſima offendi . Accedunt præterea familiares curæ , & eædem moleſtiſſimæ , quæ adeo frequentes uno impetu in me ſimul impreſſionem fecerunt , ut pene ſtupeſcentem obruerint . Quare curis , & negotiis mirum in modum diſtractus , & ea propter affectus incredibili moleſtia , pe-

ne

(a) *Tractatus , volumina.*

Digitized by Google

ne jam ſarcinulas componere ſtatueram, ut alio tranſmigrarem; niſi huic conſilio Horatianum illud obſtitiſſet,

Quadrigis petimus bene vivere, quod petis eſt hic;
Eſt Ulubris, animus ſi te non deficit æquus.

Occurrebant præterea illa, ecquid putas uſquam non eſſe curas, & tumultus? Quid ſi longe moleſtiores, longeque graviores, quo te proficiſci contigerit, invenias? Nonne te tui pudebit, cum denuo huc tibi revertendum eſſe conſtitues? Noſtrum igitur illum in conſilium ut opinor adhibebo, qui optare optima, cogitare difficillima, ferre quæcumque erunt jubet. Nihil tamen omnino aut de profectione, aut de remanſione a me conſtituetur, niſi prius te de omnibus fecero diligentiſſime certiorem. Cæterum quoniam nihil ad te de ſtudiis meis ſcribere poſſum, quod aut tibi gratum, aut jucundum fore confidam; de tuis ſummopere audire deſidero, potiſſimumque num adhuc tædia illa Hebreæ linguæ, quæ Hieronymum tantopere deterruerunt, devoraveris, totumque te immerſeris in Prophetas, atque adeo in Moſen ipſum. Creſcant ne meditationes illæ tuæ in pſalmos, an fortaſſe novum aliquod opus inſtitueris. Quæ ſi ad nos non gravaberis ſcribere, ex duobus profecto alterum accidet, vel ut æmulatione laboris tui ad priſtina ſtudia revocer, vel exemplo ceſſationis tuæ me quoque relictorum ſtudiorum neque pudeat, neque pœniteat. Vale.

113 *FEDERICO FREGOSIO*

Cum anxium valde reddidiſſet Gregorium de Federici adverſa valetudine allatum nuntium, nunc ex aliis nuntiis tranquillus pro recuperata incolumitate lætatur. Incertus num Federicus Italiam petat, incertus & ipſemet quo tempore eo proficiſcatur, exoptat ita componi res, ut coram aliquando colloqui liceat.

Mirabar profecto quid cauſæ eſset, quod tandiu expectatiſſimis litteris tuis careremus. Cumque in temporum difficultatem culpam omnem rejiciendam eſse putarem, repente accepto acerbiſſimo nuncio de adverſa valetudine tua, ita animo conſternatus ſum, ut in nulla mihi licuerit actione conquieſcere. Enimvero Deo Opt. Max. immortales ago gratias, qui non eſt paſsus me diutius incredibili moleſtia excruciari. Accepto enim ejuſmodi nuncio, ſtatim conſectatæ ſunt litteræ, quæ te priſtinæ ſaluti reſtitutum cum incredibili omnium amicorum tuorum gaudio declararunt. Etſi eam vim morbi fuiſse ajebant, ut non modo priſtinum vigorem, ſed interdum etiam vires ipſas recuperaveris. Quare gratiſſimum nobis omnibus facies, ſi in recuperanda incolumitate adeo diligens fueris, ut ex tam gravi morbo culpa tua nulla ſequatur offenſio: relaxandus tibi eſt animus, intermittenda ſtudia. Difficillimo anni tempore

pore

Digitized by Google

pore ægrotaſti, parum etiam clementi, ut opinor, cælo ob vehementiam frigoris (*a*) καὶ διὰ τὴν ὑγρότητα. Cæterum ternis jam litteris certiorem te factum eſse non ambigo, cui conſilio ejuſmodi profectio eſt aſſignanda. A Pontifice enim ordinis noſtri evocatus, Mantuam proficiſci ſtatueram, ſed novis litteris retentus, tantiſper hic ero, donec Cœnobii noſtri negotia ea perfecero, quæ, ut noſti, dum Lugduni eſsem, animum noſtrum vehementiſſime excruciabant, & quæ nequaquam, dum in Narbonenſi provincia eſsem ob genti illi ingenitam rerum omnium ſuſpicionem, & prohibita commercia, commode confici potuere. Poſthac vero duplicem video rationem conſiliorum meorum; ſi enim te in Italiam adventare contigerit, dabo operam ut intellecta ratione itineris tui, aliquo in loco tibi obvius fiam. Si vero cogitationem illam abieceris, ego quoque uſque ad dies comitiorum noſtrorum hic commorabor, deinceps Mantuam profecturus, ut quantum opera, atque ingenio eniti potero, ocium mihi, & quietem comparem. Interim vero crebras a te litteras expecto, quibus & de incolumitate, & de profectióne, remanſioneve tua fiam in dies certior. Vale.

114 FEDERICO FREGOSIO

Difficillimis licet curis diſtractus Federicus gratas habuit Gregorii litteras, dedit & ipſe, & earum frequentiam ſollicitavit. Id jucundiſſimum æque ac utile cum experiatur Gregorius, præſtat, præſtabitque quod poſcitur.

INtelligo plane longe majores uberioreſque fructus ex adventu meo ad te, quam putaram a me expectari debere. Nam tametſi fore ſperabam, ut tantum ex eo voluptatis caperem, quantum ne animo quidem amplius potuiſſem complecti, nequaquam tamen ad ejuſmodi incredibilem jucunditatem, utilitatem etiam mirificam communium ſtudiorum acceſſuram eſſe ſuſpicabar. Non quod neſcirem nihil domeſtica conſuetudine tua mihi utilius contingere poſſe, ſed quod in tam afflictis perditiſque rebus ſubverebar, ut magis impedimento, quam voluptati congreſſus noſtri tibi futuri eſſent. Mirifice vero accidit, quod cum & timide, & ut mihi tum videbatur, non omnino modeſtiæ legibus obſervatis, te ad ſcribendum provocaſſem, non modo hoc ſtudium meum non es aſpernatus, ſed inter moleſtiſſimas difficillimaſque curas, quibus neceſſe eſt animum tuum in præſentia diſtrahi, & confeſtim reſcribere non es gravatus, & me ut idem ſæpius facerem, neſcio humanitate an amore vehementiori, majorem in modum es adhortatus, oſtendiſtique non minus nunc litteris, quam antea vultu hilari, & inenarrabili alacritate, quan-

(*a*) *Et propter humiditatem*. Latine, *ob humorem*.

quantopere tibi grata fuerit noſtra iſthæc ad te profectio. Quare niſi in tam conſtituta, tamque veteri amicitia noſtra gratiarum actionem ſupervacuam judicaſſem, litteras ad te daturus fui, quoad noſtrum fieri potuiſſet, & grati animi, & optimæ voluntatis teſtes locupletiſſimas, ut quoniam fieri nequit, ut tantis tuis beneficiis opere, & actione reſpondeam, litteris ſaltem apud te teſtatam relinquerem memoriam tuorum incredibilium in me meritorum. Quare gratiarum actione prætermiſſa, te ad ſcribendum invitabo: nihil enim puto rationibus noſtris æque conducere poſſe, atque formam hanc exercitationis. Cum enim forenſe illud dicendi genus, in quo veteres confictis veriſque cauſis ſe frequenter exercere ſolebant, omnino ſublatum ſit, nec impedita hæc tempora patiantur ut ad longiores lucubrationes mentem, animumque adjiciamus, unicum hoc reſtat genus ſcribendi; quo in genere, ſi ſtudium noſtrum non aſpernaberis, ut nequaquam hactenus aſpernari viſus es, incredibilem me tibi comitem futurum eſſe polliceor. Fungarque (ut Flaccus ait) vice cotis, acutum reddere quæ ferrum valet exors ipſa ſecandi. Vale.

115 *FEDERICO FREGOSIO*

(a) Totis viribus amico commendat quemdam Joannem Gallum, qui ejus conſuetudinem exoptat. Is muſicam egregie profitetur; hinc data occaſione muſicæ utilitatem, & præſtantiam perſequitur.

ETSI nudius tertius ad te litteras dederam in quibus & cauſam profectionis noſtræ, & quo conſilio huc me potiſſimum contuliſſem copioſe declaravi, iterum tamen amico maximis precibus obſecranti, ut ſe tibi arctius commendarem, negare non potui. Perfeciſti enim declaratione amoris tui erga me, ut omnes qui opera, authoritate, & gratia tua indigent, ita denique putent ſatis ſe tibi fore commendatos, ſi ad te qualeſcunque epiſtolas a nobis acceperint. Ego vero, etſi facile patior ejuſmodi opinionem de hac mutua noſtra amicitia in animis omnium inſidere, atque ea ratione quantopere me abs te amari putem diſſimulare nequeo; cogor tamen interdum vereri ne tibi & in litterarum ſtudiis, & in maximis præterea negotiis occupatiſſimo, moleſtæ ſint ejus generis ad te litteræ. Atque ea ratione ſæpe jam contigit, ut verecundiæ meæ magis quam facilitatis tuæ rationem mihi habendam eſſe putaverim. Enimvero cum is qui a me nuper petiit, ut tibi ejuſmodi officio moleſtus eſſem,

(a) Moleſtiæ; de quibus locuti ſumus, ægræ valetudinis incommoda, juſſiones ſui Præſidis ſuaſerunt Gregorio diſceſſum a Leuua, Anno 1527. ad Comitia generalia, quæ Mantuæ habebantur, venit; antequam tamen ad eam urbem veniret, Genuæ aliquantiſper conſtitit, ex qua urbe videntur datæ duæ ſubſequentes Epiſtolæ.

ſem, dudum inter familiares tuos annumeretur, magnopere vereor ut magis ſuperflua hæc commendatio noſtra quam inepta eſſe videretur. Joannes Gallus, qui tantos in muſicis progreſſus habet, ut vulgo ob id præceptor appelletur, etſi, quoad ejus artis dignitas patitur, honeſtum in hac civitate locum obtinet, magnopere tamen cupit, quibuſvis aliis ſpretis conditionibus, ad tui conſuetudinem advolare. Hic vero mihi nequaquam faciendum eſſe puto, ut de vita moribuſque hominis quippiam ad te ſcribam, quos diutina familiaritate tibi credo eſſe cognitiſſimos. Tantum dicam, ſi celeberrimi philoſophi audiendi ſunt, nihil tuis ſtudiis æque oblectamento eſſe poſſe, atque interdum, muſicis recreari. Hac ut noſti ſomnum & depellebant, & accreſcebant Pythagorei, hæc epularum, itineris comes erat: hac ipſa & occultarum cauſarum perveſtigationem & ſacra omnia auſpicabantur, hac eadem affectis tædio animis hilaritatem priſtinam, atque adeo mentis tranquillitatem revocabant; poſtremo, ut M. Tullius ait, ſummam eruditionem ſitam Græci cenſebant in nervorum, vocumque cantibus, ut qui id neſciret nequaquam ſatis excultus doctrina putaretur. Cum igitur tanto uſui muſice eſſe poſſit, profecto hunc qui illam egregie profitetur quotidianis tuis congreſſibus adhibendum eſſe cenſeo. Quare gratiſſimum mihi feceris, ſi huic ipſi, quem tibi tantopere commendatum eſſe cupio, aliqua ratione declaraveris commendationem hanc noſtram neque vulgarem, neque parvi apud te ponderis fuiſſe. Vale.

116 *FEDERICO FREGOSIO*

Monelium quemdam Genua Lugdunum euntem commendat Federico, a quo cupit certior fieri, num libros receperit, quos poſtulaverat, itemque num receperit litteras, quibus Gregorius de Joanne Gallo loquebatur. Hunc denuo commendat, & demum optat accomodari ita Federici iter in Italiam, ſuamque profectionem ad urbem Mantuam, ut ſimul congredi contingat.

CUM Michael Monelius Genua Lugdunum eſſet profecturus, utrique noſtrum non amicitia tantum, ſed maxima etiam conjunctus familiaritate, etſi paucis antea diebus ad te litteras dederam, nequaquam tamen paſſus ſum abſque litteris noſtris illum ad te proficiſci; longe tibi gratius fore exiſtimans, ſi inanem a me epiſtolam quam ſi nullam tibi reddidiſſet; quæ tamen omnino inanis non erit. Cupio enim abs te fieri certior, an iſtuc ad te allati fuerint libri illi, quos ante diſceſſum meum ex Narbonenſi provincia a me maximo cum deſiderio poſtularas. Cum enim nulla mihi ſe antea obtuliſſet opportunitas eos tranſportandi, mercatoribus, qui ad trimeſtres nundinas proficiſci conſuevere, jam tum in itinere conſtitutis, diſcedens negotium demandavi Joanni Baptiſtæ, quem ſcie-

ſciebam mirifica diligentia in rebus tuis uti conſueſſe, curaturumque, ut cum primum fieri poſſet ad te deferrentur: veruntamen, cum deinceps de ea re nihil acceperim, cupio a te fieri de omnibus diligentiſſime certior. Scire etiam cupio, num ad manus tuas pervenerint litteræ, quibus Joannem Gallum muſicum tibi commendabam: dici enim non poteſt, quanto cum deſiderio tuam de ſe voluntatem expectet, qua quidem in re nihil abs te peto niſi id maximo tuo commodo fieri poſſit: noſti enim pudentis hominis eſſe commendationis officium vel eis, qui mediocri amicitia ſibi conjuncti fuerint, non denegare; modeſti vero id tantum ſibi polliceri ob ejuſmodi commendationem, quod amicorum commodo fieri poſſit. Quod iccirco ad te ſcribo, ut non ignores quatenus ego ejus cauſa laborem. Cæterum litteris tuis, quas unas poſt diſceſſum meum iſthinc a te accepi, ſcias velim nos omnes in maximam tui expectationem a te concitatos eſſe: ſcribis enim primo vere te in Italiam adventurum. Idemque poſtea mihi retulit Andreas Auria homo ita tibi conjunctus, ut mihi, cum illo cum loquerer, tecum loqui viderer. Quare te vehementer etiam atque etiam rogo, ut quicquid de ea re conſtitueris, id continuo ad me ſcribas: ego ſiquidem cum omnino Mantuam profecturus ſim, ita ad rationes itineris tui meum hinc diſceſſum atque iter accommodabo, ut omnino aliquo in loco tecum congredi poſſim. Vale. Et ſi novi quippiam iſtic apud bibliopolas ternis iſtis nundinis, quibus ego abſui, caſu inventum eſſet, quod noſtris ſtudiis utile fore exiſtimares, id ut ad nos cum primum deferri cures te vehementer rogo. Iterum vale.

117 *EUSEBIO MUTINENSI MONACHO* (a)

Iterari cupit Epiſtolarum frequentiam ob iniquitatem temporum, & incertitudinem prætermiſſam, quod & commodius fiet, cum Mantuæ erit, quo accerſitur; nonnullas poſtmodum indicit ſalutationes.

ETSI jure de me conqueri poſſe videris, quod cum tu plures antea ad me dederis epiſtolas, viciſſim nullam hactenus a nobis acceperis, ſi tamen præteritorum temporum calamitates animo volueris expendere, quantiſque hoc toto biennio moleſtiis preſſus fuerim, nequaquam, ut opinor, mirum tibi videbitur, ejuſmodi officium a me intermiſſum eſſe; &

(a) Euſebius Mutinenſis ex nobili familia de Valentinis, profeſſus S. Benedicti inſtitutum Parmæ anno 1515. Vir ſpectatæ probitatis, & doctrinæ, ſuique temporis poeta haud poſtremus, plura ſcripſit vario metro, omnia ſimul impreſſa Romæ anno 1589. Ejus legitur pulcherrima, candidiſſima ac elegantiſſima Epiſtola ad Iſidorum Clarium data Ferrariæ, ubi nunc erat, inter Epiſtolas ejuſdem Clarii, cujus variæ leguntur Epiſtolæ ad Euſebium, in quibus ejus eruditio, ac in optimis ſcientiis, ac litteris profectus ab Iſidoro commendatur.

Digitized by Google

& qua es prudentia, facile conjectura aſſequi poteris, ne minimam quidem ocii partem ab operoſis illis negotiis aliquando nobis ſuperfuiſſe. Nec enim tu ſolus es a me præteritus, ſed ea ratione ejuſmodi curam abjeceram., ut poſtea intellexerim, patres etiam ipſos diutius ſuſpenſo animo de me fuiſſe. Fateor certe, inter multiplices illas moleſtias, tumultuſque bellicos, ſi quam nunciorum occaſionem nanciſci potui, nullam a me fuiſſe prætermiſſam, ſed nec certo homini aliquando dare licuit, & illas ipſas quas incertiſſimis dabam conſentaneum eſt fideliter redditas non fuiſſe. Quod ſi ſpes aliqua ſe nobis obtuliſſet, fore ut litteræ redderentur, tu profecto a nobis & in primis, & creberrimas acceпiſſes. Veruntamen cum firmior, ſtabiliorque ſit mutuus amor noſter, quam ut vel longinquitate temporis, & locorum, vel diuturno ſilentio poſſit labefactari, omiſſa præteriti temporis recordatione, danda in poſterum diligentiſſime eſt opera, ut ejuſmodi jactura frequentia litterarum recuperetur. Ego quidem diutius inter fluctus hoſce bellicos, tanta tempeſtate actus ſum, ut tandem Lugdunum uſque compulſus fuerim, ubi menſes aliquot commoratus, confectiſque ex ſententia negotiis Cœnobii noſtri, Lerinam deinceps, & poſtremo Genuam me contuli, ubi futurum me ſuſpicor uſque ad comitiorum dies, ſi tamen voluntatem meam mihi ſequi licuerit: nam & crebris, & eiſdem, ut ita dicam, imperioſis litteris quotidie Mantuam a Præſidente noſtro arceſſor, quo ſi forte proficiſcar, ex propinquiore, commodioreque loco frequentiores, a me litteras es accepturus, ſi tamen tu quoque ad nos reſcribere non gravaberis. Cupio te nomine meo Cælium Calcagninum convenire, doctiſſimum ſane virum, & ut facile ex ipſo intelliges, mei amantiſſimum: vetus certe cum ipſo, atque adeo a pueritia ipſa, nobis amicitia intercedit, quem ſic nomine meo ſalvere jubebis, ut eum tibi etiam quam arctiſſime concilies. Etenim ea eſt humanitate, ut nemo ad bonorum amicitiam ſit propenſior, ea autem eruditione, ut neminem inſtitutæ cum eo neceſſitudinis poſſit pœnitere. Ludovicum præterea Areoſtum ſi conveneris, dixeriſque ei a me ſalutem plurimam, utrique noſtrum, ut opinor, gratiſſimum facies. Vale.

118 RASCASIO JURISCONSULTO

Quamquam recens amicitiam cum Raſcaſio junxerit, fidenter eum rogat Gregorius, ut curet ſuas ad Salernitanum litteras magna fide transmitti Lugdunum, cum perſuaſum habeat ob negotiorum magnitudinem ei non deeſſe certiſſimos nuntios, qui illuc proficiſcantur.

Vide quam ſecuri animi ſim de tenera adhuc amicitia noſtra; & humaniſſimis tuis pollicitationibus? Qui etiam inter tot difficillimas occupationes, quibus neceſſe eſt animum tuum diſtrahi, non verear tibi mole-

moleſtus eſſe ? Tu verò ex ea re potiſſimum animi noſtri conjecturam facere potes, nam qui mediocriter amant, viciſſim quoque magnum quippiam de alterius in ſe amore ſibi polliceri non conſueverunt. Ego autem cum tui gratia ad quæque maxima paratiſſimo animo ſim, rurſus idem de te ipſo mihi polliceor. Etſi non ea eſt facultas noſtra, ut beneficiis tuis ſperem me longiſſimo intervallo aliquando reſponſurum eſſe, ſed ut eſt apud Tribonianum tuum ex Homero pro auro calybem in amore certe nunquam conceſſurus ſum. Quando te optime intelligere ſcio non facultatis, ſed voluntatis rationem in amicitia haberi oportere. Litteras igitur ad Pontificem Salernitanum uni ex noſtris tibi reddendas tradidi, ut opera, authoritateque tua magna cum fide Lugdunum perferantur. Perſuaſum nanque mihi eſt ob negotiorum magnitudinem, te quotidie certiſſimos nuncios, qui illuc proficiſcantur, habere. Id ſi feceris maximum nobis a te beneficium præſtitum eſſe judicabo. Vale, & nos, familiamque hanc dilige.

119. *VITALI MONACHO*

(a) De Mutinæ calamitatibus dolentem Gregorium dolorem abjicere coegit elegans, graviſque Vitalis Epiſtola, cui ſe plurimum debere fatetur. Quod vero Gregorii litteris debere contendebat Vitalis, ut eæ ſcilicet promptiorem reddiderint aliquando in dicenda ſententia, & ingenioſiorem, id a ſe depellit Gregorius, contentus cæteroquin, imo cupiens creberrimas mutuo dari litteras.

COmmodum Mutina littĕras acceperam; tetra, atque horribilia nunciantes, inter mænia ſcilicet rerum omnium inopia, tributorum exactionibus, militum licentia mirum in modum laborari: extra vero ob incurſiones barbarorum cædibus, incendiis, rapinis, & agrorum depopulationibus omnia fœde miſceri, quibus ita affectus ſum, ut dolorem diutius nequirem diſſimulare; non enim tantum angebar ſenſu præſentium calamitatum, quantum timore atque expectatione impendentium cruciabar. Cum ecce ſubito a te epiſtola elegans ſane, & gravis, & qua viciſſim adeo ſum recreatus, ut (quod vix credibile fit) omnem pene ex animo meo dolorem abiecerim. Gaudeo equidem mirabiliter te animum induxiſſe, ut crebras in poſterum ad me ejus generis litteras dares, quæ tantum abeſt, ut mihi moleſtæ futuræ ſint, quod ſubvereri videbaris, ut nihil aptius eſſe poſſit ad leniendas animi mei ægritudines, Cum

(a) Alphonſus I. Aceſtinus Ferrariæ Dux anno 1527. ſub Clemente VII. Mutinam recuperavit, quam dimittere debuerat ſub Julio II. Ejus forſitan copiæ ea licentia proceſſerunt; quæ fere nunquam a militum caſtris abeſt, atque id innuit fortaſſe Gregorius.

Cum enim ſint ſuaviſſimi amoris ; atque benevolentiæ tuæ erga me pleniſſimæ, ob mirificum præterea candorem adeo ſunt venuſtæ, & elegantes, ut in illis mihi videatur humanitas cum eloquentia pugnare, & cum utraque judicium. At enim quod vir ille omnium mortalium, ut rectiſſime ſcribis, lepidiſſimus, & amantiſſimus utriuſque noſtrum, adeo opportune tibi litteras noſtras reddidit, cum ad Senatum iſtum de graviſſimis negotiis eſſes relaturus, ut te cum in diſceptando, tum etiam in dicenda ſententia promptiorem, ingenioſioremque fecerit ; agnoſco equidem animi tui moderationem, qui id litteris noſtris volueris acceptum referre, quod tu & rerum uſu, & ingenii dexteritate jampridem es aſſecutus. Nec tamen id oneris ſumam, ut te decipi de me coner oſtendere, cum litteris noſtris tantum tribuis, quantum nec a me cognoſci, nec a cæteris intelligi poſſe non dubito. Erit profecto tuus hic error ejuſmodi, ut mihi & utilitatis, & voluptatis plurimum poſſit afferre, quando hac ratione creberrimas a te litteras ſum expreſſurus. Vale.

120 *FRANCISCO BELLINCINO JURISC.* (a)

(b) *Priſtinæ cum Franciſco conſuetudinis deſiderium non adeo moleſtum ſe nunc experiri ait Gregorius ob ſpem ad eam quamprimum redeundi. Cæterum, cum Mutina diſceſſerit, quod inſolentium hominum vim, & audaciam ferre non poſſet, prudentis viri eſſe paucorum dierum expectationem ferre, quoad omnia ſint pacatiora.*

EGO vero, mi Franciſce, nondum ſatis conſtituere potui, jucundiorne mihi ſit, an acerbior, recordatio priſtinæ conſuetudinis noſtræ. Cum enim præclaram indolem tuam, ſuaviſſimos mores, multiplicem atque adeo in omni genere litterarum mirificam eruditionem conſidero, fieri profecto non poteſt ut acerbiſſimum non ſit, perſpectis jam mihi atque etiam pauliſper deguſtatis bonis, plurimis jam diebus caruiſſe. Contra vero incredibili me affici voluptate neceſſe eſt recordatione amoris tui erga me, jucundiſſimique congreſſus. Plus tamen omnino jucunditatis, quam acerbitatis ejuſmodi recordationem habere, ea potiſſimum de cauſa nunc demum ſtatuo, quod vivit adhuc vigetque certiſſima ſpes fore, ut brevi ad oblectationem maximam, uberrimoſque fructus conſuetudi-

(a) Franciſcus Bellincinus ex nobili familia Mutinenſi aliquo propinquitatis vinculo conjunctus erat cum Gregorio, nam Thaddæa Gregorii Soror uxor fuit Joannis Baptiſtæ Bellincini, cujus Fratri filius fuit Franciſcus. Hic, adnitente Gregorio, obtinuit, & per aliquod tempus cum magna laude exercuit munus Auditoris Rotæ in Urbe Genuenſi, quod poſtea, cum mortuus eſt ejus pater, dimiſit.

(b) In Mantuanis Comitiis traditâ fuit Gregorio adminiſtratio Cœnobii Sancti Petri Mutinenſis.

tudinis tuæ revertar, qua quidem ſi deſtituerer, vehementiam tanti deſiderii ferre non poſſem. Cæterum, etſi me non diutius iſtinc abfuturum certiſſime ſcio, ut tamen nihil de die certum polliceri audeam, faciunt iniquiſſimi hujuſce temporis motus, & perturbationes, ob quas non ego ſolum de remanſione, profectioneve ſuſpenſo animo ſum, ſed maximi etiam, & potentiſſimi Reges cogunt de ſtatus ſui ratione dubitare. Nuper quidem certe cum maximæ, & inſtructiſſimæ copiæ Venetorum ad Padi ripas conſederint, quæ, ut certiſſimis conjecturis aſſequimur, Hiſpanos, Germanoſque conſecuturæ, extructo jam navibus ponte, de trajectione cogitant, tutiſſimum viſum eſt eatenus me itineri partim ſuſpecto, partim etiam certiſſime infeſto non committere, quoad a militari tumultu fuerint omnia tranquilliora, atque ſedatiora. Eo enim potiſſimum, ut noſti, conſilio Mutina diſceſſi, uti ne inſolentium hominum, & (quomodo nunc eſt) in vi, & audacia omnia poſita eſſe exiſtimantium, injuriam, & contumelias cogerer perpeti, quod experimento didiceram, paulo me eſſe delicatioris in eo genere ſtomachi, quam ut ea devorare abſque nauſea poſſem. Eſſet vero inſipientis, & inconſiderati, cum plurium menſium jacturam æquo animo toleraverim, nunc demum rebus propemodum conſtitutis, paucorum dierum expectationem ferre non poſſe. Vale.

121 *SEVERO MONACHO CISTERCIENSI*

M. Tullii Orationes Severi opera & ingenio ad vetuſtiſſima exemplaria emendatas, quas jam antea promiſerat, enixe poſtulat ſimul pollicitus, quod & officiis ſuis, & cura Mantuani Pontificis Herculis Conſiagi in id maxime ſollicitì Venetiis prodibunt. In opere venuſtatem, & elegantiam deſideratarum neminem ſibi pollicetur.

CUM me dudum per litteras in ſpem maximam adduxiſſes fore, ut M. Tullii orationes opera, & ingenio tuo ad vetuſtiſſima exemplaria emendatæ, brevi ad me deferrentur, ita muneris tui pollicitatione ſum incenſus, ut nihil a me potuerit majore cum deſiderio expectari. Cum quod id opus fœde omnino laceratum priſtinæ a te reſtitutum integritati intellexeram, tum præcipue quod mihi perſpectiſſimum eſſet, nihil a te proficiſci poſſe, quod non idem eſſet in ſuo genere abſolutiſſimum. Quare diligentiſſime operam dedi, ut illi, ad quos rerum Aldi procuratio ejus morte devenit, opus ipſum ſimulatque Venetias delatum foret, ſumma fide, & diligentia excuſuros ſe eſſe reciperent. Id enim ex litteris tuis te vehementer deſiderare intellexeram, deque ea re feci te continuo per epiſtolam certiorem. Tanta vero & temporum iniquitas, & rerum omnium perturbatio eſt conſecuta, ut nec noſtras tibi redditas fuiſſe ſuſpicer, & te fortaſſe quod deſperaveris inter has temporum cala-

calamitates id poſſe confici, omnem ejus rei euram penitus abieciſse: Nunc vero cum Hercules Gonſiagus Mantuæ Pontifex, qui optimorum ſtudiorum jure ſuo quodam patrocinium ſibi ſumpſit, idem ex me cognoviſset, mecum egit diligentiſſime, ut ad te denuo de ea re accurate ſcriberem, ne & nos diutius tanta utilitate careremus, quantam ex eo opere percipi poſse certiſſime intellexit, & tu fruſtra laborem, & induſtriam inſumpſiſse videreris: futurum enim, ut ejus favore, & gratia noſtræ ad te litteræ devenirent: & ſi orationum volumen ad nos dare voluiſses, curaturum ſe, ut ſumma fide, & diligentia redderetur. Quare maximis precibus te oro, atque obteſtor, ne nos diutius ejus rei deſiderio, & expectatione torqueas, quam & tu prior debere voluiſti, & nos tanta cum animi voluptate excipiemus, ut nunquam pro eo munere pares tibi a nobis gratias relatum iri poſse putemus. Tibique recipio, non ſolum me, ſed ipſum etiam Herculem, qui, ut merito eſse debet, Venetiis apud omnes ordines gratioſiſſimus eſt, diligentiſſime curaturum, ut primo quoque tempore labores iſti tui in publicos doctorum uſus prodeant, cum maxima veriſſimaque ingenii, & induſtriæ tuæ teſtificatione. Vale.

122 *VITALI MONACHO*

(a) Poſt varias calamitates orbatus etiam matre dulciſſima, cum ſe commotum vehementer non neget Gregorius, opportunas accepit dolori minuendo Vitalis litteras amoris plenas. Et de Vitalis, & de alumnorum ejus amore gaudet, qui parentalium obſecrationum religione pro genitrice deprecati ſunt, eoſque optat non cito deſiſtere.

ETSI non tantum mihi tribuo, ut acerbiſſimum hunc fortunæ ictum ea qua decuit conſtantia, atque animi firmitate, me omnino toleraſſe mihi perſuadeam: illud certe dicere non verebor inter has iniquorum temporum moleſtias, & irruentes undique procellas calamitatum nobis aliqua ex parte concedendum eſſe, ſi graviſſimo hoc caſu me aliquantiſper commotum fuiſſe non diffitebor. Etenim quis tam communi omnium ſenſu privatus, & pene dixerim ferreus exiſtat, qui primum hac rerum omnium vaſtitate, deinde creberrimis altera ſuper alteram irruentibus cladibus, vexatus, atque afflictus, nunc demum etiam domeſticis ſpoliatus ſolatiis, non paululum dolori concedere cogatur? Ego vero quam recte faciam, ſi me commotum fuiſſe non negem, tuo relinquam judicio: litterarum certe tuarum authoritas conjuncta pari erga me benevolentia, ita omnem animi mei ægritudinem abſterſit, & pene delevit, ut

(a) Romæ deceſſit Sigiſmunda Gregorii mater initio anni 1528. cum adhuc Gregorius S. Petri Mutinenſis Abbas eſſet.

ut illis lectis penitus acquieverim. Declarabant enim perſpectum mihi quidem antea innumeris officiis mirificum amorem tuum, nunquam tamen nobis æque gratum atque jucundum. Cæterum quod alumni tui omnes tanta pietate ejus funeri, quam ne de facie quidem cognorant, juſta perſolverunt, totum illud tibi acceptum refero, in cujus gratiam id factum eſſe neminem puto fore qui ambigat. Video enim te apud ipſos ita teſtata eſſe voluiſſe argumenta tuæ erga me pietatis, ut quæcunque mihi ab ſe tributa fuiſſent, perinde tibi grata fore ſuſpicarentur, ac ſi tibi ipſi, parentique tuæ eſſent perſoluta. Nec ea tamen de cauſa minores illis habeo gratias, cum nequaquam fieri poſſe opinor, ut eum, quem a te tantopere amari cum verbis tuis, tum etiam reipſa didicerunt, non & ipſi quoque mirifico amore proſequantur. Quare nihil alienum ab ea, quæ inter nos pietate intercedit, facturum me eſſe ſuſpicor, ſi eos maximopere obteſtatus fuero, ut ab hac parentalium obſecrationum religione eatenus non deſiſtant quoad mihi, genitricique meæ putaverint eſſe ſatisfactum, quod quidem tum demum accidet, cum illi ea fide ſe intelligent obſecrare, quæ juxta divina pollicita a Deo Opt. Max. nihil obtinere non poteſt. Vale.

123 *VITALI MONACHO*

Grates agit Vitali, quod iteratis litteris ea omnia præſtiterit, & excogitarit, quæ levando luctui erant opportuniſſima. Cæterum cum Vitalis ipſe ſcripſiſſet decreviſſe ſe ſtudere ſilentio maxima pertinacia, nequaquam id approbat Gregorius, utpote alienum a mente ſapientiſſimi legiferi Benedicti, qui non Pythagoreorum ineptias ſecutus eſt, ſed leges compoſuit ſuas cum ratione, cum pietatis officiis.

MUlta fuerunt in poſterioribus litteris tuis, quæ me incredibili voluptate affecerunt, & primum quidem quod amorem, atque benevolentiam tuam erga me facile recognovi: etſi enim mihi a primo ætatis tuæ tempore nihil magis perſuaſum fuit, quam me abs te vehementer amari, præferebant tamen illæ ipſæ litteræ incredibilem quandam vim mirifici amoris, ſive quod propoſita materia; qua me mœrentem, atque afflictum conſolabare, id ipſum poſtulare videretur, ſive quod pene æque dolendo ea occurrerent, quæ ad leniendum dolorem meum erant aptiſſima. Grata præterea nobis fuit maxima illa diligentia, quod non contentus litteris, quas ad me prius dederas elegantiſſimis ſane ſimul atque amiciſſimis, præclarum illud officium novo hoc beneficio cumulaſti. Poſtremo feſtiva illa excogitatio, qua a nobis litteras exprimere conatus es, ejuſmodi fuit, ut non ſolum omnem a me dolorem potuerit auferre, ſed invitum etiam, & reluctantem compellere ad ſcribendum. Enim vero cum his potiſſimum de cauſis humanitatem tuam magnopere

ab

Digitized by Google

ab omnibus commendari debere videam, illud certe nequaquam commendatione dignum exiſtimo, quod tanta pertinacia ſilentio ſtudere decreviſti, ut nihil apud te officium, nihil pietas valitura fuerint, niſi ego conſolatione tibi ſummopere egere viſus fuiſſem. Quanquam enim legifer ille noſter, cujus authoritas apud te tanta eſt, quanta profecto eſſe debet, ſilentium non ſolum maximopere commendat, ſed decretis ſuis etiam ſanctum, atque inviolabile facit, cum tamen ejus mores, vitamque intueor, quibus nihil abſolutius, aut perfectius nec cogitari quidem poſſe videtur, facile cognoſco, nunquam illum intemperato ſilentii amore ea ratione ab officio fuiſſe deductum, ut Pythagoreorum ineptias ſequi vellet, qui, ut de Apollonio Philoſtratus teſtatum reliquit, magis ſilendo præceptoris ſui placita obſervare voluerunt, quam concitatæ ad ſeditionem civitatis iram, atque tumultum paucis verbis interrupto ſilentio temperare. Noſter autem hic perpetuam cum ſorore noctem inter divinarum rerum mutua colloquia duxit inſomnem. Et id quidem, cum nocturnas potiſſimum horas inviolabili ſilentio obſervari ſanxiſſet. Quare nihil eſt quod poſthac tantopere taciturnitati ſtudere velis; ut dum alterum declinas vitium, imprudens in alterum, & illud quidem longe majus, atque deteſtabilius incurras. Porro, quod tantopere conquereris a me tuis litteris non eſſe reſponſum, ſcio id non noſtra, ſed tabellariorum culpa contigiſſe, qui fortaſſe ob infeſta undique itinera iſthuc ad vos pervenire non potuerunt, vel certe, ut eſt id genus hominum alienum ab omni urbanitate, taciti præterierunt. Mitto igitur ad te exemplum ejus epiſtolæ, qua prioribus tuis litteris reſcripſi: non enim conſilium fuit alienis litteris noſtrum nomen apponere, ne cum facultatem noſtram dicendi longo intervallo ſuperent, ſi quid in poſterum ad te ſcripſero, noſtras illas infantiæ ſimul atque temeritatis accuſent. Vale.

124 *DIONYSIO MONACHO*

Mœrentem ob matris obitum Gregorium ſolatus eſt Dionyſius litteris humaniter, & amanter ſcriptis, quibus cum ſegnius Gregorius ipſe reſcripſerit, ſeſe excuſat, ſimul & ejuſdem matris meritis teſtimonium reddit.

ETSI non dubito omnem apud te excuſationem noſtram ſupervacuam fore, idque pietati, quæ mutua inter nos intercedit, mirum in modum eſt conſentaneum, non committam tamen, ut vel tacita cogitatione peccati alicujus in tam conſtituta benevolentia noſtra me accuſare poſſis. Cum enim moleſtiſſimis occupationibus noſtris factum ſit, ut ſerius ſuaviſſimis illis tuis litteris reſcripſerim, quibus me de matris meæ obitu mœrentem conſolabare, omnino ſubverebar ne me vel parum tui memorem, vel officii oblitum ſuſpicareris. In ejuſmodi autem tempora inci-

incidimus, tantiſque rerum turbationibus impedita, & in his potiſſimum locis in quibus ego degebam, ut ne dicam apud te virum ſumma prudentia, ſed nec apud propemodum rerum humanarum expertes, excuſatione me egere ſuſpicer, ſi in ſcribendis epiſtolis paulo fuerim negligentior, magis fortaſſe mirum videri debeat, me nunc demum etiam ad ejus generis litteras animum adjeciſſe. Cæterum tibi perſuadeas velim, hoc in eo tempore nihil mihi tuis litteris neque gratius, neque jucundius accidere potuiſſe. Cum enim plerique ſoleant magis ex conſuetudine, quam ex animo ejuſmodi officiis ſatisfacere, ob id potiſſimum incredibilem accepi conſolationem, quod te velut in proprio luctu perinde affectum mœrentemque intellexi, quaſi nunc demum tu etiam maternis eſſes ſolatiis deſtitutus. Rurſus ejuſmodi rationibus uſus es, ut me afflictum, jacentemque excitares, ut pene nefas putarim conſiliis tuis verioribus neſcio, an gravioribus non obtemperare. Fuit certe acerbiſſima nobis ejus matris amiſſio, quæ altero jam, & quadraginta annis vidua perſeverans, cum me quadrimulo minorem, orbatum patre educandum ſuſcepiſſet, filios præterea complures tanta cum charitate, & diſciplina enutrivit, ut nullum nobis locum reliquerit patris deſiderio. Quare ſi vera ſunt, quæ Paulus ſcribit, ut vera ſunt profecto, honore eas affici debere, quæ vere viduæ ſunt, rectiſſime omnino a te ſcriptum ſuſpicor, illam jam pro vitæ integritate, & caſtimonia, proque ſanctiſſimis moribus beata perfrui immortalitate. Habeo vero tibi immortales gratias, quod tanta pietate illi juſta perſolveris, quæ cum me filium haberet, eam tu quoque matris loco a te mirifico honore proſequendam eſſe duxiſti. Etenim ea ratione græcum illud ſemper in amicitia noſtra a te cuſtoditum eſt (*a*) τὰ φίλων κοινὰ καὶ φιλίαν ἰσότητα, ut merito me te eſſe alterum exiſtimare debeam. Vale.

125 *JOANNES MORONUS*
GREGORIO S. (*b*)

Compertam cum habeat Moronus eximiam Gregorii in Græcis Latiniſque litteris ſcientiam, vehementi captus ejus amicitiæ deſiderio, eam exquirit.

GUalterius Corbetta, vir cum utriuſque noſtrum amiciſſimus, tum multiplici litterarum eruditione (ut noſti) optime prædītus, mecum

(*a*) *Amicorum bona communia, & amicitiam æqualitatem* (parere).

(*b*) Joannes Moronus, patria Mediolanenſis, percelebris Hieronymi filius a Clemente VII. creatus fuit Epiſcopus Mutinenſis. Ejus officiis, induſtria, ſagacitate factum

cum tam honorifice de te locutus eſt, ut diceret, ſe multos quidem litterarum & græcarum, & latinarum ſtudioſos vidiſſe, in utroque autem genere conſummatum æque, ac tu es, inveniſſe neminem. Ex quo me tam ingens cæpit deſiderium amicitiæ tuæ, ut amplius differre nequiverim, quin, quacunque ratione poſſem, gratiam inirem tuam, atque id, quo negligentia mea multos dies carui, nunc novo quodam, & fortaſſe temerario litterarum genere mihi acquirerem. Quare te etiam, atque etiam rogo pro ea, quam in te eſſe humanitatem ab omnibus audivi, ut his ſcriptis patiare ſundamenta amicitiæ noſtræ ita jacta eſſe, ut ſuper his (ſi tibi libuerit) exædificare poſſimus. Vale.

126 JOANNI MORONO

Pergratam ſibi maxime, jucundamque accidiſſe opportunitatem maximum virum ſibi conciliandi, in cujus excolenda amicitia, licet aliorum de ſe pollicitationibus, & Moroni expectationi reſpondere non poſſit, amori tamen nunquam deerit.

ETSI ampliſſimam teſtificationem humanitatis tibi reddebant cives mei, quos omnes ſuavitate morum, & facilitate congreſſus adeo tibi devinxiſti, ut ipſa etiam memoria conſuetudinis tuæ nihil illis jucundius poſſit accidere, longe tamen ampliorem nobis reddiderunt perelegantes litteræ, quæ pleniſſimæ & humanitatis, & officii declarabant ſingulare ingenium tuum, conjunctum pari erga me benevolentia. Habeo igitur Vvalterio noſtro immortales gratias, qui licet immodica noſtri commendatione, magis amoris erga me, quam erga te fidei rationem habuiſſe videatur, eo tamen pacto maxima te noſtri prædicatione deceptum gaudeo, quod mihi incredibilem voluptatem amicitiæ tuæ concilia

ctum eſt, ut Principes aſſentirentur Concilii Generalis convocationi, ad quod opus eum Spiram legaverat Paulus III. anno 1542. qui ob rem egregie geſtam Moronum Cardinalium Collegio adſcripſit, Bononienſem Legatum conſtituit, & Tridentini Concilii Præſidem declaravit. In eum tamen, quamquam Sedi Apoſtolicæ ſemper addictiſſimum, viri invidi exarſerunt, atque effecerunt, ut Paulus IV. juſſerit eum comprehendi, mirantibus univerſis hominem, qui ſummo zelo pro fide Orthodoxa decertaverat, traduci tamquam Hæreticorum ſententiis, & conſiliis addictum. Pontifex poſtea ab errore liberatus permiſerat Moronum e cuſtodia educi, at ipſe conſtanter renuit; reſponditque velle ſe innocentiæ ſuæ teſtimonium reddi, cum bonum nomen longe præ libertate optaret. Pius IV. de criminatione eum purgavit, & Tridentini Concilii Legatum denuo nominavit. Pio IV. e vivis erepto, S. Carolus ſuffragium ſuum contulit in Moronum, quem Romana Cathedra dignum credidit, cui etiam alias faverunt 28. ſuffragia. Gregorius XIII. eum maximi fecit, & primo Genuam, deinde in Germaniam miſit. In arduis quibuſque negotiis viri optimi, & vere religioſi partes explevit, ſedulam ſemper ſuæ Diœceſis Mutinenſis curam geſſit. In Italiam reverſus Romæ obiit Kal. Dec. anni 1580., ætatis anno 72.

Digitized by Google

liatione ejuſmodi deceptio procreavit. Ejus vero curæ relinquam, ad ea quæ me præſtiturum recepiſſe tibi videtur poſſit repræſentare, te certe tenebo: quando nullo meo dolo malo huc es deductus, ut ſponte etiam mihi amicitiam tuam obtuleris, cujus ita facile patior fundamenta a te poſita eſſe, ut eo tantum nomine conqueri poſſe videar, quod præoccupatis partibus, quæ honeſtiores ſunt, nobis difficiliores reliqueris, quando cumulatiore menſura reddi jubet Heſiodus. Fruar tamen interim amore tuo, & ipſius Vualterii errore, tibique polliceor, nunquam in mutua amicitia noſtra excolenda me vel litteris, vel officiis defuturum. Vale.

127 *GREGORIO CORTESIO ABBATI*

DIONYSIUS S. (*a*)

(*b*) *Ex Gregorii litteris, quas voluit, & debuit antevertere cum novas recipiat Dionyſius veteris, perſpectæque benevolentiæ ſignificationes, pro his gratum animum profitetur. Nuntiat diſtineri ſe iiſdem curis, a quibus ceſſare ſperabat; ſtudiorum ſuorum rationes expromit; demum deſiderium pandit videndi, & conveniendi Gregorium.*

QUod me tam pio, ac paterno affectu admones, & adveniſse me incolumen ex animo gratularis, Gregori Pater, agnoſco veterem tuam in me benevolentiam; quæ tametſi multo mihi evidentioribus ſignis jamdudum perſpecta eſt, quam ut ea res nunc demum mihi cognita eſſe incipiat, ejus tamen ſignificatio longe mihi gratior eſſe ſolet, jucundiorque, quam ut verbis ullis poſſim explicare. Unde ex humaniſſimis literis tuis tantum gaudii percepi, quod ad cumulum nihil poſſe accedere videretur, ſi non in hac parte mihi moleſtiam facerent, quod dum plus ſatis in me humanus, ac corteſius es, ingratus, imo vero impius mihi videor, qui non in id operam dederim, ne officium quod pro pietate, quam tibi debeo, meum fuerat, anteverteres. Sed quod meas partes mihi præripueris, in cauſa fuit primum ingens tua humanitas, qua etſi me

(*a*) Hæc; & quæ inpoſterum occurrent Dionyſii Epiſtolæ, non habentur in editione Herſiliæ, habentur vero inter opera Dionyſii Faucherii Monachi Lerinenſis & Civis Arelatenſis a Vincentio Barrali Salerno Monacho Lerinenſe collecta; atque hæc collectio habetur in Chronologia Sanctorum, & aliorum virorum illuſtrium, ac Abbatum Sacræ inſulæ Lerinenſis ab eodem Barrali in unum compilatā, & Lugduni impreſſa anno 1613. per Petrum Riguad.

(*b*) Eodem anno 1528., quo deceſſit ejus mater, a Cœnobio S. Petri Mutinenſis in Peruſinum Cœnobium ſe contulit Gregorius, & illud adminiſtravit ad annum uſque 1532. Itaque ad tempus, quo moratus eſt in illo Cœnobio ſpectare credimus hanc, & epiſtolas, quæ proxime ſequuntur.

me abs te ſuperatum negare non audeo, nunquam tamen efficere poteris, ut tibi in amore concedam. Præterea quod in promptu non habeo, cui recte litteras dem, ut interea priſtinas curas ſileam, ad quas cum ego ſingulari quodam fato natus mihi videar, eodem revolutus molendinariam rurſus exerceo, & qui jam expectabam tanquam rude donatus coronam variatis nominibus, ordinibuſque verborum, ac rhetorum floſculis, ut ille apud Paſquillum, ex parataticis, parachimenis, & aoriſtis intextam promereri; eodem iterum ludo incluſus cum caſibus, & generibus ſpecies ſimul, & tempora conterens, molam toto quamvis debili pectore quotidie trudo. Verum charitas, quæ omnia ſuffert, mecum pariter molens laboris bonam partem ſuſtinet. Prælegimus autem (quoniam tibi ſtudiorum noſtrorum rationem poſtulas explicari) carmen Actii Sinceri de partu Virginis, videlicet quod ea res his diebus maxime conſentanea videatur; præterea Ciceronis librum de amicitia; quibus lectionibus multi interſunt, & mirum eſt quanto in his amore, ac ſtudio ſeſe juventus exerceat: beneficiis etiam mecum certant, & pro ſuo quiſque officio nititur, quo mihi laboris hujus tædium ſublevet. Sed de his hactenus. Hæc autem ad te ſcripſi non ſatis forſitan habita dignitatis tuæ ratione, ſed meus in te amor, ac tuus in me viciſſim, & tua humanitas ineptiendi mihi fiduciam dedit, inſuper quod verboſam a me poſcebas epiſtolam, cujus argumentum quo cartam implerem in præſentia non habebam. Nam ſi tibi totius elapſi triennii ſtudia enarrare velim, quibus aſſidue deſudavi, cum adverſus peſſimas beſtias depugnarem, tempus ad ſcribendum non ſuppeteret. Quo circa hæc in meum ad te adventum deſero. Cupio enim te coram alloqui, & quoniam tu me tam benigne invitas, montes etiam aureos promittens, cum mihi nunquam iſtuc veniendi cupido, aut voluntas inceſſerit, ſola tui videndi occaſio id mihi deſiderium excitavit. Vale. Menſe Decembri ex agro Mantuano.

128 *LUCIANO MONACHO* (a)

Cum conqueſtus eſſet Lucianus Gregorium ſcripſiſſe ſibi non latine, culpam hic fatetur, nunquam quid ſimile inpoſterum admiſſurus, dummodo idem præſtet Lucianus, cujus nullam probabit excuſationem. Lætatur de meliori Mantuani Cœnobii ſtatu, ad quod cum venire modo non poſſit, amicum ad ſe invitat.

UT veriſſime ſcribas, magnopere a me peccatum eſſe, qui non latine ad te ſcripſerim, illud certe dicere non audebis mihi abs te facilli-

(a) Lucianus, Mantuanus dictus, ſed ſevera a Goito, vel Godio prope Mantuam, familia de Othonibus inter S. Benedicti de Padolirone monachos admiſſus anne

cillimam tuam oſtenſam non eſſe (*a*) πρὸς τὴν ἀντικατηγορίαν, qui id imitari volueris, quod in me tantopere tibi diſplicuiſſet. Nam quod me & majore ocio abundare ſcribis, & plus facultatis habere, ut commodius officio potuerim ſatisfacere, mirum quod non videris futurum, ut neutrum a me tibi concederetur: nam & facultatis tantum in te eſſe certo ſcio, quantum vir ingenioſiſſimus, aſſidua lectione authorum eloquentiſſimorum, adde etiam longo uſu, ſcribendique exercitatione, conſequi potuerit: ocii vero tam mihi, quam tibi nihil ſuppetet, ſi hoc ſcribendi munus a qualicunque negotio valuerit impediri. Ego vero quod ad me attinet, non committam poſthac ut in hoc genere me accuſare poſſis. Tu vide, ne ullam ſpem excuſandæ negligentiæ in negotiorum multitudine colloces. Quod ſi a te fieri intellexero, ego quoque undique collectis excuſationibus te obruam. Cæterum multis gravibuſque de cauſis pergratæ mihi fuerunt litteræ tuæ, ſed ea potiſſimum quod de Cœnobio illo noſtro, immo etiam communi patria, optatum mihi nuncium attulerunt: vix enim dici poteſt, quam mihi complures jam annos moleſta fuerint, quæ de illius calamitate ocioſis hominibus obloquendi occaſionem præſtitere. Nunc vero vehementer gaudeo, omnibuſque qui iſtic degunt ſummopere gratulor, quod rebus in priſtinam, vel certe longe meliorem fortunam reſtitutis, nihil erit quod ad cumulum ſummæ felicitatis deſiderari poſſit. Cum enim divina iſtic inter tot clades magis augmentum, quam imminutionem acceperint, valde conſentaneum eſt, hu-

no 1507., poſtea Abbas S. Mariæ Pomposiæ in ditione Ferrarienſi, celebris fuit Græcæ linguæ ſingulari peritia, atque in Græcorum Patrum doctrina apprime verſatus, quem impenſe laudat Iſidorus Clarius, magiſtrum ſuum vocare non veritus. Interfuit Tridentino Concilio inter Abbates Congregationis Caſinenſis. Cum e Græco in Latinum convertiſſet commentaria S. Joannis Chryſoſtomi in Epiſtolam S. Pauli Apoſtoli ad Romanos, verſioni adjecit defenſionem contra eos, qui Chryſoſtomum divinam extenuaſſe gratiam, arbitriique libertatem extuliſſe accuſant. Hoc opus plurimorum offenſionem ſubiit, quare in indicem librorum prohibitorum relatum fuit, atque in Lucianum præ cæteris inſurrexit Sixtus Senenſis. Verum enimvero Luciano non defuerunt tum ejuſdem, tum poſterioris ævi defenſores, & magni nominis Patroni, quos inter Cardinalis Sadoletus, Cardinalis Contarenus, Matthæus Gubertus Epiſcopus Veronenſis, aliique bene multi ingenio, & eruditione præſtantes, quorum omnium tamen Luciani defenſorum judicium nihili faciendum eſt, ex quo Romana Eccleſia veritatis magiſtra Luciani librum Catholicis interdixit. Ex Necrologio Padolironiano compertum habemus diem ejus emortualem. Hæc enim ibi leguntur, *Lucianus Godius Mantuanus vir litteris ſatis apprime eruditus, inter doctiſſimos hujus ſaculi viros adſcribendus, non brevi veſica, renumque jam defeſſus ægritudine, extremi tandem certior factus diei, pacem calumniatoribus indicens injurias condonavit, mortaleque mortalibus curandum dedit, ſcientiam, animamque chriſtianiſſime Deo Opt. Max. reddidit, extremo extremi anni 1552.*

(*a*) *Ad mutuam accuſationem*, hoc eſt *recriminationem*; *redargutionem*: at hæc videntur eſſe barbara. Melius *ad contradictionem* vel ut *ego viciſſim te accuſem*. Sed ſi loco πρὸς τὴν legatur πρώτην forte melius conſtabit ſententia. Nempe *tuam oſtenſam non eſſe primam contradictionem*, qui id &c. Quamquam nec ſic mihi admodum ſatisfacio.

humana quoque priorem ſtatum abunde ſuperatura eſſe. Quod vero de profectione mea iſtuc ſcribis, ſcito rationem rerum mearum ſic conſtitutam eſſe, ut ſine maximo valetudinis & ſtudiorum incommodo, addam præterea niſi ratione officii derelicta, pedem hinc movere non poſſim. Quare quicquid tibi impedimento fuit quominus ad nos proficiſcerere, illud ipſum longe abominor, & deteſtor: cave enim credas aliud mihi gratius, magiſve optatum accidere potuiſſe, quod propediem quoque fieri poſſe ut denuo accidat non omnino mihi deſperandum eſt, niſi tibi mihique deeſſe volueris. Dionyſius noſter mecum eſt, eritque, ut opinor, dies quamplurimos, ut omnino cumulatiſſimo gaudio nihil deeſſe potuerit, ſi tu quoque iſtinc ad nos profectus eſſes. Vale, meque ſæpius litteris tuis inviſe.

129 *GREGORIO MUTINENSI ABBATI*

ISIDORUS CLARIUS S. (*a*)

Fuiſſe jam ſibi in votis, & etiam nunc eſſe ait Iſidorus cum Gregorio commorari. Id tamen cum nondum aſſequi licuerit, litteras dat voluntatis teſtes. Franciſcum Bellincinum celebrat Gregorii civem, tam ſui, quam ejuſdem Gregorii amantiſſimum.

ETSI in animo erat, fueramque pene pollicitus præſtanti, eruditiſſimoque viro Franciſco Bellincino civi tuo, me, ſi per occupationes, & moleſtiſſima curas meas mihi licitum fuiſſet, viſendi tui gratia aliquo in loco tibi occurſurum: tamen cum haud facile fieri id poſſe videam, ne omni ex parte caream eo fructu, quem ex tua, ideſt viri doctiſſimi, con-

(*a*) Deprompta eſt hæc epiſtola ex Epiſtolis Iſidori a perilluſtri Benedicto Bacchinio collectis, & Mutinæ impreſſis anno 1705. typis Antonii Capponi. Iſidorus Clarii, quod eſt oppidum agri Brixiani, natus eſt anno 1495. Parmæ anno 1517. monachus effectus Italiam, imo Eccleſiam Catholicam illuſtravit. Mirabili, celerique ingenio prædıtus adeo profecit in litteris, ut præter cæteras ſeveriores diſciplinas, Hebraice, Græceque doctus toti Romanæ aulæ admirationi eſſet. Concilio Tridentino primum tanquam Abbas, & Theologus interfuit, poſtea a Paulo III. Epiſcopus Fulginei creatus fuit. Tunc populo ſibi commiſſo, totique Eccleſiæ doctrina, & ſanctitate præluxit, & omnia Chriſtiani paſtoris officia mirifice præſtitit. Quantum autem doctrina, & omnigena eruditione præſtiterit, & quam merito ſapientiſſimi viri apud doctos omnes famam obtinuerit, ex librorum ejus lectione facillime dignoſci poteſt. Iterum tamquam Epiſcopus a Paulo III. Tridentum miſſus, ut Concilium ſuo interventu juvaret, tanta linguæ facundia, & ſcientiarum lumine fidei cauſas peroravit, ut quidquid dixiſſet, a Concilii Patribus pro oraculo haberetur. Tandem ſapientia, ac meritis plenus, geſtiſque præclariſſimis ubique celeberrimus terras reliquit anno 1555. V. Kal. Junii, Marcello II. Pont. Maximo, & Carolo V. Cæſare. Ejus memoria in benedictione adhuc eſt apud Fulginates.

conſuetudine capere jamdudum cupio; decrevi hac brevi epiſtola voluntati meæ aliquantum ſatisfacere. Atque illud primum, quod mihi jam multos annos fixum in pectore, atque animo eſt, non proſequar longiori oratione, tum quia late apud multos patet, quam ingenti flagrem deſiderio apud te vivendi; tum vero quia meus mihi pudor obſtat, ne videar aliquid dare tuis auribus. Unum illud hac in re adjiciam, me, ſi fieri recte potuiſſet, in ipſis Comitiorum primordiis, aut ante etiam Comitia, fuiſſe ad te ſcripturum, uti quocunque eſſes iturus, me tecum ducere non aſpernarere: ſed quod nunc aſſequi equis, veliſque non poſſumus, ipſa dies aliquando nobis aliud agentibus fortaſſe eſt oblatura. Nunc ad Bellincinum tuum venio. Ego quidem tibi cum ſæpe alias multum, tum hoc nomine plurimum debeo, cujus opera factum ſit, ut in hominis, ut noſti, & adde ſi quid vis, tam probi familiaritatem venerim; in quo neſcio quam ex multis ejus præcipue virtutem commendem; ſed deſino rem tibi magnificentiſſimam prædicare. Illum ego præter morem, & inſtitutum meum aliquoties inviſi; qui ſuperioribus diebus, cum de te, quod non parum ſæpe fiebat, jucundiſſime ſermonem haberemus, mandavit, ut ſive te coram ſive per litteras viſerem, ſalutem tibi verbis ſuis aſcriberem plurimam, id quod nunc quam libentiſſime præſtiti. Vale. Turclaræ VI. nonas Maii MDXXIX.

130 *HIERONIMO GHINUCCIO EPISCOPO*

N. Cameræ Apoſtolicæ Auditori (*a*)

Maxima jucunditate affectus ob eximias amoris ſignificationes & ſibi, & fratri a Ghinuccio datas moleſte fert Gregorius ejus deſiderio non ſatisfeciſſe. Non ſatisfecit autem, quod ex fratris litteris probe non intellexit quidnam peteretur, & quamquam illico melius inſtrui curaverit, nihil ultra a fratre didicit. Petit itaque, ſi commode adhuc fieri poteſt earum, rerum notitiam quæ negotio conveniant, paratus omnia præſtare, quæ Ghinuccio placeant.

NOndum ſatis conſtituere potui plus oblectationis, an moleſtiæ litteræ tuæ mihi attulerint, quæ ad XIII. Calend. April. datæ, VII. de-

(*a*) Hieronymus Ghinuccius Senenſis Cameræ Apoſtolicæ Clericus, poſtea Auditor, deinde Præfectus Signaturæ Brevium, Julio II., & Leone X. ſummis Pontificibus. Leo Epiſcopum Aſculanum creavit, & in Galliam delegavit, ut in colloquio ibi indicto ageret pro pace inter Gallos, & Anglos ſtabilienda; abiit tamen re infecta. Angliam petiit Nuncii dignitate decoratus; atque Henrici VIII. Regis gratia obtinuit Epiſcopatum Vorceſtrenſem, poſthac tenuit etiam Caballionenſem, atque a Paulo III. anno 1533. in Cardinalium collegium fuit adſcitus. Idem Pontifex eum legavit ad Carolum V. anno 1538. pro Religionis negotiis. Romæ obiit III. Nonas Julii anno 1541.

Digitized by Google

demum Id. Maii nobis redditæ fuerunt. Cum enim ex ipſis cognoverim mirificum quemdam amorem erga me tuum, anxiamque de incolumitate mea ſollicitudinem, majorem animo meo voluptatem cœpi, quam ut brevi epiſtola a me declarari queat. Accedit præterea in fratrem meum (qui mihi meipſo pene carior eſt) ſatis nobis perſpectus ex illis ipſis litteris ſingularis quidam amor tuus, atque benevolentia, quæ cum a tali tantoque viro, & naturæ, & fortunæ muneribus ornatiſſimo, vix citra impudentiæ notam mihi optanda fuiſſe videantur, eo gratiora nobis acciderunt, quo longius ſuperarunt expectationem noſtram. Contra vero ſupra quam dici poteſt moleſte tuli, quod non modo deſiderio tuo adhuc a me ſatisfactum non eſt, ſed nec quid id ſit quod a te tantopere deſideratur, ſatis intelligere potui. Cum enim circiter Calendas Auguſti a fratre meo mihi redditæ litteræ fuiſſent, in quibus parva quædam ſchedula, qua laudatio Pontificis Eboracenſis continebatur, incluſa erat, nec quid ſibi ea vellet liquido poſſem intelligere, quod id litteris ipſis non plane declararetur, conjecturam feci priores aliquas, quibus copioſe negotium exponeretur, temporum iniquitate, vel eorum qui deferrent, negligentia periiſſe. Quare confeſtim ipſum fratrem meum per litteras rogavi, ut quid ſibi ea laudatio vellet ad me ſcribere non gravaretur; eniſurum enim me, quantum & viribus, & ingenio poſſem, ut honeſtiſſimo ejus deſiderio quamprimum a me ſatisfieret. Enimvero cum ille poſtea de ea re nec verbum quidem fecerit, diu perſuaſum habui, ejuſmodi provinciam alii demandatam fuiſſe, qui maturius, ingenioſius, & eloquentius munere illo defungi poſſit. Nuper vero acceptis litteris tuis, reque diutius conſiderata, poſtremo in eam ſententiam veni, ut mihi perſuaderem, aut me imprudentia, & errore in ſcribendo, aut fratrem meum in percipienda litterarum mearum ſententia deceptum eſſe. Ut enim meminiſſe mihi videor, nihil me tunc pollicitum fuiſſe aggredi, niſi re, quæ proponeretur, diligentius percepta, ſic conjectura aſſequi poſſum, cum ex litteris tuis, tum etiam ex verbis fratris mei, me non adeo diſerte rem explicuiſſe, ut a viro in multis maximiſque negotiis occupato, unica lectione intelligi potuerit. Qua in re, dummodo fratrem meum culpa omni, & errore vacare tibi perſuadeas, non abnuo quin vel ineptiæ, vel imprudentiæ meæ omnia aſcribantur. Id vero ea potiſſimum de cauſa paulo iniquiore animo laturus ſum, quod ignorem an commode nunc etiam deſiderio tuo ſatisfieri poſſit: ut non obducta jam cicatrice medicamentum apponere velle videamur. Quod ſi a te judicatum fuerit, id opportune accidere poſſe, tibi omnino recipio, me diligentiſſime operam daturum, ut quicquid vitii adhuc per imprudentiam factum eſt, maxima cura, & ſedulitate farciatur. Qua in re, omnino neceſſe erit quicquid in Regem Lutheriani evomuerunt, iſtinc ad me tranſmittí, ut ad ipſorum maledicta reſponſiones noſtræ accommodari queant. Præterea, ſi breves commentariolos de toto negotio confici curave-

raveris, ex quibus deſiderium tuum paulo illuſtrius intelligere poſſim; erit ea profecto velut expreſſa quædam imago animi tui, ad quam cogitatus omnes noſtri velut ad certum, definitumque ſignum dirigi poſſunt. Vale. Et me, omneſque meos, qui omnes tui ſunt, ut facis, ama. Etſi præterea quippiam a me proficiſci poteſt, quod tibi gratum futurum ſit, ſic tibi perſuadeas velim nihil eſſe in eo genere tam arduum, quod juſſis tuis aggredi non audeam, nec tam difficile quod ſi favor tuus acceſſerit, præſtare mihi poſſe non videar.

131 *RAPHAELI PLACENTINO MONACHO*

(a) Credidit Raphael Gregorium nonnulla carpere ejuſdem Raphaelis opera, & de iis male ſentire. Cum de hac re conqueſtus eſſet, avertit expoſtulationem Gregorius, eamque oſtendit incongruam, cum & animus ſibi ſit ab hujuſmodi crimine alienus, & vetus ſit ſibi cum Raphaele amicitia, & ea tandem ſit ejus operum elegantia, & doctrina, quam maximi ſemper fecit; deceptum proinde fuiſſe illum, & immerito calumniis præſtitiſſe fidem.

ETSI, quod tam graviter de me conquereris, maxima eorum culpa eſt, qui nollent nos eo animo quo ſumus, inter nos eſſe, nequeo tamen rationem aliquam excogitare, qua teipſum omnino a culpæ hujus affinitate liberare poſſim: fieri enim poteſt, ut illorum animi vel odio, vel invidia antea labefactati, non ita deinde quid officium, quid honeſtas, quid communis vitæ ratio poſtulet, intelligere poſſint. Tibi vero cui jam inde, ut ita dicam, ab incunabulis perſpecta eſt non charitas modo in te mea, ſed ut veriſſime dicam, pietas, nequaquam veriſimile fieri debebat, ita nullam a me rationem amoris noſtri habitam fuiſſe, ut etiam maximis te contumeliis afficere cogitarem. Præſertim cum antea nulla inter nos diſſidii cauſa interceſſerit, ut conjectura aſſequi poſſes priſtinam voluntatem meam vel omnino abs te alienatam, vel ſaltem aliqua ex parte immutatam eſſe. At ſi (quod fieri omnino nequit) tibi tantopere inimicus eſſe vellem, ut poſteris etiam teſtatam relinquerem memoriam parum grati animi noſtri erga te, quid erat in quo minus te læde-

(a) Raphael Placentinus inter regulares alumnos S. Benedicti de Padolirone receptus eſt anno 1477. Poetica arte haud mediocriter præſtitit. Scripſit Armeniadem libris decem, in qua heroico carmine deſcribit vitam, ac geſta Sancti Simeonis Armeni in eodem Padolironiano cœnobio quieſcentis, qui ex Armenia in Italiam veniens, & ex Monacho S. Baſilii, S. Benedicti inſtituti ſectator factus in prædicto cœnobio ibidem ad obitum uſque ſanctiſſime vixit. Scripſit etiam Scenas quatuor, Interlocutoribus Raphaele, & Philodemo, tum Poliſticorum, ideſt multitudinis carminum librum unum, tandem Epigrammatum libros tres. A Merlino Coccajo, ideſt Theophilo Pholengo inter celebriores ſui ævi poetas commemoratur.

lædere poſſem, quam ut inveherer in elegantiſſimum poema tuum, aut quo magis bonorum odium in me poſſet concitari, quam ſi ei, quicum conjunctiſſime, & amantiſſime jam inde a pueritia vixiſſem, ſponte mea tam acerbe fierem inimicus? Taceo hic ſanctiſſimum illud religionis vinculum, quo adeo conjunctos nos eſſe intelligo, ut nihil de honore tuo a me detrahi potuerit, quin tantundem de noſtro detraheretur. Cujus rei tantam a me rationem habendam eſſe cognoſco, ut intelligam ſine maximo flagitio ejuſmodi adverſus te contumeliam ne cogitare quidem nos aliquando potuiſſe. Accedit præterea ſcriptorum tuorum conjuncta multiplici doctrina incredibilis elegantia, quibus ita per ſe tuta ſunt, ut tam a nullo reprehendi queant, quam a nemine ſatis laudari. Quid, quod nihil hactenus a te editum eſt, in quo non prius & judicium, & conſilium meum amiciſſime exquiſieris? Harmenias tua ita mihi adhuc puero cognita erat, ut non tu plura carmina ex ea, quam ego, poſſes memoriter recitare. Scenas vero cum nec edere quidem cogitares, deque ea re Placentiæ diligentiſſime explorares judicium meum, memini me, te ita ad ea in publicum edenda ſuadere, ut tandem id tibi multis precibus perſuaderi permiſeris. In Epigrammatis vero adeo honorifica noſtri nominis mentio eſt, ut quoad opus illud vivet, (vivet autem ut ſpero cum omni poſteritate) non poſſit mei memoria aliqua oblivione deleri. Sed quoniam plane, ut opinor, tibi a me declaratum eſt, non minus a voluntate, quam a facultate lædendi tui me ſemper abſuiſſe, fieri nequit quin tecum amice expoſtulem, quod me id aliquando cogitaſſe tibi perſuaderi permiſeris. Quod ſi non tanti apud te erat Platonis exemplum, ut illum imitari velles, ad quem cum delatæ eſſent amici in ſe criminationes conſtanter affirmavit, aut nunquam dictas, aut utile utrique fuiſſe, ut tunc ea ſic dicerentur; poteras ſaltem quod M. Tullius faciendum ducebat, genus illud totum orationis tollere, diſputabant, ego contra diſſerebam, dicebant, ego negabam. Hoc nempe veteri conſtitutæque amicitiæ noſtræ, hoc ei diſciplinæ quam profitemur, hoc religioni, hoc denique moribus, & prudentiæ tuæ magis erat conſentaneum. Poſſet vero quiſpiam in amicitia tuenda mei diſſimilis ex ejuſmodi querelis animi tui conjecturam facere, ſibique perſuadere eum qui ita facile crediderit, poſſe alium in amicitiæ rationibus peccare, æque facile & ipſum peccaturum fuiſſe (a) *τὸ γὰρ εἰς κακίαν οὐκ ἕτοιμον, μήτε εἰς ὑπόνοιαν εὔχερες*, inquit Nazianzenus noſter. Conjecturam nempe ex eo faciens, quod fere perinde atque nos in cæteros animati ſumus, ita de ipſorum voluntate conſueverimus proferre judicium. Quod quidem longiſſime abs te, tunc cum ad me ſcribebas, abſuiſſe ita mihi perſuadere volo, ut ægerrime etiam laturus ſim, ſi ſecus mihi ex re ipſa aliquando perſuaderi poſſet. Vale.

132 *PAU-*

(a) *Nam qui male facere paratus non eſt, non temere id etiam de aliis ſuſpicatur,*

132 PAULO SADOLETO (a)

Cum litteræ, quas ad ſe Paulus dedit, valde elegantes ſint, nihil ſibi reliquum putat Gregorius, præterquam de tantis progreſſibus lætari; cumque hi mirifice reſpondeant jamdiu præconceptæ opinioni, ſupervacuum putat ad bonarum artium ſtudia eum incitare, ad quæ jam patris, & magni patrui exemplo accenſus, patris ipſius, & patrui inſignia veſtigia ſectatur.

FAcile ex epiſtola tua intellexi; quanta orationis ubertate, quantaque eloquentia copioſiores materias tractare conſueveris, qui nullo etiam (ut ais) propoſito argumento, in his litteris quas ad me dediſti, tantum abſuit, ut rerum, aut verborum copia deſtituereris, ut nihil etiam uberius luculentiuſve excogitari poſſe videatur. Mihi vero illæ ipſæ litteræ unicum argumentum ad te ſcribendi reliquerunt, ut ſcilicet tantis tuis progreſſibus gratularer, quantos te ex ipſis habere cognovi, quantoſque ab ineunte pueritia tua & mihi & patri tuo de te aſſidue pollicebar. Non enim ei argumento locum reliquiſti, quo potiſſimum uti debuiſſem, ut te ad bonarum artium ſtudia incitarem, atque adhortarer, quem egregia quædam, atque admiranda indoles, tum etiam mirifica diligentia in optimis ſtudiis, poſtremo patris, & patrui domeſtica exempla adeo provocarunt, ut te non incitandum putem, ſed teſtimonio litterarum tuarum imitandum aliis proponere debeam. Cujus quidem rei communis eſt nobis cum patre tuo, atque æqua oblectatio, cum quo mihi vetus, & multo antea quam tu natus es conſtituta amicitia intercedit; & cui nequaquam conceſſurus ſum, ut majore quam ego de te, ſucceſſibuſque tuis voluptate ſit afficiendus. Nec hujus animi mei quiſpiam illo teſtis certior eſſe poteſt, qui ut me quam maxima jucunditate afficiat, epiſtolas omnes hendecaſyllaboſque tuos non minus venuſte, quam eleganter ſcriptos, ſimul atque accepit confeſtim ad me legendos defert, quem optime novit ingenio, atque eruditione tua mirum in modum oblectari. Nuper etiam epigrammata ad Venerem atque Dianam, in quibus & acumen, & inventionem ſicuti græcos imitantia, ita nequaquam illis concedentia cognovi. Quorum omnium cum ob ipſorum mirificum candorem, tum ob tuum amorem erga me & buccinator, & præco fieri non verebor. Tu vero perge per Patrui

tui

(a) Paulus Sadoletus Philoſophiæ, Theologiæ, Græcæ, & Latinæ linguæ peritiſſimus evaſit. Jacobo Cardinali patruo in Carpentoractenſi Cathedra ſucceſſit. Obiit anno 1569, ætatis ſexageſimo. Qui plura de Paulo cuperet, ejuſdem vitam elegantiſſime ſcriptam nuper a Vincentio Alexandro Conſtantio videat in appendice Epiſtolarum Jacobi Sadoleti Romæ impreſſa anno 1767.

tui veſtigia eo contendere, quo & indoles tua, & illius ingentia beneficia te ducunt: illumque tibi propone quem colas, quem imiteris, cujus vitæ integritatem, & mores ſanctiſſimos æque atque eruditionem ſingularem uno omnium ore celebrari vides. De me vero ea tibi pollicearis velim, quæ ab eo proficiſci debent, qui te unice amet, qui ſtudiis tuis mirum in modum faveat, qui denique ingenio, atque doctrina tua, ſupra quam dici poteſt, oblectetur. Vale.

133 (a) REGINALDO POLO (b)

(c) Petit, ut Contareno perſuadeat, ut uni tantum ex his, qui adfuerant Conventui, in quo actum erat de Eccleſiaſticæ diſciplinæ inſtauratione, Conſilium illud in ſcripta redigendi munus demandetur; quod eorumdem inter ſe benevolentiæ parum forte conſuleretur, ſi in idem argumentum ſinguli incumberent, ut etiam ſuſpicatus fuerat prudentiſſimus Archiepiſcopus Brunduſinus.

EGit mecum heri diligentiſſime Contarenus, ut eodem argumento litteras ſcriberem, quo te quoque, & Sadoletum ſcripturum eſſe putabat. Multum fortaſſe a modeſtia abeſſe videor, ſi de tanti Viri judicio auſus fuero judicare, præſertim cum cæteris in rebus ſemper ejus con-

(a) Excerpta eſt ex collectione Epiſtolarum Reginaldi Poli S. R. E. Cardinalis, quam curavit Angelus Maria Cardinalis Quirinus, cujus opera eædem Epiſtolæ Brixiæ prodierunt typis Joannis Mariæ Rizzardi anno 1744. Epiſtola hæc ibi eſt num. XLVI., & habetur pag. 485. Argumentum pariter quod præmiſimus ibi habetur pag. 497. in Sinopſi Epiſtolarum ab eodem Cardinali Quirino conſcripta.

(b) Reginaldus Polus Anglus regali ſtirpe progenitus, Summi Pontificis auctoritatem, & poteſtatem, atque Eccleſiæ jura acerrime defendens vehementiſſimum odium ſubiit Henrici VIII. Regis Angliæ, qui jam a Catholicis defecerat, & ingentem pecuniæ ſummam promiſit ei, qui Reginaldi caput ad ſe deferret. Cum Paulus III. eum Cardinalem creaſſet anno 1536. id acerbiſſime ferens Henricus ejus matrem, & conſanguineos juſſit occidi. Invicto, & forti animo ærumnas omnes pertulit Reginaldus, quin etiam veniam dedit tribus Italis, & duobus Anglis, qui ejus vitæ inſidiati ſunt. Concilio Tridentino præfuit, & poſt Henrici mortem egit per epiſtolas cum Eduardo VI. Rege, & cum iis, qui auctoritate, & gratia pollebant, ut Romanæ Eccleſiæ ſocietatem iterum Anglia reciperet. Irriti fuerunt tunc ejus conatus, at ejuſdem zelus emicuit, cum poſt Eduardum fratrem Regnum adepta eſt Maria anno 1553. Legatus in Angliam perrexit, & nihil intentatum reliquit, ut Eterodoxi ad Romanæ Eccleſiæ ſinum redirent, ut publica quies reviviſceret, ut oppreſſos in libertatem vindicaret. Maximo Regni, & Religionis Catholicæ damno interiit VII. Kal. Decembris 1558, ætatis anno 59. Auctores omnes, hæretici etiam, ſummis laudibus extollunt ejus ingenium, ſcientiam, prudentiam, moderationem, largitatem, charitatem. Paulus IV. arbitratus eum non recte ſentire, ſicut decet Catholicum, infenſus illi fuit, immerito tamen, ſicut teſtatur perpetuus ejus pro Catholica Eccleſia zelus, & conſtans erga Romanam ſedem reverentia.

(c) Anno 1536. Romam vocatus Gregorius, ut in quodam conventu, qui pro-

conſilium probare conſ everim plenum ſummæ prudentiæ, pari pietate conjuncta. Sed cum neſciam, qua ratione id mihi ſucceſſurum ſperem, quod præter animi mei ſententiam tentare voluero, longe prudentius viſum eſt culpa vacare, quam concepta culpa veniam deprecari. Etſi enim omnium, qui in eo conventu aſſuere, candor adeo mihi perſpectus eſt, ut mihi facile perſuadere debeam, eadem integritate, & fortaſſe etiam longe majore, de cæterorum ſcriptis omnes ſententiam laturos, qua de ſemetipſis ſint judicaturi; officii tamen noſtri eſſe opinor ab iis omnibus abſtinere, quæ ipſo genere tantam animorum conjunctionem ſeparare poſſe videantur, quod etiam a Bruduſino prudentiſſime dictum eſſe memini. Quare ſi uniuſcujuſque vel ingenii, vel diligentiæ periculum aliquod faciendum erit, longe cautius opinor futurum, ſi diverſis omnino propoſitis argumentis idipſum voluerit experiri. Mihi igitur pergratum erit, ſi Contareno quoque iſtud ipſum perſuaſeris, ne ejus Viri videar in hac re imperium detrectare, cujus judicium in omnibus ſemper ſequi conſueverim. Id non modo ut facias, ſed etiam ut omnino conficias, te ſummopere rogo. Vale. In Quirinali.

Servus Gregorius

134 LUCIANO MONACHO

(a) *Incommoda ægræ valetudinis eo amplius nunc ſibi moleſta fatetur Gregorius, quod impediant amici conſuetudine frui, eaque frui in urbe Roma. Hanc ab antiquæ magnificentiæ ſpectatis reliquiis, ab abditæ eruditionis monumentis, præſertim vero a ſanctiſſimorum Chriſtianæ Reipublicæ procerum memoriis, & a præſtantiſſimis Chriſtianæ Religionis trophæis commendat.*

NUnquam quidem fore putavi, ut litteræ tuæ, quæ omnem animi mei ægritudinem mitigare conſueverunt, quippiam mihi moleſtiæ afferre poſſent. Nuper autem contigit, ut quæ ſub adventum tuum iſtic a te datæ ſunt, mirum in modum in me non quidem deſiderium tui, id enim antea vehementiſſimum erat, ſed anxietatem maximam excitarint. Cum enim nihil tibi concedam in mutua conſuetudine noſtra deſideranda, accedit præterea huic meo deſiderio adverſæ valetudinis moleſtia, qua potiſſimum factum eſt, ut tecum mihi Romæ eſſe non liceat.

ximi concilii proluſio erat, ſententiam ferret, parum licet firma valetudine obtemperavit, ibique de Eccleſiaſticæ diſciplinæ inſtauratione egit una cum ſummis viris Polo, Sadoleto, Contareno, Caraſa Cardinalibus, itemque cum Giberto, Fregoſio, Aleandro, & Badia S. Palatii Apoſtolici Magiſtro.

(a) Diſceſſit Roma Gregorius completo conventu, ad quem eum vocaverat Summus Pontifex. Anno 1538. ei demandata fuit adminiſtratio ſui Cœnobii Padolironiani, ex quo data videtur hæc, & Epiſtola, quæ ſubſequitur.

ceat. Quare non ipſe tantum ſenſus urgentis ægritudinis me excruciat, quantum renovata ſuaviſſimis amicorum litteris abſentiæ recordatione contabeſco. Quid enim ad felicitatem meam, ut communi more loquar, poſſet accedere, ſi in ea urbe te mihi frui contingeret, quæ in frequentiſſima ſui parte ſpectatiſſimorum hominum aſſiduam conſuetudinem, ubi a turbis vacat, admirabilium memoriam poteſt ſuppeditare? Nam ut illa omittam quæ diligenter a te enarrata ſunt, inſanas antiquorum ſubſtructiones, quarum vix inter ruinas miſerabiles ſuperſunt reliquiæ, Theatra, Circos, Thermas, Porticus, Baſilicas, Templa, magis potentiæ monumenta, quam virtutum, quanta rogo te oblectatione affici poſſemus ea diligenter perveſtigando, quæ vulgo minus ſunt cognita, ubi domus M. Tullii, admirabili illa oratione nobilitata, ubi roſtra, ad quæ idem & ſæpius vivens, & ſemel mortuus univerſum populum Romanum maxima cum ſui admiratione attraxit, ubi comitium, ubi campus, ubi fora, & pleraque ejus generis, quæ cum ad cognoſcendas Reipublicæ Romanæ pulcherrimas inſtitutiones, tum etiam ad optimorum Authorum locos explicandos plurimum conferre conſueverunt? Jam illud quanti eſſet, quo me noſti tantopere delectari, maximorum artificum contemplari ingenia, in columnarum, ædium, baſilicarumque generibus adeo mirabiliter, atque ingenioſe erectis, ut peritiſſimi architecti, qui facta vident, negent potuiſſe fieri? Poſtremo quod maximum eſt, & inſtituto noſtro magis conſentaneum, quanta pietate loca illa inviſuros fuiſſe putas, quæ proceres illi Reipublicæ Chriſtianæ Petrus, & Paulus, lares, penateſque Romanorum, ſanguine ſuo conſecrarunt, qui, quod duces preſtantiſſimi adepta victoria ex utroque urbis latere trophæis, orbis imperium, Chriſti imperio ſubjecerunt? Quid cum ſubterraneos illos ſpecus, & ut ipſi ajunt (*a*) κοιμητήρια luſtraremus, in quibus admiratione digniſſimi viri multum verſati, poſtremo horrenda abſorpti tempeſtate, perpetuam corporis ſedem acquiſiere? Tanta enim vis, ut recte quidam ait, eſt in locis, ut ea memoria magis moveamur, quam ſi eorum, qui nullis verſati ſunt, aut facta audiamus, aut ſcriptum aliquid legamus. Illud poſtremo mihi longe jucundiſſimum eſſet, ſi curarum, & ſollicitudinum, quibus te, pro diligentia tua, aſſidue diſtineri non dubito, particeps aliquando fierem, tantumque in ea re virium amorem in te meum habiturum fuiſſe mihi eſt perſuaſum, ut aliqua etiam ex parte hominem tali prudentia tantoque uſu rerum conſilio potuerim adiuvare. Sed quoniam me ita affectum eſſe ſentio, ut magis de ocio, quam de negotiis ſit cogitandum, præſertim in iſto veſtro Quirinali, in quo licet ea cœli clementia commendari conſueverit, nunquam mihi tamen cum morbis, atque adeo cum ipſa morte non fuit colluctandum, quod unum a me tibi præſtari potuit,

(*a*) *Cæmeteria*. (ſic dicebantur quia in eis Sanctorum Corpora *dormiebant*.)

tuir, feci diligentiſſime, ut te ipſum, & cœnobii noſtri cauſas fratri meo arctiſſime commendarem. Quanquam nihil opus eſſe putabam commendatione noſtra, ubi adeſſet Beſſarion, qui & in fratrem, & in omnes conſanguineos meos paternum jus atque imperium, quod ex ipſis accepi, jamdudum adeptus eſt. Si quid deinceps forte continget quo opera mea indigeas, ita tibi pollicearis velim, nihil facultatis meæ fore, quod fruſtra a te deſideretur. Vale.

135 ABBATI CUIDAM

(a) Accurate deſcribit quæcunque fieri juſſit in novo quodam ædificio.

QUod tibi ſummopere cordi eſſe intellexi, dedi operam, ut in novo ædificio, omnia ex ſententia tua conſtituerentur. Primumque cænationem illam quidem amplam, & luminoſam, (erat enim longa cubitis ſexaginta, altitudo latitudini propemodum æqualis triginta cubitorum, eo artificio teſtudinata quod antiquis incognitum architecti nunc Lunulas vocant, feneſtræ quaternæ trinum ſenumque cubitorum) tamen quia tibi placere audieram, in alteram ædificii partem, membrum illud promovi, ubi hinc orientem hibernum ſolem, inde vero æſtivum habeat occidentem. Omnino commodior erit ad ipſam acceſſus ἐκ τοῦ κοιμητηρίου haud paulo quam prius fuerat; feneſtras paululum reſtrictiores humilioreſque quam antea fieri juſſi, in parva enim longitudine ſexdecim cubitos ipſarum apertiones occupaſſent, quod cum deforme, tum etiam vehementer incommodum futurum eſſe videbatur. Ante ipſam cænationem atrium eſt quadratum, cubitorum triginta, æquum videlicet cænationis latitudini, in cujus meditullio marmoreus fons eſt, cui ſubeſt concha permagna, Lunenſis marmoris, duodecim palmis a labio ad labium expanſa. Superius vas ſphæricum ex Ophite, in quod per tubulos ſubvecta aqua, octo demum ſiphunculis effunditur, ſic fuſis ex auricalcho ut dracones videantur in ſublime aquam ejaculantes. In ſublimiori Sphæræ parte parva baſis eſt, & in ea Moſes virga percutiens ſilicem. In ipſius conchæ fundo, delphinos, cetos, & ejus generis piſces complures eminenti ſculptura fieri juſſi, ut cum aqua repletum vas fuerit, nihil jucundius intueri tibi poſſe videaris. Ex atrio aditus eſt in periſtylium, ſeu mavis compluviatum cavædium appellare, in quo mira ſollicitudine artifices laborant, vellent enim opus ſanum, rectumque per comitiorum dies præſtare. Erat porro inter me, & Pannutium non mediocris diſceptatio, quod ille non murulos inter columnas, ſed ſtamillos fieri

(a) Ad Padolironianum Cœnobium ſpectare arbitramur ædificia, quæ diſcimus ex hac epiſtola eum juſſiſſe. Ex aliis enim ejuſdem Cœnobii monumentis conſtat, tempore, quo Gregorius adminiſtrabat, Cœnobium fuiſſe in meliorem formam redactum.

(b) *Ex dormitorio.*

fieri oporterē diceret, & ſub unaquaque columna ſtylobatam; putabat enim opus eo pacto longe delectabilius futurum. Mihi ea potiſſimum ratione non probabatur, quod ſcirem murulos adinventos fuiſſe, ne ex ſtillicidiis defluens aqua, porticus periſtylii aſpergine madefaceret; nunc ſi derelinquatur inter ſtamillos apertio, id incommodum nos vitaturos non eſſe facile, omnes intelligere puto. Columnas præterea ſtriatas, cum adeo parvæ ſint, & præterea duplices mihi fieri non placebat. Tu quid tibi videatur reſcribes. Raphaelem pictorem ætate noſtra, ut noſti, veteribus illis excellentiſſimis comparandum, conveniendum curavi, ut cœnationis interiorem frontem pingeret; is ita reſpondit ut gravate admodum Romam ſe relicturum eſſe oſtenderet: nec ſi id faceret, maxima ſine mercede eſſe facturum: ut mihi videatur mille illi aureorum numum ludibrio futurum eſſe. Quare alterum repperi, qui idem opus trecentis aureis numis abſolvet, etſi non Apelles, forte tamen Parrhaſius futurus. Pavimenta invicem prius confricatis lateribus, ſic polita & conjuncta ſunt, ut cum nuſquam calcem habeant, nihil tamen diuturnius, ut opinor, excogitari poſſit: ſummæ præterea pulchritudinis quod operis reticulati ſpeciem præ ſe ferant. Baſes omnes, & capitula dorico opere, nihil pene antiquitati ceſſura ſunt. In (*a*) κοιμητηρίῳ nihil ex priori modulo immutatum eſt, præter valvarum compagmenta, & epiſtylia, quæ omnino non apponentur; negant enim id ex ſimplicitate ordinis noſtri eſſe. In Bibliotheca quo ad noſtrum fieri poterit elaborabimus, ut ea liberrimo cœlo, & plurimum luminis habeat, & ad ſaluberrimam regionem proſpectus ſit, uti ne & libri facile tineas procreent, & ſitu putreſcant compagines. Longa erit cubitis centum, lata autem triginta, triplici fornice teſtudinata, quorum medius aliquantulum excellior erit ea proportione ad cæteros, quam habet in homine ad humeros caput. Columnis hinc inde novem medius ipſe fornix ſuſtinebitur, ut ſcilicet inter columniorum ſpatium ſit cubitorum decem. Epiſtylium ſuper capitula per totius Bibliothecæ longitudinem perducetur. Sub baſibus ſtylobatæ erunt, ſic enim & ad ſpeciem decentius, & commodius ad uſum futurum eſſe judicatum eſt. Plutei interius, exteriuſque libris farciri poterunt a columnis ad parietes protenſi, ut tamen ambulationem duorum cubitorum derelinquant. Sub medio fornice pavimentum expeditum relinquitur, ambulationis gratia. Tu operam dabis, ut catenulæ ex auricalcho fiant, non minus quatuor millibus. Ad pluteos præterea tabulas ex laricibus quamplurimas ſi coemeris, eas nos miſſo ad te navigio adverſo flumine ſubvehi curabimus. De Globis in quibus & terrarum orbis, & aſtrorum ſitus deſcribendus eſt, alias dabimus operam ut quid nobis videatur intelligas. Vale.

(*a*) *In dormitorio.*

136 *JACOBUS SADOLETUS CARDINALIS*
GREGORIO CORTESIO AB. S. (*a*)

Etſi factum eſt, ut curarum diſſimilitudine, & regionum longinquitate raro potuerit Sadoletus Gregorio congredi, raro quoque datæ ſint mutuo litteræ, idem tamen fuit ſemper erga Gregorium animus Sadoleti, qui & eum magni fecit ſemper, & nuper occaſionem arripuit adventus Florebelli (b) ad ſe, quo de eo colloqueretur. De eo colloqui placuit magis, ut ſic ſolatium aliquod perquireret in tanta temporum iniquitate, & in jactura viri ſummi Fregoſii, cui reparandæ in mentem venit curare, ut habeatur ratio honoris Gregorii, ſimul & utilitatis Reipublicæ.

FRuctus noſtræ amicitiæ, qui ex uſu, & congreſſu quotidiano, communicatione ſermonum, & cogitationum omnium percipi uberrimus ſolet, fuit ille quidem nobis multa & rerum varietate, & temporum interruptus: quod in ſimili & voluntate & natura, diſſimilitudine quadam curarum, atque actionum, & longinquitate regionum fuimus fere disjuncti. Sed tamen & tua eximia virtus, præſtanſque optimarum artium ſcientia, te animo meo præſentem ſemper conſtituit: & amicitiæ fides, (ſicut ego mihi perſuadeo) item me tuo: ut ſi abſuimus corporibus, animis tamen proximi, copulatique fuerimus. At nunc tanto intervallo litterarum inter nos facto, quod præter conſuetudinem ad te ſcribam, ne forſitam mireris, ratio tibi a me mei facti reddenda eſt. Ego te, Corteſi optime, & doctiſſime, cum talem jamdiu virum eſſe cognoviſſem, qualem omnes exiſtimant, omnibus ingenii, humanitatis, doctrinæ ornamentis præditum, amare cæpi ab initio non mediocriter: nec communi illo, quo omnes bonos diligimus, ſed præcipuo quodam, & ſin-

(*a*) Ex tomo ſecundo, libro duodecimo Epiſtolarum Jacobi Sadoleti S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopi Carpentoractenſis Veronæ impreſſarum in Typographia Joannis Alberti Tumermani MDCCXXXVIII. excerpſimus duas Epiſtolas, quæ ſequuntur. Inter eas hæc eſt Epiſtola XXII., & habetur pag. 41., altera eſt numero X., & habetur pag. 17. In nuperrima vero collectione Conſtantii hæc habetur num. 387. poſterior num. 386.

(*b*) Antonius Florebellus Mutinenſis, primum fuit Eccleſiæ Cathedralis Mutinenſis Canonicus, poſtea Epiſcopus Lavellinus in Regno Neapolitano. Paulo IV. & S. Pio V. a ſecretis fuit una cum perilluſtri Joanne della Caſa. Tridentino Concilio interfuit. In magna exiſtimatione fuit apud doctos ejus ævi, cum Latine, Græce, & Hebraice ſciret egregie, ut teſtantur ejus lucubrationes. Mutinæ obiit anno 1574. Florebelli quoque vitam egregie, ut ſolet, ſcripſit Conſtantius, quam vide, ſi lubet, adjectam epiſtolis a Sadoleto Summorum Pontificum nomine ſcriptis.

Digitized by Google

& ſingulari amore. Quam animi mei propenſionem erga te, ſecuta aliquot locis inter nos, brevis quidem illa, ſed jucunda congreſſio, confirmavit. Neque vero, poſtea memoriam unquam tui, quanquam abſens, intermiſi. Sed quod uſu interdum venire ſolet, ut accidant res, occaſioneſque nonnullæ, quibus ad acriorem amicorum abſentium recordationem animus commoveatur: id mihi nunc contigit, adventu ad nos, vel reverſione potius, Antonii Florebelli noſtri. Quem & ipſum doctiſſimum juvenem, mihique cariſſimum, cum per ſe libentiſſime vidiſſem, tum acceſſio ad eam voluptatem, quam ex ejus adventu cæpi, non exigua fuit; quod is de abſentibus amicis, ac neceſſariis meis, ea quæ ſcire cupiebam, expoſuit mihi omnia, in quibus de te nobis ſermo, iſque jucundiſſimus. Faciebat autem & conditio temporum, & neceſſitas rerum communium: quas hodie videmus in grave diſcrimen adductas, ut in percontando de te diutius commorarer: partim id mihi ſumens ad animi ſolatium, & oblectationem: partim in eam ſollicitudinem, atque curam, quam pro Republica capio, convertens, & referens. Ac mihi quidem in magno meo, ac pene intolerabili dolore, quem ex Federici Fregoſii, utriuſque noſtrum, ut tute ſcis, amiciſſimi, ſummi præterea & ſingularis viri, ac Cardinalis, morte acceperam, non mediocris levatio erat tuarum inſignium virtutum, & mutuæ inter nos benevolentiæ commemoratio. De republica autem ita cogitabam, cum ea tali ſuo tempore ex tanti viri interitu graviſſime eſſet affecta, debere nos omnes, qui eam ſalvam, & incolumen eſſe cupimus, dare operam, & elaborare pro ſua quemque parte, ut ad ipſius gubernacula ii admoveantur, qui ferre illi opem, & ſubvenire periclitanti poſſint. Quo quidem e numero tu cum ſempre aptus, tum hoc tempore præcipue præſtans, eximiuſque judicaris: cum reliquis tot jam luminibus extinctis, eluceat virtus, & doctrina, & integritas tua. His ego curis, & cogitationibus excitatus præter & meam, & tuam expectationem, ut ad te ſcriberem, adductus ſum: non memoriam tui, & benevolentiam, tanquam obſoletam renovans, quæ ſemper apud animum incolumis ſervata eſt: ſed hoc recens tibi conſilium meum ſcribens, qui decrevi, & ſtatutum habeo curare, atque eniti quantum in me eſt, ut ab iis, quos penes eſt poteſtas, tui honoris ratio, & utilitatis ſimul Reipublicæ habeatur. Hoc ſi in urbe, & curia præſens adeſſem, agerem fortaſſe accuratius, & vigilantius. Nunc quando abſum longe gentium, ſicut ipſe perſpicis, ita contendam tamen, ut mea mihi teſte animi conſcientia, quam ego omnium rerum facio longe plurimi, nullum a me officium, quod ſit vel amicitiæ, vel Reipublicæ debitum, prætermittatur. Tu interim, ut valetudini ſervias, ſalvumque te nobis conſerves, & Iſidorum Clarium tuum, hominem doctiſſimum, virumque optimum, meis ut ſalvere verbis jubeas, abs te peto.

Carpent. MDXLI.

137 *JACOBUS SADOLETUS CARDINALIS* PAULO III. PONT. MAX. S. P. D.

Quam ab initio Pontificatus aſſecutus eſt famam laudemque Paulus III. ob delectum virorum clariſſimorum, quos ſummis auxit honoribus, eam ita optat Sadoletus ejuſdem peculiarem eſſe, ut nulla unquam ratione obumbretur. Confiſus hinc Pauli humanitate, & ſapientia talem audet proponere, qui damnum in morte Fregoſii allatum compenſabit, & quem certo novit adjumento maximo, & utilitati futurum Chriſtianæ Reipublicæ in tanto diſcrimine. Is autem eſt noſter Gregorius, de quo ea prædicat, quæ valent dignum illum reddere honore tanto.

PRimum deprecor Sanctitatem tuam, ut mihi liberius fortaſſe quam humilitatem meam deceat, meum apud ipſam deſiderium expromenti, ignoſcere ne gravetur: deinde quod dicturus ſum, pro ſua ſapientia examinet, & perpendat. In altero enim ſingularis tuæ Sanctitatis humanitas, in qua ipſa quoque vult, quam in honoribus fortunæ, eſſe excelſior, dat mihi fiduciam: alterum, quia cum utilitate Reipublicæ, & cum tua laude conjunctum eſt, dignum mihi videtur, quod & a me proferri, & abs te debeat diligenter conſiderari. Etenim, Pater Sancte, ego mecum ſæpenumero recordans illa præclara initia gerendi Pontificatus, tum cum Sanctitas tua correctione morum Sacerdotibus indicta, multiſque viris clariſſimis, & omni virtutis laude præſtantibus ad ſummos honores Eccleſiaſticos vocatis, univerſum terrarum orbem in ſpem meliorum rerum erexit; (Deum immortalem teſtor) cupivi ex eo tempore ſemper ut illa propria, & perennis tua eſſet gloria; neve eam unquam in deligendis optime meritis hominibus aliqua adjuncta obſcurior electio infuſcaret. Memini enim quanta celebritate famæ, quibus hominum ſermonibus, qua admiratione virtutis, prudentiæ, magnitudinis animi tui, illud egregium, & commemorabile facinus fuerit acceptum. Itaque ego, qui in colenda, amanda, venerandaque Sanctitate tua, arctiore multo beneficii vinculo, quam cæteri omnes, aſtringor: propterea quod alii multum quidem habuerunt in ſe omnes & virtutis, & meritorum, quamobrem beneficium tuum illis quodammodo debitum videretur; ego autem nihil: ſed omnis meus honos, meæque dignitatis amplificatio, liberum fuit judicium, & propria liberalitas Sanctitatis tuæ: ſicut plus quam cæteros tibi debere me intelligebam, ita majore etiam, quam illi, in tanta tua gloria, & prædicatione ampliſſimæ laudis animi lætitia, & voluptate perfruebar, qua aſſidue quoque in poſterum frui cupio. Nec mihi quicquam magis eſt in optatis, quam audire, Sancti-

ta-

tatem tuam; non cupiditatibus hujus, aut illius, ſed ſuæ potiſſimum ſapientiæ, & Chriſtiani nominis utilitati inſervientem: ſi ſupplendus Ordo noſter ſit, quem ſuppletum iri ſama nuntiat, habere hominum digniſſimorum, ut ſolita eſt, delectum, & optimos, ac doctiſſimos in ampliſſimum Collegium adſciſcere. Namque, Pater Sancte, præter communis Reipublicæ commodum, quæ inclinata jam, & propemodum corruens, talibus columnis maxime fulcienda eſt, hi præterea ſoli omnino ſunt, qui fidem præſtant ſuam honoris ſui auctoribus: quique eos & in ipſis, & in poſteritate eorum, ſemper ſalvos, honeſtos, florenteſque eſſe cupiunt: cæteris (ut Sanctitas tua animadvertere ſæpe potuit) qui non ex virtute, ſed ex ambitione lecti ſint, ſtudia, & actiones ſuas, non officio, aut honeſtatis decore, ſed emolumenti compendio fere dirigentibus. Atque hæc quidem tuæ Sanctitatis erit conſideratio, illud meum deſiderium, de quo agere eram exorſus, ut in habenda Cardinalium cooptandorum ratione unum tibi hominem nominarem, tua (ut dixi) benignitate fretus, quem certe dignum omni honore arbitror, & in quo ornando judicium tuæ Sanctitatis ſummam conſecuturum laudem non dubito. Is autem eſt Gregorius Corteſius Abbas, de quo nemo eſt profecto qui neſciat, quæcumque in magno, & bono Sacerdote poſtulanda ſint, omnia in eo excellenter ineſſe, ingenium, conſilium, eloquentiam, doctrinam, & quæ his quoque laudabiliora ſunt, quoniam Chriſtianis moribus ſunt propiora, pietatem præterea, continentiam, religionem. Neque vero aliter de eo Sanctitas tua judicavit, tum cum eum vocandum in conſilium maximarum rerum putavit. Hunc igitur ego in ſupplendo Cardinalium Collegio Sanctitati tuæ vehementer cupio eſſe commendatum. Et eo magis quod Federico Fregoſio tanto, & tam præſtante Cardinali nuper amiſſo, dolorem quem ex illius morte incredibilem accepimus, hujus honore, ſi tua ita voluntas fieret, conſolabimur. Atque ipſe quidem nihil omnino hujuſmodi rerum cogitat: ego autem laboro, qui & illum diligo, virtutis quidem cauſa; & in primis tamen decus Sanctitatis tuæ habeo mihi ante oculos propoſitum. Ad cujus inſignem laudem ſi hoc factum redundaturum eſt: ſi conſuevit ipſa nihilominus honores Eccleſiaſticos talibus viris libenter mandare: ne aſpernetur quæſo preces, & obſecrationes meas: meque dignum efficiat, cujus voluntati ſuam rectiſſimam, & benigniſſimam accommodet voluntatem. Equidem, Pater ſancte, ſi hoc me beneficio, & Chriſtianam mecum una Rempublicam affectam eſſe videro, qui ſum plurimis jam tuis erga me meritis devinctus, maximo me hoc munere cumulatum arbitrabor: tibique perpetuas & agam, & referam quoad licebit, habebo quidem certe, & prædicabo gratias. Deum Omnipotem oro, ut Sanctitatem tuam ſalvam, & florentem diu nobis conſervet.

Carpentor. VII. Kalend. Decembris MDXLI.

138 *GREGORIO CORTESIO ABBATI* DIONYSIUS MONACHUS S.

Per longum tempus litteras non dedit Dionyſius Gregorio, quem exiſtimavit in Germaniam profectum eſſe. Eum cum nunc noverit gravi morbo laboraſſe, ex animo optat audire plene jam reſtitutum. Nuntiat eſſe jam ad bonam frugem redactas Taraſconenſes Virgines ſibi creditas; earum in pietate ſtudium, exercitationes in litteris recenſet. Carmen tranſmittit Vulteri cujuſdam, qui Gregorii virtutum fama commotus, eum impenſe coluit.

ANno præterito nullas ad te litteras dedi non oblivione quidem tui; quem mihi excidere tam difficile puto, ut mei, quam tui facilius oblivisci poſſe videar: ſed cum te in Germaniam profectum eſſe Pauli Pontificis juſſu accepiſſem, debitum tibi a me officium intermiſi. Nuper vero cum a Laurentio Cremonenſi de te percontarer, nuntium mihi attulit, quo gaudere, an dolere debeam nondum ſatis conſtitui. Nam te gravi morbo laboraſſe ajebat, ut vita tua Medicis in dubium veniſſe videretur: quorum tandem ſtudio, ac diligenti cura, Deoque in primis auctore, te periculo exceſſiſſe narrabat, tametſi adhuc morbi reliquiis ſtomachus male affectus nullum cibum niſi invitus, & quaſi nauſeabundus admitteret, eaque cauſa te Mutinam migraſſe, ſi forte nativum Solum, Cælumque reliquas illas languoris moleſtias poſſet excutere. Unde tranquillo animo eſſe vix poſſum quoaduſque te plene reſtitutum audivero. Faciat Deus Optimus Maximus, ut te diu ſuperſtitem, atque incolumem habeamus. De me ſi ſcire cupis, ego in præſentia belle (Dei gratia eſt) habeo, & poſt multos anxioſque labores ſolito quietius ago. Nec earum pars maxima, quæ noſtris conatibus reſiſtebant, veluti feræ indomitæ vagis diſcurſibus aſſuetæ, caveæ clauſtra ferre non potuerunt, exceptis perpaucis, quæ tametſi rancidam illam vetuſtatem redolere adhuc videntur, noſtra tamen, & bonarum Virginum ſtudia, ut olim, oppugnare non audent. Sunt tamen ejuſmodi, quarum mores tolerare oporteat. Reliquæ vero diverſo ab iis itinere gradiuntur, quæ Chriſtum conciliare cupientes in die, noctuque operam navant, ut illi caſtiſſimis moribus, & variis virtutum ornamentis placere poſſint. Litteris incumbunt omnes, & Libros non minus quam fuſos, aut rumbos diſcunt volvere. Divi Cypriani, & Hieronymi epiſtolas aliquot prælegimus, & ex Divo Ambroſio, & aliis auctoribus diverſa, prout illarum uſibus conſentaneum quippiam, aut profuturum judico: Ciceronis Officia, & ejuſdem Lælium, inſuper & multas Salomonis parabolas, quas etiam jubente me memo-

moriæ mandant. Id qui volet mihi vitio vertat, attamen & principibus ipſis, & fere omnibus, ſed præcipue litteratis viris tam gratum videtur, ut Collegii hujus nomen ubique fere per totas Gallias, ſed maxime apud Aulam ſit famoſiſſimum. Unde & nobiles viri, qui Filias ſuas Virginitati dedicare volunt, ad noſtrarum exemplum eas cupiunt inſtitui, ſatius exiſtimantes eas noſſe, quæ legunt, aut cantant, quam picarum more, quæ ticunque legere didicerint ore tantum proferre. Præterea ut te amari, colique etiam ab iis, qui te nec de facie noverunt, intelligas, mitto ad te Carmen hoc Joannis Vulteri juvenis eruditiſſimi, & qui magnum jamjam ſuæ eruditionis, & virtutis ſpecimen præbuerat ſi non immatura morte ſublatus fuiſſet. Is enim de te cum apud Aulam Regis inter viros doctos honorificam mentionem fieri audiſſet, vehementer te amare cœpit, antequam noſſet. Cæterum tua Paternitas Dionyſio tuo veniam dabit, ſi te longioribus, quam par eſt, verborum ambagibus detinere videatur. Vale. Taraſcone Nonis Februariis. Raptim, & digitis intenſo frigore ſtupentibus. MDXLII.

139 *GREGORIO CORTESIO ABBATI*

DIONYSIUS MONACHUS S.

Cum non ſemel Gregorium ſummis honoribus decoratum fama retulerit, hanc aliquando vera ominari deſiderat. De rebus ſuis omittit Dionyſius nunc dicere; de his communes Patres docebunt Gregorium, cui novas profert animi ſui ſignificationes.

TU vide quam de te boni omnes ſententiam ferant. Anno elapſo fama percrebuerat te a Summo Pontifice maximis honoribus fuiſſe affectum, unde ego illorum ſermone permotus gratulari tibi per litteras volui. Deinde vero quidam ex meis amicis poſteaquam res ut erat (accepi) Pariſiis huc veniens id mihi iterum nunciavit, putans nimirum, ut ego exiſtimo, ſe mihi rem gratiſſimam, jucundiſſimamque eſſe facturum. In qua ſententia illum, atque item alios eſſe facile patior, ſi forte aliquando vera ominati eſſe videantur. De rebus meis, ne te tandiu obtundam, nihil eſt ſane novi quod ad te ſcribam, nam de his publice ad Patres litteras ſatis amplas perſcripſi. Hoc unum tantum addam, tui memoriam a me ſumma cum pietate, benevolentiaque retineri, tamque tenaciter cordi noſtro eſſe affixam, ut nullis terrarum, aut temporum ſpatiis, neque aliqua unquam poſſit calamitate divelli. Vale. Taraſcone.

Digitized by Google

140 *PAULUS PAPA III.*

Dilecto Filio noſtro Gregorio Corteſio S. R. E. Presbytero Cardinali.

Elegiſſe ſe Gregorium in Cardinalem nuntiat Summus Pontifex. Hortatur, & injungit, ut quam primum ad ſe veniat; litteras & honoris inſigne per Cornelium Bellincinum mittit.

Dilecte Fili noſter Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Hodie in his ſacris Jejuniis, atque in Conſiſtorio noſtro ſecreto, inducti ſingulari tua probitate, religione, integritate, ac doctrina, te Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyterum Cardinalem cum Dei nomine, de Venerabilium fratrum noſtrorum, ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio, creavimus: firmiter ſperantes, quod his difficillimis temporibus, tua opera, & conſilio nobis, & ornamento futurus ſis, & adjumento. Cui noſtræ ſpei, ut (quemadmodum te dignum eſt) reſpondeas, utque a nobis pileum rubrum Cardinalatus inſigne, juxta veterem, & probabiliorem morem præſens accipias, te hortamur, tibique injungimus, ut primo quoque tempore venire matures ad nos, qui te libentiſſime videbimus. Interea has noſtras litteras teſtes, ac nuncias tuæ dignitatis, una cum birreto rubro, de more a nobis benedicto, per dilectum filium Cornelium Bellencinum nepotem tuum ad te mittimus, quas tu debita cum reverentia recipies.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo piſcatoris die II. Junii MDXLII. Pontificatus noſtri anno octavo.

141 *PAULO III. PONT. MAX.*

Cum ſe nihil tale nec cogitantem, nec meritum tanta dignitate auctum intelligat, grates agit Gregorius Summo Pontifici, & quamquam expectationi de ſe conceptæ reſpondere longe difficillimum ſentiat, ſtudium tamen omne fidemque erga S. Sedem Apoſtolicam, amorem præterea diligentiamque pollicetur. Poſtulat demum, ſi Summus Pontifex annuat profectionem ſuam ad Kalendas Septembris rejici, tum ut Mantuani Cœnobii rationes confectas relinquat, tum ut melius imbecillæ adhuc valetudini conſulat.

Vix fieri poſſe crediciſſem, ut oculis Sanctitatis Veſtræ in ſupremo rerum vertice conſtitutis, inter tot graves, tamque multiplices curas, quibus in Chriſtianæ Reipublicæ gubernatione animum ejus neceſſe

eſt

eſt diſtrahi, ego in infimis poſitus, & velut in abdito quodam deliteſcens, aliquando poſſem occurrere; præſertim cum memetipſum penitus intuens, nihil cognoſcerem, quod a longe quaſi lumen aliquod elucere poſſet. Enimvero cum fama primum, deinceps compluribus nunciis, poſtremo honorificis Sanctitatis Veſtræ litteris factus ſum certior, me in Sacroſanctum Cardinalium Collegium cooptatum, equidem ſic exhorrui, ut vix longo demum intervallo animum potuerim recolligere. Ab ejus enim rei expectatione adeo longe aberam, ut nec mihi aliquando in mentem venerit, tale quippiam ſuſpicari. Præclareque mecum agi putabam, ſi in inferiori ordine, & gradu conſtitutus, ea quæ mei muneris eſſent præſtitiſſem. Cum vero intellexi id etiam ea ratione factum, quod ſpes aliqua eſſet, me Sanctitati Veſtræ opera, & conſilio iſtis difficillimis temporibus & ornamento, & adiumento futurum, gravem mihi adverſariam conſtitutam eſſe perſpexi, concitatam de me expectationem: quam decipere quodammodo nefarium, ſuſtinere autem longe difficillimum eſſet. Ego certe, Pater Sancte, cum me ob iſtud veſtrum de me judicium obſtrictum videam memoria beneficii ſempiterna, & non modo ad referendam gratiam, ſed nec ad habendam quidem, aut prædicandam ſatisfacere poſſim, quod unum poſſum polliceor, eximium ſcilicet, ac ſingulare ſtudium, fidemque erga Sanctam Sedem Apoſtolicam, univerſamque Sanctitatis Veſtræ cognationem. Qua in re, etſi fortaſſe cæteris ordinis noſtri ingenio, eruditione, & uſu rerum, amore tamen, diligentia, atque fide nemini certe ſum conceſſurus. Quod vero ad profectionem meam ad urbem attinet, quam, ut ampliſſimæ hujus dignitatis inſignia præſens accipere poſſim, primo quoque tempore Sanctitas Veſtra aggredi jubet, etſi optabiliter nobis iter illud eſt ineundum, quo ad beatorum pedum oſcula, ad agendas gratias, & ad munus noſtrum exequendum ociſſime advolem; attamen ſi Sanctitas Veſtra a ſe impetrari permittet, ut iſthæc noſtra profectio in Calendas Sept. reiici poſſit, iſtud profecto multis de cauſis rationibus noſtris conducere videretur. Primum quidem, quod celeberrimi hujus cœnobii, cui præfui quinquennio, rebus conſtitutis, rationes omnes confectas, ſolidataſque relinquam. Deinde quod cum proxima hyeme, & vere toto ſatis vehementer ægrotarim, tum demum valetudine melius confirmata, jactationem, cæteraſque itineris moleſtias abſque omni periculo ſuſtinebo. Poſtremo, quod æſtivis caloribus mitigatis, quibus imbecillia corpora maxime tentari ſolent, expeditius, & majori cum ſecuritate iter conficiam, qua in re, ita demum conſilium noſtrum S. V. probatum eſſe cupio, ſi nulla ex parte ab ejus animo, & voluntate diſcreparit. Cum enim ad hanc ætatem omne vitæ meæ curriculum ita ſemper dirigendum eſſe duxerim, ut quaſi ſignum mihi eſſet propoſitum, ad quod omnes actiones meas intenderem, Superiorum meorum in primiſque Beatitudinis Veſtræ voluntas, nunc eo magis enitar, ut omnes obedientiæ numeros, parteſque impleam, quo

quaſi

quaſi membrum proxime capiti adjunctum, totam vivendi rationem, tanquam vitalem ſpiritum potiſſimum a Sanctitate Veſtra petere, haurireque debeam. Incolumem Sanctitatem Veſtram Deus Optimus Maximus ſervet.

Ex cœnobio S. Benedicti Mantuani III. Idus Junii MDXLII.

142 PAULO III. PONT. MAX.

Summas Summi Pontificis laudes proſequitur in adminiſtranda difficillimis temporibus Chriſtiana Republica. Inter complura ejus præclare geſta omnium conſenſione celebrat admirandum illum virorum delectum, quos in Cardinalium collegium cooptavit; ſed cum inter hos adlectum ſe quoque videat, quamquam de Summi Pontificis conſilio nefas exiſtimet judicare, agnoſcit tamen expectationi ſe non reſponſurum. Fidem, obſequium, obedientiam præſtabit maximam, iterumque agit gratias.

CUM in hoc extremo rerum omnium diſcrimine, atque in iſtis difficillimis temporibus mirificos Sedis Apoſtolicæ labores, ancipites variosque caſus intueor, rurſuſque excelſi, conſtantiſque animi Beatitudinis veſtræ magnitudinem, neminem adeo impium fore arbitror, qui denegare audeat, divinitus iſtud procuratum fuiſſe, ut qualia pericula, quantique labores futuri erant Reipublicæ Chriſtianæ, talis etiam, tantuſque propugnator, & conſervator exiſteret. Ut enim a maximis periculis initium ſumam, quis non videt jam inde a Chriſti Salvatoris noſtri obitu, cujus tu vim, nomenque ſanctiſſime refers, nunquam uno eodemque tempore, tot prodigioſis dogmatibus, tot monſtris opinionum veram ſanctamque religionem non oppugnatam modo, ſed debilitatam propemodum fractamque fuiſſe? Cum interim univerſo Chriſtianorum nomini bellum violentiſſimus hoſtis indixerit, & fere omnium qui aliquando fuerunt, Rex maximus, atque potentiſſimus, longeque præterea ſævior, & perniciosior peſtis adhæreat viſceribus. Crudeliora namque inter ſe Chriſtiani Reges bella hactenus geſſerunt, quam a Turcarum Imperatore ipſis Chriſtianis fuerint illata. Quantos vero contra hæc omnia labores S. V. ſuſceperit, ſatis declarant ætate jam ingraveſcente ſæpius ſuſcepta itinera, ut ad congreſſum eorum perveniret, quorum animis reconciliatis, pax intus, foris victoria futura eſſe ſperabatur. Nec Te aliquando ab ejuſmodi laboribus aſperitas viarum, aut longitudo itineris retardavit. Quo vero ſtudio, quave laboraveris diligentia, ut eos qui in ignorantiæ dicam, an magis pertinaciæ tenebris errant, ad veritatis lucem revocares; teſtes ſunt viri doctrina, & ingenio excellentes, quos maximis ſumptibus, paternaque ſollicitudine ad eos, velut ad oves perditas, ſæpius deſtinaſti: teſtes indicti conventus, ad quos univerſos Chriſtia-

ſtia-

ſtianorum ordines edictis publicis, publicoque præconio tanquam e ſublimi quodam excelſoque loco convocaſti. Sunt iſta quidem maxima Pater Beatiſſime, Dei Optimi Maximi Vicario digniſſima, quæque Chriſti Salvatoris noſtri animum, pietatemque referant. Eſt tamen aliud quiddam longe majus, quod mirificis laudibus uno omnium ore celebratur, quoque non ſolum cæteros omnes, qui ante Te fuerunt, ſed Te ipſum etiam, tuaſque præclaras actiones longo intervallo ſuperaſti, admirandus ſcilicet ille virorum delectus, quos in Sacroſanctum Cardinalium Collegium cooptaſti, in quo tantum abeſt ut aliqua ſubſit opinio ſordidi, illiberaliſque quæſtus, ut admirabili etiam diligentia ipſam Italiam, omneſque exteras nationes animo, menteſque ſæpius peragraveris, ut vitæ ſanctimonia, doctrina multiplici, uſu rerum, ingenioque præſtantes viros, velut e tenebris eductos ad lucem, ignaroſque omnino ejus rei ad ſummum gradum ordinemque proveheres, eſque id eo conſilio aſſecutus, ut quaſi pratum quoddam multiplici florum varietate ſuaviſſimis odoribus, coloribus diſtinctum, ſic ampliſſimum iſtud Collegium omni virtutum, omni doctrinarum genere ornatum, refertumque intueamur. Cum vero hæc ſapienter, divinituſque geſta, non modo tacitus mecum admirarer, ſed maximis etiam laudibus celebrarem, repente nec ſperantibus, nec opinantibus nobis redditæ ſunt S. V. litteræ, quibus me quoque in Sacroſanctum illud Collegium, inter tot Chriſtianæ Religionis lumina adſcriptum, cooptatumque refers. Qua in re etſi nefas omnino judico de Beatitudinis Veſtræ conſilio judicare, cum tamen me ipſum penitus cognitum, perſpectumque habeam, videamque omnino futurum, ut tantæ de me expectationi, quantam in eiſdem litteris concitatam fuiſſe S. V. ſcribit, minime ſim reſponſurus, ſummopere vereor, atque adeo pertimeſco, ne maximæ illi providentiæ qua hactenus uſa eſt in ejuſmodi delectu habendo, aliqua meo nomine macula inuratur, quod acceſſione iſta dignitatis tantum mihi onus impoſitum cognoſcent omnes, ut facilius opprimi poſſim, quam illud valeam ſuſtinere. Sed quoniam in re, locoque admodum difficili verſatur oratio; & fieri nequit, ut Sanctitatis Veſtræ præceptis non obtemperem, quam divino inſtinctu agi mihi certiſſime perſuaſum eſt; illud tantum habeo polliceri, me quidem cæteris ingenio, eruditione, & rerum experientia conceſſurum, ſed neminem fore, qui præceptis Sanctitatis Veſtræ obſequentior, & ad omnem nutum paratior inveniri poſſit. Quod nolim tamen arroganter dictum exiſtimari, ſiquidem cæteras morum, intellectuſque virtutes concedens multis, ſi illud mihi aſſumpſero quod diligentis, obedientiſque proprium eſt, quoniam ſedulo ſtudioſeque in eo ab adoleſcentia verſatus ſum, jure illud meo mihi quodammodo vindicabo. Reliquum eſſet, ut Sanctitati Veſtræ pro iſto de me judicio, proque ampliſſimo honore delato gratias agerem: ſed quoniam quibus id verbis, quave ratione ſit faciendum ne cogitari quidem a me hactenus potuit, & quæ debetur

betur gratia minime a nobis prædicari, aut celebrari poteſt, habebo certe & immortalem, & quantam animus noſter capere poterit.

143 *GREGOR. CORTES. CARD. AMPLIS.*

DIONYSIUS S.

Cum, prater communes omnium, peculiares habeat Dionyſius rationes gaudendi de honore Gregorii præ cæteris gaudet. Semper quidem optandum ad gubernandam Chriſtianam Rempublicam eos aſſumi, qui valeant impiorum conatus retundere; nunc tamen multo amplius in tanta temporum iniquitate. Ad opus tantum nemo Gregorio melior. In ſpem ergo erigitur Dionyſius tandem imminere ſibi gaudium ob repreſſos hominum impetus, & ob res Chriſtianæ Reipublicæ compoſitas.

UBI primum de nova iſta tua dignitate jucundus mihi allatus eſt nuntius, in Chriſto ſumma obſervatione digniſſime, quanta lætitia repletus ſim, ſatis pro mea in te pietate, ac reverentia, proque tua in me viciſſim benevolentia, & charitate potes conjicere. Quis enim non gaudeat eos Eccleſiæ Dei tanquam navi jam propemodum ſubmerſæ gubernatores contingere, quorum virtute, atque induſtria ſpes magna ſit nos tandem, aſpirante Domino, de tot tantiſque periculis emerſuros? Unde ingens ab omnibus Chriſtianis Summo, ac Beatiſſimo Pontifici noſtro debetur gratia, qui tales ad moderandos ventorum flatus, regendoſque ſibi adjutores aſſumpſerit, quorum in Dei rebus ſpectata fides, & doctrina cum vitæ ac morum integritate conjuncta reflantibus undique ventis poſſit reſiſtere. In quorum numerum cum tu merito aſſumptus ſis, præter eam, quæ communis eſt omnibus, lætitiæ rationem, præcipua mihi præ cæteris gaudii & piæ exultationis offertur occaſio, quod te ſodalem olim mihi ſuaviſſimum, poſtea vero Patrem, atque Magiſtrum omni officio, ac pietate colendum his honoribus affectum videam, quibus quanto tibi auctoritas major accedet, tanto majora commoda ſperare audemus. Quamobrem mihi gaudens, tibi maxime gratulor, atque utilitati omnibus, & tibi ut ſempiternæ laudi ſit iſtud publicum munus exopto. Quod ſi ſera nimium mea gratulatio videatur, non tamen indigna, quæ debeat excuſari. Quia enim longe aberam, ſero audivi; ſed tibi etiam atque etiam gratulans, Deo in primis gratias ago, cujus providentia non temere factum putem, ut in hæc tam iniqua, & perturbata Chriſtianæ Reipublicæ tempora reſervatus afflictis, & jamjam propemodum labentibus Eccleſiæ rebus pia ſollicitudine ſubvenires, dum tu videlicet contra procellarum undique ingruentium ictus, & violentos im-

petus

petus Sacra Orthodoxæ Fidei Dogmata ſapienter opponeres, nec minus impiam defectorum blaſphemiam, turpiſſimoſque errores morum candore, caſtimoniaque, quam (quæ in te ſumma eſt) eloquentia, atque doctrina retunderes. Quare etſi vix ulla major ex pernicie, & peſte Reipublicæ Chriſtianæ moleſtia piis mentibus oriri poſſe videbatur, quod extrinſecus ab Hæreticis impugnata non minus forte intrinſecus falſorum Chriſtianorum perverſis moribus fatigaretur, eſt tamen omnino nunc conſolabilis dolor, quod in tempeſtatibus, & quaſi perpetuis tenebris lumen, quod hactenus quaſi ſub modio latebat, cœlitus miſſum in ſummo malo, & in ipſis antennis dextero ſidere radiet. Quo fit ut jamjam defatigatis, ac diu multumque vexatis animis cum B. Job poſt tempeſtatem, & tenebras, ſerenitatem & lucem ſperare liceat. O ſi tandiu mihi vivere pius Jeſus concedat dum Eccleſiæ ejus pacem videam reſtitutam, ut pacatis tandem, compoſitiſque fluctibus nos mutuo cohortantes Alleluja decantemus? O ſi ad antiquitatum exemplar, reformatis Eccleſiæ moribus, Monaſticæ Religionis ex antiquis radicibus nova germina repullulaſcere videam? Tunc lætabundus, & cum tremore exultans in Domino novum illud cum juſto Simeone Canticum frequentarem: *Nunc dimittis Servum tuum in pace*. Hoc autem tuo, Pater ampliſſime, & aliorum tui Ordinis beneficio nos poſſe conſequi confidens Deum enixe rogo, ut quibus velle dedit, det etiam id poſſe efficere pro bona voluntate. Vale. Taraſcone.

144 *GREGORIO CORTESIO CARD.* DIONYSIUS S.

Pro eo ſenſu, & pietate quæ Chriſtianum hominem decent, lætatur Dionyſius in Gregorii honore, cujus utilitatem ſentiet jamjam univerſa Chriſtiana Reſpublica. Hæc in calamitoſiſſimis temporibus cum doctis, ſapientibus, probiſque indigeat moderatoribus, meliora omnia ſperare poteſt a Gregorio. Ei igitur toto animo gratulatur, gratulantur Lerinenſes Monachi, Virgines Taraſconenſes.

JAmdudum quaſi divinarem novam iſtam dignitatem antequam fugientem te conſequuta eſſet, tibi gratulabar amicorum utique rumoribus hinc inde incitatus. Nunc autem quando omen ipſum tam feliciter, atque ex animi noſtri ſententia accidiſſe intelligo, tanto ſum gaudio, lætitiaque affectus, ut verba, quibus eam explicem, non reperiam: Nam etſi nemo eſt, cui ex hac re gaudii non ſit oblata occaſio, attamen peculiarem quandam mihi præter cæteros contigiſſe ſatis pro tua erga me benevolentia, & mea in te pietate, atque obſervantia potes exiſtimare. Quis enim Chriſtiani hominis ſenſum habens non gau-

gaudeat afflictæ, ac jamjam omnino oppreſſæ Reipublicæ Chriſtianæ tales, qualis tu es, rectores, moderatoreſque contingere? Quorum prudenti conſilio, atque ope perditiſſimorum hominum auſibus temerariiſque conatibus oppreſſis, res erigi Chriſtiana inſtaurarique, & quorum etiam doctrina, & exemplis errorum caligo depelli, & morum diſciplina reſtitui tandem poſſit? Unde cum mihi ipſe gaudeo, tum tibi, & univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ ſerio, atque ex animo gratulor, & ut tibi dignitas iſta bene vertat, & Chriſti Eccleſiæ ſolatio, & perpetuæ utilitati ſit, Deum oro. Quod quidem ipſum idcirco futurum non deſpero, quod ſicut ante ad te præſcripſeram, non ſine divina providentia, & conſilio factum puto, ut in hoc Reipublicæ Chriſtianæ calamitoſum tempus incideres, quo in ipſum diſcrimen operam, ac ſtudium tuum conferres, & turbulentiſſimis, ac jam propemodum deſperatis rebus pia induſtria ſubvenires. Quare jam in ſpem venio appropinquare illud tempus, quo Deus humani generis calamitates miſeratus non patiatur hominem in tenebris, veritatis ignoratione, diutius oberrare, quandoquidem tot malis, & tam condenſis tenebris, quæ his deploratis temporibus Mundum fere univerſum occupaſſe videntur, tam appoſita remedia, tamque præclara lumina proferre voluerit. Neque id temere dico, nam ut ſperare id audeam, & inflammata in id divinitus voluntas tua, & cum cæteris animi dotibus, & ornamentis explorata in Dei rebus fides facile perſuadent. Cæterum Lerinenſes tui, Abbas in primis, & reliqui omnes ad unum Amplitudinem tuam quam poſſunt officioſiſſime ſalutant, tibique ex animo gratulantur, quod itidem Virgines Taraſconenſes tuæ Paternitatis obſervantiſſimæ faciunt. Nam antequam huc, ubi animi cauſa dies paucos futurus ſum, veniſſem, jucundus de te mihi atque illis allatus eſt nuntius. Vale.

Lerinæ Kal. Auguſti MDXLII.

145 *P. CARDINALIS BEMBUS* GREGORIO CARD. CORTESIO S. (a)

Quem jam antea curavit, & credidit in Cardinalium Collegium cooptandum, ei nunc cooptato gratulatur ea potiſſimum de cauſa, quod ejus dignitas in ea tempora reſervata ſit, in quibus & doctrina, & auctoritas, & religio profutura eſt maxime Chriſtianæ Reipublicæ in proxime concelebrando Chriſtiani orbis concilio.

HEri te in noſtrum Cardinalium Collegium a Paulo III. Pontifice Maximo incredibili totius ordinis conſenſu cooptatum fuiſſe valde lætor.

(a) Petrus Bembus ex prænobili Familia Venetiis ortus eſt anno 1470. patre Bernar-

lætor . Quod quidem tametſi ſerius factum eſt , quam oportuit, quamque ipſe credideram futurum : nam cum anno ſuperiore apud illum hac ipſa in cauſa plurimum de te ſermonem habuiſſem ; ſic ab eo diſceſſi , ut confiderem cum iis , qui paucos poſt dies eundem honorem aſſequuti ſunt , te renuntiatum iri : tamen cum ſit is univerſi Chriſtiani orbis concilium , hyeme proxima concelebraturus ; a Deo Optimo Maximo te in hoc tempus reſervatum facile crediderim , ut tibi ad hoc muneris acerſito ſtatim quaſi campus latiſſimus pateat ; in quo ſe virtus laudabiliter oſtendere , & exercere poſſit tua . Quare de eo non tibi ſoli gratulor , cujus nomen, doctrina tua excellens , religio , pietas , incomparabilis prudentia , tam clarum jam apud omnes gentes reddiderunt , ut poſtrema hæc dignitas non tam priorem tuam dignitatem auxiſſe , quam ad illam acceſſiſſe videatur , ſed & collegio ipſi noſtro ; quod mehercle te addito valde erit poſthac ornatius , & toti plane Reipublicæ quam quidem es ab iis hominibus , qui eam hoſtiliter invadunt , tuo illo prope divino ingenio , & ſapientia , & reliquarum virtutum plurimarum , tamquam acie , ac robore peropportune defenſurus , eique magnæ tum gloriæ , tum utilitati futurus . Me quidem habebis eundem in poſterum , quem adhuc multos ab hinc annos habuiſti amantiſſimum , & cupidiſſimum tui : & præterea , quoniam in eodem collegio erimus , & in conſiliis capiendis , & in ſententiis dicendis , & in omni vita tecum in primis conjunctiſſimum . Vale.

III. Nonas Junii MDXLII. Romæ.

nardo , matre Helena Marcella . Cum pater Florentiæ legatione fungeretur , ibi Petrus Hetruſcæ linguæ candori ſtuduit, Græcam linguam Conſtantino Laſcaris præceptore in Sicilia didicit , Philoſophiam Ferrariæ ſub Nicolao Leoniceno . Ejus opera eleganter admodum ſunt ſcripta , nonnulla tamen licentiora ſunt , quam par eſſet . Mulieris cujuſdam amore captus , nolens præterea ab ſtudio litterarum abduci munera quæcunque reſpuit , quæ Venetorum Reſpublica ei obtulit , & penitus delituit , donec Leo X. eum ſibi a Secretis eſſe voluit , & in illas negotiorum tricas detruſit , a quibus tantopere abhorrebat . Negotiorum aſſiduitate imbecilla adeo valetudine uti cœpit , ut Roma diſcedens Patavium venerit , ut ibi reſtitueretur priſtinæ incolumitati . Leone X. vita functo Venetias ſeceſſit , ibique tranquillo otio vixit , donec Paulus III. anno 1538. Cardinalium collegio Petrum adſcripſit . Is nihil tale umquam cogitaverat , quin delatum honorem fere recuſavit . Poſtquam Eccleſiæ ſacris addictus fuit , mores induit a primævis alienos , & Eccleſiaſtico homine dignos . Epiſcopatu Eugubino primum , poſtea Bergomenſi decoratus optimi Paſtoris partes omnes explevit . Occubuit anno 1547. , ætatis 76.

146 PETRO CARDINALI BEMBO

Petri Cardinalis Bembi humanitati, ac benevolentiæ cum ſe debere plurimum fateatur Gregorius, concitatæ tamen expectationi defuturum ſe arbitratur tum in cæteris omnibus, tum in proxime celebrando Concilio, cum præſertim Cardinalium collegium tot aliis, tantiſque viris refertum ſit omni eruditione, doctrinarumque omnium ſplendore clariſſimis, a quorum veſtigiis abeſſe ſe longiſſime cenſet.

FAcit tua ſingularis humanitas, & perſpecta erga me benevolentia, ut eadem tibi, cæteriſque de me audeas promittere, quæ ego de te ipſo, ſummiſque tuis virtutibus, tuto ac veriſſime polliceri poſſem. Hæcque potiſſimum cauſa fuit, ut tantam operam, curamque ſuſceperis, quantam & tu in litteris tuis ſcribis, & mihi certiſſime eſt perſuaſum, ut ego in iſtum ampliſſimum, ſacroſanctumque ordinem cooptarer. Qua quidem in re cum ita a te laboratum ſit, ut nullam rationem præterieris ornandi mei, vereor ſane, ne me tantis præconiis, & ejuſmodi laudibus, maximo tuo periculo obligaris, & cum ego ſolvere nequeam, tibi dependendum ſit, quod Paulo III. Pontifici Maximo, cæteriſque pro me adeo prolixe ſpopondiſti. Reciperem fortaſſe me omni diligentia, omnique ſtudio poſthac curaturum, ut, quoad poſſem, maximæ illi expectationi a te potiſſimum concitatæ aliqua ex parte reſponderem, niſi cernerem ſacroſanctum iſtud collegium viros fere omnes doctrina, ingenio, vitæ ſanctitate, cæteriſque animi virtutibus adeo illuſtres, eximioſque habere, ut nullus non inſcitiæ modo, ſed nec, ut ita dicam, mediocritati virtutis in eo locus videatur, nihilque niſi ſublime, & excelſum de ſe ipſis cum polliceri, tum maxime præſtare eos oportere, qui in illum ordinem, gradumque deliguntur, cum etiam quod ad concilium attinet, quod proxima hyeme celebrandum ſcribis, pleroſque in iſto collegio videam ita eloquentia, multiplicibus linguis, & eruditione Sacrarum litterarum præditos, ita denique in omni doctrinarum genere excellentes, ut nihil præterea oportuerit deſiderari, niſi Paulus Max. Pontifex admiranda quadam ſapientia, & pene divino conſilio, ſi quid uſpiam eſt adeo perfectum, quod omnes in ſe habere numeros virtutis videatur, illud totum ampliſſimo iſti collegio deberi exiſtimaret. A quo quidem ego tam longe abſum, ut ad id etiam niti quod aſſequi nequeam, ſupervacuum, & temerarium videatur. Veruntamen, quoniam tecum propediem futurus ſum, quo cum omnia quæ me maximis curis afficiunt communicare potero, brevi quod nunc inſtat expediam. Ita tibi velim perſuadeas, nihil mihi gratius, jucundiuſve futurum, quam aſſiduam tui conſuetudinem, & in omni vita conjunctionem. Vale.

Ex Monaſterio S. Benedicti Mantuani III. Cal. Julii MDXLII.

147 CAR-

147 *CARDINALIS RODULPHUS* GREGORIO CARD. CORTESIO S. (*a*)

Sapientiſſimo, & optimo conſilio egiſſe aſſerit Rodulphus Summum Pontificem, a quo nunc demum in Cardinalium Collegium adſcitus eſt Gregorius, cum maximæ Reipublicæ Chriſtianæ anguſtiæ viris indigent doctiſſimis, & optimis, qui eamdem Remp. adminiſtrent. De hac re ei gratulatur, & ſibi, cui placuit ſtudioſæ voluntatis ſuæ teſtimonium dare.

GRatulor tibi vir optime, quod eum honorem, qui probitati, virtutique tuæ jampridem debebatur, conſecutus ſis: Deumque Optimum Maximum teſtor, tantam me cæpiſſe ex hac tua dignitate voluptatem, quantam capere debet quicunque bonos in pretio eſſe, ac virtutem ipſam honori eſſe lætatur. Noveram quidem ipſe ingentem doctrinam tuam, ſummamque animi tui moderationem, & probitatem, taciturſque prope indignabar, quod tam ſero in noſtrum hoc ſummopere Patrum Collegium aſciſcereris; id quod ego propterea deſiderabam, ut ipſa tua virtus nobis quidem ornamento, Chriſtianæ vero Reipublicæ utilitati eſſe poſſet. Vides enim in quæ tempora incidimus; quæ tam ſæva, tam aſpera ſunt, cum ubique diſcordiæ vigeant, atque undique arma metuantur, ut niſi viri ſapientes clavum in hac noſtra Republica teneant, magnum illam diſcrimen ſubituram eſſe exiſtimare debeamus. Quod intelligens ſummus, idemque Optimus, & Sapientiſſimus Pontifex viros undique ſapientia, & virtute præſtantes accerſit, quorum opera, atque induſtria in hac Chriſtianæ Reipublicæ adminiſtratione utatur. Cum autem qua tu ſis probitate, qua rerum omnium peritia ornatus, & inſtructus, nequaquam eſſet obſcurum: quomodo enim latere virtus poteſt, quæ velut ignis ſeſe ipſa prodit, atque aperit? eo factum eſt, uti te in hoc

(*a*) Rodulphus Pius de Sabaudia ex prænobili Carpenſium Principum gente, completo Patavii ſtudiorum curſu Romam venit. A Clemente VII. Faventino Epiſcopatu donatus, extraordinarius Nuntius in Gallias miſſus eſt. Præter Faventinum rexit etiam Epiſcopatum Agrigentinum, & Nolanum, & Archiepiſcopatum Salernitanum. Eum Cardinalem creavit Paulus III. anno 1536. Legatus iterum in Gallias curavit, ut Franciſcus I. Rex, & Carolus V. Imperator Niceæ convenirent anno 1539. Poſtmodum Anconitanæ Provinciæ præfectus, ejus Provinciæ utilitati, & felicitati tantum ſtuduit, Romam vocatus ejus Urbis adminiſtrationem geſſit, quoad Paulus III. apud Buxetum Carolum V. conveniret. In magna exiſtimatione fuit apud Summos Pontifices, qui Paulo III. ſucceſſerunt, quin hæc eadem communis exiſtimatio, & ejus præclara merita Suffragia Electorum in aſſequendo Summo Pontificatu ei conciliaſſent, niſi annos natus vix 65. obiiſſet anno 1564.

hoc dignitatis gradu, qui poſt Pontificium numeratur, atque ampliſſimus habetur, collocarit, ut te ſcilicet lateri ſuo hærentem, aſſidue conſulere, atque ex tua, ſicuti ex cæterorum ſententia, de maximis quibuſque rebus ſtatuere poſſit. Quod cum omnibus nobis gratiſſimum acciderit, mihique in primis, qui te propter tuas innumerabiles virtutes tot annos amo; ſtatui quod præſens facere non poſſum, per litteras tibi de iſto honore, quem cum tanta tua laude conſequutus es, gratulari. Neque id ſolum, ut meæ, ſed ut aliorum etiam erga te voluntatis teſtimonium tibi darem: quam cum veneris, tam egregiam cognoſces, ut ab aliquo noſtrum nihil ſis præterea requiſiturus. Vale.

Romæ Id. Junii MDXLII.

148 *GREGORIUS CARD. CORTESIUS*
CARDINALI RODULPHO S.

Propenſus erga ſe Rodulphi affectus cum ſibi ſit jucundiſſimus gaudere ſe maxime ait Gregorius, quod nova dignitatis acceſſione data ſit opportunitas jam ante comprehenſam animo de Rodulphi virtutibus exiſtimationem, ſuumque item amorem teſtificandi. Cæterum dolere ſe quod tantæ ſummorum virorum opinioni minime ſit reſponſurus.

QUod mihi pro hac ampliſſima dignitate eloquenter, & benevole es gratulatus, id non tam rei ipſius contemplatione mihi jucundum fuit, quod ex epiſtolæ tuæ alacribus, lætiſque verbis, & crebritate ſententiarum facile intellexi propenſum animi tui erga me affectum, ingenſque ſtudium, quandoquidem ipſius veritatis ſententia eſt, orationis copiam ex cordis ubertate ſolere proficiſci. Illud quidem perſæpe accidiſſe video, atque adeo in memetipſo multoties ſum expertus, ut alicui arctiſſime afficerer, qui me rurſus inſcium, ignarumque ejus rei, pari benevolentia proſequeretur. Tibi enim perſuadeas velim, me multis ab hinc annis, quodam intimo animi ſenſu, ob præclaras, eximiaſque tuas virtutes, ſingulari obſervantia tibi fuiſſe conjunctum. Quod etſi frequentiori conſuetudine, apertioribuſque ſignis a me nunquam eſt declaratum, id ſolum ob diverſa inſtituta, longiſſimeque diſpares dignitatis gradus accidiſſe certiſſimum eſt. Nunc vero mirifica hac occaſione oblata, dabo diligenter operam, ut quod in ſola mentis agitatione verſabatur, aliquando foris exprimam, & quanti te, tuaſque præclaras virtutes faciam, aperta declarem ſignificatione. Quod vero me in iſtum ampliſſimum ordinem cooptatum ita gratularis, ut pene ſero id fieri aliquando apud temetipſum lamentarere, id ſolum ab animi tui candore quodam eximio intelligo proficiſci, cum nullius tam egregiæ virtutis mihi ſim conſcius,

ut

ut ea a te, tuiſque ſimilibus præſtantiſſimis viris queant deſiderari. Equidem cum ejuſmodi veſtras de me prædicationes mecum ipſe reputo, cogor non tam lætari quod a vobis lauder laudatiſſimis viris, quam dolere quod iſtis veſtris laudibus, & huic tantæ de me expectationi minime ſim reſponſurus. Tu tamen in poſterum a me omnia ſumma in te ſtudia, officiaque expectare velim, quæ ab amiciſſimo, conjunctiſſimoque poterunt proficiſci, quod quidem amoris tantum mei teſtificandi gratia velim dictum exiſtimes. Vale.

Ex Monaſterio S. Benedicti Mantuani III. Cal. Julii MDXLII.

149 G. AS. CARD. CAMERARIUS
GREGORIO CARD. CORTESIO S. (a)

Cum ſibi perjucundum evenire teſtetur Guidus Aſcanius Cardinalis, quandocunque in Cardinalium collegium cooptantur viri aliqua virtute præditi (talibus enim ornatur univerſus ordo); jure, & merito gaudendum nunc ducit, cum in illud cooptatus ſit Gregorius, cui omnium approbatio, plauſus, & gratulatio teſtimonium reddunt.

CUM omnes Cardinales hoc ipſo nomine, & hac ſanctiſſimi muneris ſocietate, magno apud me in honore eſſe debeant: tum ſi quis præterea aliqua inſigni virtute præditus eſt, quales jam in noſtro collegio pleroſque videmus, is mihi in parentis ac plane domini loco ſemper habetur. Exiſtimo enim id, quod re ipſa experior, horum hominum laudibus non modo ipſos frui, verum etiam univerſum ordinem ornari: quarum cum in me quoque nonnulla pars redundet, tum communi nomine, tum meo, ac proprio, plurimum illis me obligatum duco. Itaque nihil mihi gratius, aut optatius accidere poteſt, quam cum talibus viris noſtrum collegium frequentari video. Qua in re, cum S. D. N. ſingularis ſapientia, ac plane divina mens, ſicut in cæteris extiterit, ſiquidem hoc genere laudis facile ſuperiores omnes ſuperavit, tum in te legen-

(a) Guidus Aſcanius Sfortia filius Boſii II. Comitis Sanctæ Floræ, atque Conſtantiæ Farneſiæ Pauli III. filiæ, natus eſt anno 1516. Anno 1534. creatus Cardinalis, primo Eccleſias Anglonenſem, Montis Flaſconis, & Cornetanam, Cluſinam, ac Parmenſem adminiſtravit, mox Patriarchæ Alexandrini dignitate auctus, Bononiæ, ac Æmiliæ ſummo cum imperio præfectus, poſtea S. R. E. Camerarius electus, in Pannoniam demum ad bellum contra Turcas a Paulo Pontifice miſſus, in graviſſimis muneribus egregie ſe geſſit, & excitatam apud omnes prudentiæ, ac integritatis opinionem mirifice ſuſtinuit. Obiit in Cremonenſi territorio Nonis Octobris anno 1564. ætatis ſuæ 45.

Digitized by Google

legendo multum perſpexiſſe, ac nomini Chriſtiano conſuluiſſe exiſtimatur. Omnes enim de doctrina, de ſapientia, de religione tua ea prædicant, ut his præſtantiſſimis virtutibus cuivis clariſſimorum virorum te parem eſſe confirment. Quamobrem tibi primum, ut debeo gratulor, nec ſolum quod Cardinalis factus es, quamquam id eſt maximum, verum etiam quod ego non minoris æſtimo, quod omnium approbatione, ac plauſu factus es. Quam dignitatem tibi, univerſæque Chriſtianæ Reipublicæ (id quod ſpero) Deum fortunare volo, omne meum ſtudium tibi polliceor, ac defero, ut quod ætas noſtra, tuaque ſumma virtus poſtulat, in te colendo patriam mihi obſervantiam ſtatuam, ut tibi hoc affirmem, neminem neque noſtri, neque alterius ullius ordinis, magis quam me, in tua poteſtate unquam futurum. Vale, meque commendatum habe.

Romæ. Poſtridie Nonas Junii MDXLII.

150 *GREGOR. CARD. CORTESIUS*

G. AS. CARD. CAMERARIO S.

Conſentit Gregorius magno quidem in honore habendos eſſe Cardinales, quibus non humanarum rerum modo, ſed divinarum etiam ubique terrarum magna ex parte concredita eſt procuratio. Ob hanc cauſam a ſapientiſſimo Pontifice viros exquiri undequaque omni virtute præditos. Ob eamdem cauſam haberi ſe hujuſmodi a Guido Aſcanio, cæteriſque qui tamen luce clarius agnoſcent non poſſe ſe ea præſtare, quæ ſibi pollicentur; hæc tamen compenſare ſtudebit ſingulos ſuſpiciens, & colens ampliſſimi Ordinis, ipſumque præſertim Guidum Aſcanium.

SUnt quidem omnes Cardinales jure, ut ſcribis, apud te in honore maximo, cum ſinguli ob eximias virtutes, tum præcipue univerſus ordo, quo nihil auguſtius, nihil ſanctius excogitari poteſt. Quid enim illi ordini conferri debet, in quem mira providentia, prudentiſſimoque delectu ita omnes aſſumuntur, ut in Reipublicæ gubernatione Pontifici Maximo, quaſi membra capiti adjuncta, adjumento, ornamentoque ſint? Illorum potiſſimum integritati, innocentiæ, & conſiliis, ſi quid uſpiam eſt religionis, ſi quid pietatis, ſi quid fidei, ſecundum Deum aſcribi debere, nemo eſt qui ambigat. Ipſorum attentione, & vigilantia, qui Dei Optimi Maximi vices, poteſtatemque referunt, non humana ſolum, ſed divina etiam ubique terrarum procurari, adminiſtrarique debent. Quo fit, ut tuum ſingulare judicium, egregiamque indolem ſatis admirari nequeam, quod magnam in te partem earum laudum redundare pu-

tes; quibus ſinguli ejus ordinis afficiuntur. Nunquam enim adeo illorum, ut ais, laudibus te frui arbitrareris, niſi quadam virtutis ſimilitudine, non nomine ſolum, eiſdem eſſes conjunctus. Videmus etiam Paulum III. Pontificem Maximum propter eam potiſſimum cauſam uno omnium conſenſu celebrari, quod pleroſque præſtanti ingenio, excellenti doctrina, omni denique virtutum genere præditos viros in Sacroſanctum illud Collegium cooptarit. Fecit vero hoc Pontificis Summi in cæteris deligendis pene divinum conſilium, ut ego quoque, qui nec de nomine quidem tibi fueram cognitus, non diſſimilis eorum exiſtimer, qui hactenus admirando judicio, ſolertique examinatione in ampliſſimum illum Senatum cooptati fuerunt. Cuperem ſane ut me talem ipſi, cæteriſque præſtare poſſem, quale illius fuit de me judicium; ne quod hactenus prudenti conſilio feciſſe putatur, nunc demum meo potiſſimum nomine minus probari poſſit. Sed quoniam plurimum abeſſe ſentio, quam ut ego tantæ de me expectationi reſpondere poſſim, eoſdemque intelligo futuros eſſe judices inſcitiæ meæ, qui nunc magnum quiddam de me ſibi polliceri videntur, dabo poſthac diligentiſſime operam, ut deceptæ hujus expectationis incommodum, aliorum officiorum compenſatione leniam, ſtudiumque omne meum ad ſingulos ejus ordinis ſuſpiciendos, colendoſque convertam. Inter quos cum tibi plurimum debeam, non ob eam ſolum de me expectationem, qua me potiſſimum oneratum ſentio, ſed ob amoris tui erga me ſingulare teſtimonium, & maxima beneficia, te etiam inter cæteros mihi propoſui, qnem obſervantia, cultuque præcipuo venerarer. Qua in re niſi animum hunc meum aſpernatus fueris, polliceri tibi poſſe videor, nihil ita domi tuæ tibi paratum fore, quam omnibus in rebus ſtudium, ſervitutemque meam. Vale.

Mutinæ Calen. Julii MDXLII.

151 *JOANNES CARD. DE SALVIATIS*
GREGORIO CARD. CORTESIO S. (*a*)

Quod jamdiu in votis habuit Cardinalis de Salviatis, id nunc eveniſſe lætatur, quod nempe tot inter eximios viros Cardinalatus honore inſignitus ſit Gregorius, a quo in difficillimis temporibus uberes capiet fructus, & utilitates Chriſtiana Reſp. Ei idcirco gratulatur, ſuamque profitetur voluntatem.

OPtavi equidem antea omni tempore pro mea tum ſumma erga te benevolentia, tum honorificentiſſima de tua virtute opinione, ut per-

(*a*) Joannes Salviati Jacobi, & Lucretiæ Mediceæ ſororis Leonis X. filius ortum ha-

pervenires ad hunc dignitatis gradum, virtutiſque tuæ hoc præmium, quod eſſet ampliſſimum, aliquando reciperes. Proxime vero, fatebor ingenue, ut multo id magis optarem faciebant ſummæ perturbationes, atque incommoda, quibus res, & Religio Chriſtiana tot annos adhuc vexatur; etſi enim Pontificis præſertim Optimi, ac Maximi Pauli III. cura & virtute Collegium noſtrum nunc habet clariſſimos, ac ſapientiſſimos viros, quorum virtus, & prudentia mirifice opportuna, & ſalutaris ipſo Paulo III. Duce Religioni Chriſtianæ poteſt eſſe, tamen videbam, ſi te quoque ſocium in conſulendo, & ſubveniendo Reipublicæ recepiſſemus, quantum eſſet ipſa Reſpublica fructum, atque utilitatem acceptura. Nunc igitur cum ſis adeptus hunc honorem, quemadmodum cupiebam, potes jam tua ſponte intelligere, quanto ſim affectus gaudio, etſi tua quidem virtute, popularis quodammodo, & accepta omnibus tua dignitas eſt, mihi autem hoc magis, quod te præ cæteris amavi: ſic mihi enim perſuadeo. Te plurimi ſemper feci, quam quidem voluntatem erga te conſervando continenter poſthac, & quibuſcunque officiis potero, ſemper, ut debeo, colam. Sed ut illuc revertar, his de cauſis, quas modo commemoravi, hæc tua dignitas maximam, incredibilemque mihi lætitiam attulit. Itaque quod ſequitur, gratulor tibi magnopere, optoque ut hunc tibi honorem fortunet Deus immortalis, & ſicut illum tu ſumma cum tua gloria conſecutus es, præclaro, & inſigni judicio de te facto a ſapientiſſimo Pontifice, clariſſimiſque Ordinis noſtri viris, ita etiam in futurum tempus gloriæ is tibi, & ornamento ſit, quemadmodum fore ſpero, adductus prudentia & virtute tua. Quod reliquum eſt, ſi tibi ſtudium, officium, res omnes meæ uſui poterunt eſſe unquam, & tu omnia tibi prolixe pollicitus de me fueris, curabo enixe, cum certiorem me feceris, ut opinioni tuæ reſpondeam, quoad potero, & ſatisfaciam voluntati. Vale.

Romæ IV. Nonas Junii MDXLII.

habuit Florentiæ anno 1490. Ab eodem Leone Cardinalis creatus anno 1517. in Hiſpaniam primum, inde in Gallias perrexit. Cum ibi Romæ direptionem, & Clementis VII. captivitatem anno 1527. didiciſſet, Regi perſuaſit illo difficillimo tempore, ut Summi Pontificis, & Sanctæ Sedis defenſionem ſibi aſſumeret. Nonnullos obtinuit Epiſcopatus in Gallia, in Italia Epiſcopatus Ferrarienſem, Firmanum, Volaterranum, & Archiepiſcopatus Tranenſem, & Sanctæ Severinæ. Docti quique ejus ævi eum experti ſunt beneficentiſſimum protectorem. Probi, honeſtique viri dotes, quibus eximie refulgebat, poſt Pauli III. obitum Joannem fere in Romana cathedra collocaverant, niſi ejus electioni obſtitiſſet Carolus V. Ravennæ deceſſit anno 1553.

152 GREGORIUS CARD. CORTESIUS JOANNI CARD. DE SALVIATIS S.

Expertus jam in inferiori ordine Joannis Cardinalis amorem Gregorius, eidem amori erga ſe tribuit quæcunque de Gregorio non pollicetur ſolum, ſed prædicat Joannes. Hæc tamen cum ex ſe præſtare non valeat, ex Joannis ejusdem favore, & paternis conſiliis aliquo modo obtinere confidit.

CUperem certe, ut quale de me ſemper fuit judicium tuum, donec in inferiori gradu, ordineque conſtitutus, te maxima cum veneratione & colebam, & admirabar, talem nunc adepta hac inſigni, ampliſſimaque dignitate, tibi cæteriſque me præſtare poſſem. Ea etenim ratione ſperarem me id fortaſſe aſſecuturum, quod tibi de me, ut video, polliceris, ſed quoniam memetipſum penitus intuens, nihil invenio quo tibi præclara non expectanti ſolum, ſed etiam prædicanti reſpondere poſſim; video ſane te ſingulari eruditione, & modeſtia præditum, idem tibi de cæteris facile perſuadere, quod de teipſo cognitum, perſpectumque habes, & ex propriis virtutibus aliorum facere conjecturam. Ego vero cum Sacroſanctum illud Collegium animo, menteque perluſtro, in quod nec ſperans, nec ea de re aliquid ſuſpicans, Pauli III. Pontificis Maximi, multorumque doctrina, & ingenio virorum illuſtrium favore, gratiaque cooptatus ſum; veriſſime mihi perſuadeo, maximam hanc dignitatem mihi magis oneri, quam ornamento futuram. Quod quidem ita demum intelligi poterit, cum inter tot præclara Chriſtianæ Religionis lumina, inter tot viros eruditione, vitæ ſanctimonia, cæteriſque tum corporis, tum animi virtutibus admirabiles, ego qui nullam illarum partem aſſecutus ſum, quod quidem hactenus in hac ſolitudine occultari potuit, cogar omnino quam longe abſim a tanta omnium de me expectatione declarare: qua quidem in re, ſi qua mihi ſpes conſilii, præſidiive in aliquo hominum collocanda eſt, ea omnis in tua humanitate, prudentia, & naturæ bonitate eſt conſtituta. Mihi enim nequaquam fit veriſimile, ut quem in inferiori ordine poſitum, & pene dixerim in nulla re tibi conjunctum, adeo humaniter es complexus, nunc in eodem Collegio in dicenda ſententia, & fere in omni vitæ ratione conjunctiſſimum, tuo favore, tuiſque paternis conſiliis privare velis. Si vero quippiam in poſterum acciderit, quod tibi uſui, ornamento, voluptative ſit futurum, quod opera noſtra confici, præſtarive poſſit, tibi omnia officia, ſtudia, curas, cogitationeſque polliceor, & illa etiam quæ ab obſequentibus ſervis expectari, deſiderarique poſſunt.

Ex S. Benedicto VI. Calendas Junii MDXLII.

153 *D. CARDINALIS S. MARCELLI*

GREGORIO CARD. CORTESIO S. (a)

Ob exquiſitum Summi Pontificis judicium de Gregorio, quem laus, & fama apud omnes commendant, tum ſibi, tum Collegio univerſo gratulatur Cardinalis S. Marcelli, qui tametſi de facie non notus Gregorio, præ cæteris tamen ei proximior Religione, habitu, voto, præ cæteris gaudet.

EGO vero, domine, licet non ſim tibi de facie cognitus, mirum tamen in modum gaudeo, cum mea, tum Collegii noſtri cauſa, quod proximis comitiis Cardinalis renunciatus es; Reipublicæ item vehementer gratulor, cui tanta facta eſt de tui honoris acceſſione dignitatis acceſſio. Ea enim eſt tua jam diu apud omnes laus, & fama; eæ prædicantur tam inſigniter exornatæ ornamentis omnibus litteræ, is animi, vitæque candor, & puritas, ut ſummum Pauli Pontificis auctoris noſtri judicium, in mentibus hominum, hoc ſit factum illuſtrius, & gradus culmen hoc noſtrum quod merito conſcendiſti, conſilio, pietate, & virtute tua jam credatur eſſe munitius. Sed his omiſſis, de me ſic tibi perſuadeas velim, quod Jacobo excellenti fratri tuo dixi, me quem tibi Religio, habitus, votum cæteris aliis proximiorem facit, aditum hunc ad te, & quaſi feliciter apertas ſervitutis meæ fores perlibenter intraſſe, & eas fideliſſime ſemper obſervaturum eſſe, ita ut honeſtiſſimum hunc galeri apicem exiſtimem fructum meritorum, ac laborum tuorum, atque ſperem eum Senatui, bonis omnibus, Rei denique publicæ ſigillatim, & univerſim magno uſui, ac voluptati fore. Vale.

Romæ die V. Junii MDXLII.

(a) Dionyſius Lorerius Beneventanus natus eſt anno 1497. Admodum juvenis nomen dedit Ordini Servorum Beatæ Mariæ Virginis, in quo Matheſeos, & Theologiæ ſcientia ſic excelluit, ut eas ſummo omnium plauſu Peruſii, Bononiæ, Romæ, & alibi docuerit. Suum Ordinem Generalis moderabatur, cum Farneſius, cui Summum Pontificatum ominatus fuerat, Pauli III. nomine Romanam Cathedram conſcendit. Summus Pontifex anno 1539. Cardinalem creavit Lorerium, quem triennio ante Nuncii dignitate auctum in Scotiam legaverat. Fertur Lorerium magnificis Caroli V. pollicitationibus captum peroraſſe in Conſiſtorio, ut Chriſtianiſſimi nomine non ultra Galliarum Rex nuncuparetur, fere omnes Cardinales etiam Carolo V. addictos diſſenſiſſe, vehementiſſime tamen præ cæteris Dominicum de Cupis Sacri Collegii Decanum inſurrexiſſe in Lorerium. Fuit Epiſcopus Urbinas. Obiit Romæ menſe Septembri anno 1542., ætatis 45. In Epiſcopatu Urbinate ei ſucceſſit noſter Gregorius.

154 *GREGORIUS CARD. CORTESIUS*
D. CARDINALI S. MARCELLI S.

Præ cæteris jucundam ſibi fuiſſe affirmat Gregorius Lorerii gratulationem, cum ab homine venerit arctius ſibi colligato ob conceptum votum, & ſeverius inſtitutum. Tantæ conjunctioni debere nunc fieri acceſſiones paribus ſtudiis, vitæ conſuetudine, conſiliorum communicatione, amore mutuo.

ETSI mihi gratiſſimæ fuerunt in hac publica omnium gratulatione; pleræque litteræ illuſtrium virorum, quæ benevolos illorum erga me animos declarabant, nulla tamen nec gratior, nec jucundior tua illa & gravi, & eloquentiſſima Epiſtola ad nos pervenit. Ea etenim humanitatis officia nobis jucundiora accidere conſueverunt, quæ ab illis proficiſcuntur, qui nobis propinquiori ſimilitudine ſunt conjuncti. Cum vero ſint complures, qui ejuſdem jure Collegii nobis arctiſſime copulantur, propinquior tamen, & fere eadem, ut recte ſcribis, & concepti voti, & ſeverioris inſtituti profeſſio, longe arctiori benevolentiæ vinculo nos colligant, atque conſtringunt. Et quidem huic tantæ conjunctioni quaſdam etiam acceſſiones fieri poſſe confido, paribus ſcilicet ſtudiis, vitæ conſuetudine, communicatione conſiliorum, & cæteris ejuſmodi, quæ amicitiam jucundiorem, ſuavioremque efficere conſueverunt. Quo in genere, ita tibi omnem operam, omneque ſtudium meum polliceor, ut omnino nemini in te amando, obſervandoque ſim conceſſurus. Vale.

In Sancto Benedicto.

155 (*a*) *PETRUS LANDO*
GREGORIO CARD. CORTESIO S.

In maximæ exiſtimationis, qua apud Venetam Remp. fruitur Gregorius, ſignificationem, ei gratulatur Dux Landus, & tamquam ex intimis civibus unum haberi illum a Veneta Republica declarat.

REverendiſſime in Chriſto Pater. Ex Gabrielis Venerii Oratoris noſtri litteris intelleximus Te a Pontifice Maximo in Sanctæ Romanæ

(*a*) Hæc epiſtola excepta eſt ex autographo in Archivo Corteſiorum; quæ ſubſequitur ex Codice MS. chartaceo Sæculi XVI. in Bibliotheca Seminarii Patavini, ut innuitur in vita Cardinalis noſtri. Petrus Landus Ducis Veneti dignitate ornatus eſt poſt Andream Grittium anno 1539., eamque poſt annos ſex, & dies octo moriens dimiſit.

næ Eccleſiæ Cardinalium ordinem fuiſſe cooptatum; cujus rei nuntius ſumma nos voluptate affecit, propterea quod & eximiæ tuæ ſingularique virtuti ea dignitas tributa ſit; quæ in tam excelſo, atque illuſtri loco poſita non exiguam Chriſtianæ Reipublicæ, quæ talium virorum, ut ipſe es, ope nunc maxime eget, lucem afferre, ejuſque quaſi jacentes vires excitare poterit; & nobis, qui Te ſemper amavimus, ac plurimi fecimus, id acciderit commodi, quod eſſe maximum, atque firmiſſimum in tua erga nos benevolentia certo ſcimus. Te enim pro tuo in Rempublicam noſtram animo, propenſaque voluntate quaſi unum ex intimis, chariſſimiſque Civibus noſtris eſſe ſtatuimus. Quod etſi cum apud nos ageres, declarare tibi ſtuduimus naturæ tuæ, ac bonitati omnia tribuentes, quæ a nobis proficiſci potuerint: tamen ſi aliquando evenerit, ut aliqua in re uti opera noſtra velis, nam facile intelliges, nos longe tui cupidiores, ſtudioſioreſque factos eſſe. Interim vero tuam iſtam dignitatem Deus Optimus Maximus fortunet, Teque diu firmum, atque incolumem ſervet.

Datum in noſtro Ducali Palatio die X. Junii, Indictione XV. MDXLII.

156 *CARDINALIS CORTESIUS*

VENETIARUM DUCI S.

Tanti facere ſe teſtatur Gregorius præclaras Ducis Veneti ſignificationes, ut eas præ aucta dignitate cariores habeat; illas tamen voluptati magis, quam admirationi fuiſſe homini jam omnibus humanitatis, & amoris officiis cumulato, qui cum beneficiis reddendis imparem ſe agnoſcat, habebit gratias immortales, & quantas poteſt.

CUM magnum quippiam mihi aſſecutus viderer ex litteris Pontificis Maximi, quibus me in Sacroſanctum Cardinalium Collegium cooptatum intellexeram, putaremque id adeo amplum, atque magnificum, ut nihil honorificentius a me deſiderari quidem poſſe videretur, repente mihi redditæ ſunt litteræ Sublimitatis Veſtræ, quibus & gravitate, & eloquentia pleniſſimis maxima ſe voluptate affectam ſcribit ob dignitatem nobis demandatam, & me abs te quaſi unum ex intimis, cariſſimiſque civibus ſuis, amore, & benevolentia in poſterum proſecutum iri declarat. Viſa eſt profecto nobis hæc animi ſui declaratio longe major, atque honorificentior maxima illa dignitate, quæ mihi nec ſuſpicanti, nec tale quippiam expectanti ultro delata eſt. Cum enim intueor Serenitatem Veſtram in ſupremo (ut ita dicam) rerum vertice conſtitutam, mei rationem habere, qui in infimis poſitus, & quaſi in abdito quodam deliteſcens nihil habeo, quod velut lumen aliquod longe poſſit elucere; videor

deor mihi ſplendoris veſtri participatione longe clarior, excelſiorque factus, quam ex maximo iſto dignitatis gradu, atque incremento; tutiſſimique præſidii veſtri pollicitatione onus graviſſimum, quo me opprimi ſentiebam, longe levius, tolerabiliuſque factum. Etſi amoris hæc ſignificatio voluptati magis nobis, quam admirationi fuit. Cum enim ortum, atque educationem vobis, urbique veſtræ acceptum referre debeam; cumque dudum, dum apud Vos agerem, omnibus humanitatis officiis ſummus erga me amor cum Veſtræ Celſitudinis, tum univerſi Ordinis, mihi fuit perſpectiſſimus, nequaquam admirandum nobis videtur, ſi prioribus illis officiis ſequentia quoque fuerint conſentanea. Cuperem ſane quippiam virtutis aut gratiæ in me eſſe, quo viciſſim aliqua ex parte tantis veſtris in me meritis, tantoque ſtudio reſpondere poſſem. Sed cum nec veſtra Sublimitas alienis officiis egere poſſit, nec ego quod tantæ Celſitudini aliqua ex parte condecens ſit, polliceri poſſim, reliquum ſaltem eſſet, ut pro iſto de me judicio, proque ampliſſimis oblationibus Vobis gratias agerem. Sed quoniam quibus id verbis, quave ratione ſit faciendum, nec cogitari quidem a me hactenus potuit; & quæ debetur gratia, minime a nobis prædicari, aut celebrari poteſt; habebo certe & immortalem, & quantam animus noſter capere poterit. Incolumem Sublimitatem Veſtram Deus Optimus Maximus cuſtodiat.

Mutinæ Kalendis Julii MDXLII.

157 *COLLEGIUM MUTINENSIUM CANONIC.*

GREGORIO CARD. CORTESIO S.

Concivi ſuo gratulantur Mutinenſes Canonici de honore, ſola impellente virtute, delato, cujus ad omnes ordines manabit utilitas. Studium omne, voluntatemque ſuam offerunt in iis omnibus, quæ ad Ejus amplitudinem, & gloriam pertinere arbitrabuntur.

QUod a Deo Optimo Maximo ſummis ſæpe precibus contendimus, id jam a Te conſecutum cum tuarum virtutum plurimis ornamentis, quibus præditus es, tum ipſius in primis Salvatoris noſtri benignitate, cui maximas agimus gratias, Tibi (ut par eſt) gratulamur maxime, nobiſque gaudemus, & eo magis, quod in extrema Chriſtianæ Reipublicæ tempora, tuam in Collegium Cardinalium cooptationem, ab eodem Jeſu Chriſto Patre noſtro collatam eſſe, omnibus exploratum eſt: nobiſque maxime, quibus quidem nihil præter opinionem accidit. Is mehercle vere appellandus eſt honos, qui non ſpe futuri beneficii, neque remuneratione præteriti, ſed ſummis viris ſola virtute defertur, ac datur: hinc profecto ipſius Summi Pontificis Pauli, tum in labenti Reipublicæ conſulen-

ſulendo prudentia; tum liberalitas in omnes virtutibus ornatos facile cernitur. Nunc qui religioſe in litteris verſantur, quid ſperent, habent; nunc aureum illud ſæculum rediturum conjici poteſt, ſed fortaſſe plura, quam putaramus: quare reliquum eſt, ut Tibi qua voluntate in te affecti ſimus, ſignificemus, quæ quando in Te maxime propenſa eſt, cum nos ipſos, fortunaſque noſtras Tibi, tuiſque offerimus, tum omnia quæ ad tuam amplitudinem, & gloriam pertinere arbitrabimur, ſummo ſtudio facturos pollicemur. Quod ut experiare a te vehementer (majus enim ſignum amoris erga nos tui nullum dare potes) noſtrum univerſum Collegium etiam atque etiam contendit: ſimul Deum orat, ut quamprimum omnia ſumma conſequaris. Vale.

Mutinæ Idibus Junii MDXLII.

158 *GREGOR. CARD. CORTESIUS*

Venerabili Collegio Canonic. Mutinenſium S.

Mutinenſium Canonicorum benevolentiam jam ante perſpectam ſibi mirum in modum pleniſſime nunc teſtari ait tum humaniſſimas litteras, tum publicas lætitiæ ſignificationes. Id porro pergratum ſibi eſſe non ſolum quod in eadem civitate, ſed etiam quod in eorum ſinu educatus iis acceptum referat, ſi quid promeritus eſt. Rogat, ut Deum Optimum Maximum exorare proſequantur pro ſe, & pro Pontifice Morono, cujus recens dignitatis incrementum ut ſibi, ita ipſis admirandam creaſſe lætitiam non dubitat; omnes tandem de amore, ſtudio, fideque ſua certiores reddit.

ETSI dudum compluribus humanitatis officiis ſummus erga me amor, & ſingularis iſtius venerandi Collegii benevolentia mihi adeo perſpecta erant, ut neque teſtimonio, neque confirmatione aliqua egere viderentur; proximis tamen litteris, quas & eloquentiæ, & gravitatis pleniſſimas accepi, ita animum, mentemque veſtram mihi videor perſpexiſſe, ut nihil neque expreſſius, neque illuſtrius potuerit deſiderari, cum etiam antea, & nunciis, & fama deferente intellexiſſem votis, ſupplicationibus, omni denique cæremoniarum genere Deo Optimo Maximo velut in publica lætitia noſtro nomine redditas eſſe gratiarum actiones. Quæ quidem animi veſtri declaratio voluptati magis nobis, quam admirationi fuit. Nec eam tantum ob cauſam, quod mihi vobiſcum omnia conjuncta ſint, quæ civibus inter ſe eſſe conſueverunt, ſed quod in ſinu quodammodo veſtro educatus, ſi quod in me meritum eſt, quo ampliſſimam hanc dignitatem conſequi potuerim, id me vobis totum, veſtriſque inſtitutis acceptum referre & profiteor, & præ me fero. Sed quoniam genere

nere ipſo gratiarum actionis recte a vobis eſt declaratum, vos ſatis intelligere Dei ſolum id fuiſſe munus, nihilque in ea re noſtris aut meritis, aut virtutibus tribuendum, rogo, obteſtorque, ut quod hactenus ſponte a vobis factum eſt, ut Deum Salvatorem noſtrum modis omnibus nobis propitium facere niteremini, idem rogatu noſtro frequentius, cumulatiuſque faciatis. Majorem porro facit iſtam gratiæ referendæ obligationem incredibilis quædam, & admiranda lætitia, quam in incremento dignitatis Pontificis noſtri patris, & domini Cardinalis Moroni, vos omnes percepiſſe mihi perſuaſiſſimum eſt, in eaque re facio animorum veſtrorum ex animo conjecturam. Quare ſummis, aſſiduiſque precibus a Deo petendum eſt, ut quem nobis ducem, cuſtodemque animarum dedit, eumdem etiam velit eſſe diuturnum. Poſtremo ita vobis de me velim polliceamini, ut ſi qua nobis facta eſt, fietve in poſterum acceſſio dignitatis, aut gratiæ, eam potiſſimum Venerabili iſti Collegio arbitremini eſſe factam. Dabo enim diligentiſſime operam, ut fide, amore, & ſtudio omnium veſtrum ſuperem expectationem.

159 *JACOBUS SADOLETUS CARD.*

GREGORIO CARD. CORTESIO S.

Quas in quiete ſuæ Carpentoractenſis Sedis perfecit lucubrationes Sadoletus, de peccato originali unam, de Purgatorio alteram, eas rogat ut Gregorius legat, ſcrutetur, corrigat, de illis judicium proferat, & ſi quidpiam inconſiderate in re valde periculoſa veritati Catholicæ non conſonum excidit, id ut indicet: (grates enim aget ſemper Sadoletus iis, qui ſibi ſine contumelia errata ſua manifeſta facient). Rogat quoque, ut aliorum eruditiſſimorum hominum judicium de lucubrationibus hiſce ſuis perquirat.

MUtua noſtra, vetuſque benevolentia, quam ſancte, & fideliter ab utroque noſtrum cultam eſſe intelligo, facit ut in meis maximis rebus, quæ nunc quidem in bonarum, & ſacrarum litterarum ſtudio omnes mihi conſtitutæ ſunt, tuum in primis amorem, tuamque eximiam, excellentemque doctrinam mihi requirendam eſſe putem. Cum enim, ut tute ſcis, commentarium quemdam de peccato originali jampridem confeciſſem, hacque maxime re, & poſtulatione facultatem in has regiones revertendi a Summo Pontifice eſſem conſecutus, quod me quoad poſſem otium, & tranquillitatem nactum, litteris, & ſcriptis ſanctam fidem Catholicam, decuſque, & auctoritatem Apoſtolicæ Eccleſiæ defenſurum pollicitus eſſem, ſtatui mihi ut primum huc me retuli, eundem eſſe de originali peccato librum accuratius retractandum. Quod cum diligentiſſime

ſeciſſem, addidiſſemque non pauca, quæ mihi ad rem uberius explicandam idonea viſa ſunt, illum tanquam meæ diligentiæ teſtem Pontifici ipſi Maximo auctori mei otii dedicandum putavi, ſcripſique ad Ampliſſimum Farneſium, ut eum quibuſdam ex Collegio noſtro, tibique in primis legendum, conſiderandumque permitteret. Quod factum fuiſſe, etſi certi nihil dum ſcio, ut confidam tamen adducor. Nunc alterum (a) ὑπόμνημα jam elucubratum in manibus habens, nondum illud quidem dolatum, & expolitum, quemadmodum & res ipſa, & mea diligentia poſtulat, ſed tamen ejuſmodi, ut in eo quanquam imperfecto, velut in quadam forma proſpici jam, & cerni poſſit, quid ego habeam de Purgatorio perſuaſi, atque certi, quæ res una omnium maxime hoc perturbatiſſimo tempore ab Eccleſiæ hoſtibus oppugnatur, in quo ego Catholicæ ſuffragor Eccleſiæ, quod ſane mihi in omnibus meis & curis, & actionibus ſemper eſt propoſitum, ſtatui id mittendum ad te eſſe, ut tu, mi optime, doctiſſimeque Corteſi, pro tua in me benevolentia, proque ea fide quam ego tibi habeo, ſummam laborum meorum, multarumque vigiliarum partem aliquam mecum, atque onus communiter ſubeas, meque adjutum velis opera, & ſapientia tua: primum ut quæ ſcribuntur a me, ea ſancte, & recte, & ex integra, veraque religione ſcripta ſint, deinde quæ pertinent ad politiores litteras, quando utriuſque facultatis ſummum tuum eſt judicium, de his etiam me admoneas, neque patiaris quæ apte, & ornate in primis oportet ſcribi, ea me barbare, & incondite ſcribere: quanquam hoc alterum levius fortaſſe eſt, illud primum graviſſimum, ut ne quid prorſus a nobis effluat, quod cuique bene intelligenti queat vel minimum aliquem ſpiritum perverſæ religionis afflare. Etſi enim ego in hoc quidem offirmatiſſimo ſum animo, ita ut corpus, & vitam potius, quam ſtudium veræ pietatis amittere paratus ſim, idemque cum Catholica Eccleſia arctiſſime ſum conjunctus, propter tamen imbecillitatem ingenii mei, debilitatemque doctrinæ diffidere mihi cogor, & doctiorum, ac ſapientiorum quam ego ſim, noſtrique præſertim ordinis judicia implorare. Quo e numero cum tu mihi præcipue occurras qui conſulendus ſis, mihique jamdiu perſuaſum ſit, te & velle mea cauſa, & pro ſingulari doctrina, qua es præditus, poſſe plurimum mihi opis, & ſubſidii afferre, omni animi ſtudio te obteſtor, ut quicquid futurum eſt negotii, & laboris in legendis duabus hiſce noſtris lucubrationibus, eiſque ſevere animadvertendis, ac notandis, id ne te pigeat ſummo tuo in me beneficio ſuſcipere, ac perferre, cum honoris mei, tum aliorum etiam utilitatis cauſa, cum omnes qui in gradu tanti honoris locati ſumus, hæc aut agere ipſi, aut agentibus adeſſe, favereque debeamus. Vides tempora, vides hominum mores, ut quiſque noſtrum aliquid edit in publicum, quod aut contra falſas religiones, aut pro ve-

ris

(a) Commentarium.

ris ſcriptum ſit, non modo qui palam adverſantur nobis, & repugnant (nam hi fortaſſe minus pertimeſcendi ſunt) verum etiam qui noſtrarum ipſarum ſunt partium, quaſi ex inſidiis repente egreſſi circunſiſtunt, accuſant, invehuntur, veluti proditionis inſimulant, nec quicquam hoc tempore periculoſius eſt, quam de rebus bonis, ſanctiſque diſſerere: a quo genere ſcribendi ſi abſtinere velimus, cautiores forſitan, ſapientioreſque judicabimur, juſtiores certe, & meliores non erimus. Non enim qui talentum condidit ſub terra, ſed qui id exercuit, fructumque ex eo quæſivit, is a Domino in Evangelio laudatus eſt: quem quidem ego negotiatorem bonum ſtudeo imitari, ita animo paratus, ut omnibus iis, qui me redarguunt, meaque mihi errata faciunt manifeſta, modo ut ipſi ſine contumelia id agant, non ſolum non ſuccenſeam, ſed ultro magnam illis gratiarum debitorem me confitear. Neque enim quicquam facere erga me poſſunt, quod mihi accidere queat vel utilius, vel gratius. Quamobrem, mi optime Corteſi, cum ego & judicio tuo plurimum, & voluntati erga me omnia tribuam, ſimque ipſe, ut tute noſti, ſemperque fuerim tui cupidiſſimus, & amantiſſimus, da mihi hanc operam quæſo, & in hac re officio veræ amicitiæ inſervi, ut meæ lucubratiunculæ tua ſint doctrina & lima emendatiores. Quem ad laborem, curamque corrigendi ut tibi adjungas homines noſtri Ordinis graviſſimos, & eruditiſſimos Polum, Burgenſem, Salviati, Moronum, Bembum, & ſi qui alii ejuſmodi ſunt, qui bonas artes, litteraſque ſectentur, magnopere etiam a te peto. Nam qui in alio quodam genere doctrinæ verſati ſunt, neque attigerunt muſas politiores, eos te arbitror exiſtimare minus ad noſtra hæc dijudicanda idoneos eſſe poſſe, qui ſoleant nos non tam ad Catholicæ fidei, ſanctæque univerſalis Eccleſiæ inſtituta, atque decreta, quibus propenſe, & ſine cunctatione ulla parendum, & obediendum eſt, quam ad ſuos quoſdam nimium litigioſos, & parum graves magiſtros judiceſque revocare. Sed de his ſatis. Illud quoque te rogo, quoniam ego ex Italia diſcedens ampliſſimo Cardinali Sanctæ Crucis pollicitus fueram, me hanc compoſitionem de Purgatorio cum primum habuiſſem confectam, illi eſſe miſſurum, ut eam tu cum acceperis continuo cum illo communices, quo meæ promiſſionis fides apud eum conſtare poſſit. Vale, & nos dilige.

Ex S. Felice V. Id. Junii MDXLIV. Facies hoc quoque mihi gratum, ut cum Ambroſio Catherino meum hunc libellum conferas.

160 *AMICO CUIDAM,* - ID EST JACOBO CARD. SADOLETO

Jamdiu ſcribere cogitantem, & diuturni ſilentii ſuppudentem Gregorium excitavit Epiſtola Sadoleti, & adjunctus de Purgatorio libellus. Hanc, quia amicis avide poſtulantibus denegare non potuit, vix primis labiis deguſtavit; novit tamen difficillimum quemdam locum luculentiſſime explicari; cæterum ſignificaturum poſtmodum ſe, quid & ipſemet, & alii de libro ſentiant. Tandem cum ex aliorum calamitatibus, Romæ etiam quiſque jam diſcat de propriis periculis cogitare, maxima cum voluptate credit debere Sadoletum frui honeſtiſſimo otio, quod in multorum utilitatem vertitur.

ETSI ratio officii poſtulabat, ut poſt tuum a nobis diſceſſum crebras ad te litteras darem, quibus & de rebus publicis, & de privato rerum mearum ſtatu fieres certior, hoc enim & conſtitutæ inter nos amicitiæ, & maximis multiplicibus beneficiis in me tuis fuiſſet conſentaneum: neſcio tamen quo pacto factum eſſe dicam, ut cum dies nullus eſſet quo non id facere cogitarem, omnes tamen re, ut ita dicam, infecta elabebantur. Cum vero tandem nos diuturni ſilentii ſuppuderet, conſtituiſſemque omnino in poſterum ejuſmodi negligentiæ maculam Epiſtolarum delere frequentia, repente redditus eſt mihi a te faſciculus, in quo non ſolum ad me, & ad complures amicos litteræ fuerunt, ſed elegans etiam de Purgatorio loco libellus, cujus, ut facile intellexi, maxima apud omnes expectatio jam antea concitata erat; quod dum tu Bononiæ eſſes, cum neſcio quid de ea re & doctis, & tui amantiſſimis fuiſſe pollicitus, viſum eſt nobis nihil opportunius accidere potuiſſe. Quod enim prius, nullo fere propoſito argumento facere cogitaram, ut ad te ſcriberem, nunc tali ſubjecta materia, longe facilius mihi videor eſſe facturus: licet hactenus quidem mecum acciderit incommodiſſime: tanta enim fuit flagitantium moleſtia, ut vix ſemel libelli legendi, & id ipſum curſim, facultas nobis data fuerit. Qui enim litteras tuas reddidit, neſcio qua ratione, intellexerat librum in eundem faſciculum fuiſſe conjectum, cumque id palam prædicaret, non potuit a me amicis poſtulantibus diutius denegari, præſertim illis ipſis, de quibus ad me ſcripſeras. Ex eo tamen quod primis (ut ajunt) labris guſtare licuit, intellexi, maximæ obſcuritatis locum, & a nullo antea ſatis diligenter tractatum, & neſcio an omnium, qui nunc præcipue in controverſiam venere, longe difficillimum, a te & tractari commode, & luculentiſſime explicari. Qua de re tamen, non ſolum quid ego ſentiam, cum ex amicorum manibus librum recupera-

pera-

peravero, ſed & quid ipſi judicaverint ſumma fide, & diligentia te faciam certiorem. Nunc ea tantum de cauſa ad te ſcripſi, ne fortaſſe, ut nunc ſunt tempora, ſuſpicareris litteras tuas ad nos non perveniſſe. Quod ad publica attinet, ſcias velim omnium animos ex rerum eventu hic ſuſpenſos eſſe, nec quieturos aliquando, donec ad hujus miſerrimi belli exitum perveniatur. Etſi enim non magnopere adhuc Romæ tumultuatum eſt, Summi Pontificis conſilio, & pene divina providentia, cum tamen omnia armis undique circumſonent, vix fieri poteſt, ut ex aliorum calamitatibus non cogamur de propriis periculis cogitare. Tu quando honeſtiſſimum ocium nactus es, & in ea potiſſimum civitate, in qua & tui Sacerdotii munera præſens obire potes, & quæ cæli clmentia, & amœnitate locorum maxima te poteſt afficere jucunditate, partem velim credas magnam felicitatis te eſſe aſſecutum; præſertim cum prope omne tempus inſumas in opprimenda, extinguendaque perditorum hominum impietate, qui non jam, ut antea, occultis cuniculis, ſed aperte, arcem ipſam, caputque totius religionis invaſere. Vale. Et recuperato ab amicis libello, longiores a me litteras expecta.

161 *JACOBUS CARD. SADOLETUS*

GREGORIO CARD. CORTESIO S.

Pro Sigiſmundo Albano, qui in Carpentoractenſi provincia negotia quædam difficilia agebat pro Summo Pontifice, & pro Cardinali Farneſio, & qui expectativam obtinuerat Canonicatus Urbinatis jam a Summo Pontifice, & a Canonicarum collegio comprobatam, agit Sadoletus apud Gregorium Epiſcopum Urbinatem, qui in locum Canonici nuper demortui jam alium ſuffecerat. Sigiſmundum laudat Sadoletus, illumque Gregorio commendat rogans, ut ſaltem rem perficere differat, quoad Sigiſmundus ipſe in Italiam rediens jus ſuum prodat, paratus tamen proprio commodo cedere, ſi Gregorius juſſerit.

Sigiſmundus Albanus Urbinas, ex eo videlicet genere hominum, qui tuæ fidei, juſtitiæ, religionique crediti, & commiſſi ſunt; idemque præſtantiſſimi Cardinalis Farneſii familiaris; hic nunc apud nos procurat negotia quædam, quæ ad dominum ſuum, & ad Summum Pontificem pertinent, quorum ipſe agendorum, & curandorum cauſa, dedita opera ab illis in hæc loca miſſus eſt. Procurat autem eo modo, ut quantum perſpici adhuc a nobis, & cognoſci potuit, neque integritatem in eo, nec prudentiam deſideremus. Quod hoc magis etiam a nobis omnibus animadverſum, & ſumma laude dignum viſum eſt, quod ejuſmodi habet ille mandata, quæ nec temporum nunc quidem, nec rerum perturbatio, faci-

facile patiatur ad effectum ſuum perduci. Is a me in amicitiam ſtudioſe receptus, & mihi factus perſamiliaris, rogavit me, uti cauſam quandam ſuam, & ſeipſum una litteris tibi diligenter commendarem. Non enim dubitat quin pro noſtra mutua, inſignique benevolentia, magni momenti apud te mea commendatio eſſe debeat, in ea re præſertim etiam, quam ſi minus mihi eſſet tecum quam eſt, tamen ab æquitate, atque humanitate tua ſperaremus poſſe impetrare. Ea porro hujuſmodi eſt. Sacerdotia Eccleſiæ tuæ Urbinatis, quæ Canonicatus vocamus, ea conditione eſſe idem Sigiſmundus affirmat, ut ſi quod forte vacet illorum, pertineat novi ſacerdotis cooptatio ad collegium illic canonicorum, quos habere jamdiu dicit & jus, & conſuetudinem cooptandi: quorum Sacerdotiorum nuper unum cum ejus morte, qui id obtinebat, vacaverit, ipſeque jure expectativæ, quæ ſibi a Summo Pontifice dudum conceſſa, conſenſu etiam, & cooptatione Collegii totius ſit comprobata, aditum ſe habere confidat ad eum Canonicatum jure optimo poſſidendum: tamen intellexit, nec ſine aliqua quidem mea, ſuaque moleſtia, te aliter de ea re ac nos vellemus ſtatuiſſe, inque demortui locum alterum in illo Sacerdotio Canonicum ſufſeciſſe. Quod etſi optimo animo abs te eſſe factum arbitramur, nec ut cuiquam jus ſuum eriperes, ſed ut tuum conſervares, tamen quoniam negotiis Principum ſuorum non ſolum, ſed utilitatibus etiam, & bono hujus provinciæ hic nunc apud nos Sigiſmundus detinetur, quod eam multis rationibus perturbatam ipſe dat operam, me quidem hortante, & adjuvante, quoad poteſt, ut pace, & concordia ſedet, ac leniat: ob eamque rationem abſens nequit tibi coram cauſam ſuam exponere, & ipſe abs te hoc deſiderat, & ego omni animi mei ſtudio, & conatu te rogo, atque oro, ut quoad ipſe redeat in Italiam, quod proximo Septembri menſe omnino facere conſtituit, velis ita trahere, & ſuſtentare rem, ut cum eum audiveris, cauſamque omnem cognoveris, (namque alium neminem Sigiſmundus præter te totius juris ſui judicem, & diſceptatorem habere vult), ſit tibi integrum quod verum tunc, & honeſtum tibi fuerit viſum ex conſueta tua virtute, prudentia, æquitateque decernere. Non enim dubitamus, quin acturus omnia ſis, quæ ab integerrimo, & ſapientiſſimo homine expectanda ſunt. Porro Sigiſmundus ipſe eo animo eſt, tantique æſtimat gratiam, & benevolentiam tuam, ut etiam jus ſuum poſteaquam tibi probaverit, ſit tamen paratiſſimus, ſi tu ita juſſeris, anteponere tuam voluntatem cuicunque commodo ſuo. Ego vero, qui illius cauſa laboro non ſecus, quam facerem mea, aut hoc etiam amplius quod honeſtius eſt pro amici utilitatibus, quam pro ſuis curam, & laborem capere, peto a te, optime Corteſi, ut in hac re, in qua nihil tibi detrahitur, tantum benignitas, & comitas tua a nobis flagitatur, velis omnibus iis qui fortaſſe neſciunt oſtendere, plurimi a te fieri & voluntatem, & commendationem meam. Quod cum feceris, & mihi ages gratiſſimum, & Sigiſmundum ipſum, qui te ſummo cum honore & colit,

lit, & obſervat, hoc tantæ humanitatis tuæ ſigno, atque officio tibi in perpetuum obſtringes. Vale.

Ex S. Felice pridie Cal. Julii MDXLIV.

162 *GREGORIUS CARD. CORTESIUS*

REGINALDO CARDINALI POLO S.

(a) Poſcit ab eo, ut a Commiſſario Generali Ordinis Scapucinorum obtineat ad Civitatem ſuam Urbinatem tranſmitti ſub Dominici Adventus, & Quadrageſimæ tempora unum aliquem ex Ordine illo Evangelici verbi Concionatorem.

ET quia Dominici gregis mihi ex parte cura credita eſt, qui ut exemplo, ita & verbo præcipue paſcitur, & te maxime omnium Chriſtianæ Reipublicæ amantiſſimum eſſe nemo non novit: Amplitudinem tuam etiam, atque etiam rogatam velim, ut apud Commiſſarium Generalem Ordinis Scapucinorum, qui quanti jure optimo te faciat, quantique apud eum ſis, ego locupletiſſimus teſtis ſum, pro tua ſingulari humanitate, atque in Deum charitate ita agere, ita rem tractare non graveris, quod tamen commodo tuo fiat, ut ad Civitatem Urbinatem ſub Dominici Adventus, ac Quadrageſimæ tempora virum aliquem ex Ordine ſuo Evangelici Verbi doctorem allegет, qui veluti lucerna ardens, ac lucens Civitatem illam Chriſtiana, atque cæleſti doctrina ad bene, beateque vivendum inſtruat, atque informet, & præclaræ vitæ exemplis non tantum adhortari, atque inflammare, verum etiam ad ea, quæ agenda noverint impellere poſſit, ſimulque illud conſideret, ſe non honorem, ſed onus, & miniſterium Chriſti, ac diſpenſationem multiformis gratiæ Dei ſuſcepiſſe; illudque Propheticum ſæpenumero memoria repetat; Leva in circuitu oculos tuos, & vide, omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi. Deo enim adjuvante, ſperamus in terram bonam illum ſemen ſparſurum, & fructum centuplum in patientia allaturum. Vale Ampliſſime, atque optime Pater, & nos ut facis ama.

Romæ 30. Junii MDXLVI.

(a) Excerpta eſt hæc quoque ex collectione Epiſtolarum Reginaldi Poli, de qua ſupra num. 49. Habetur in Parte IV. pag. 30. Argumentum habetur pag. 358. in Synopſi earundem Epiſtolarum Angeli M. Cardinalis Quirini.

Φιλίππῳ Σαυλίῳ Ἀρχιερεῖ. Γρηγόριος.

Τῶν παλαιῶν γνώμας τινάς, καὶ ἐπὶ ταύταις Θαλοῦ τοῦ φιλοσόφου ἐπανορθώσεις τε, καὶ ἐξηγήσεις πρὸς Φίλιππον Σαύλιον ἐπιστέλλει. ὅνπερ οἶδε σεμνοτάτων, καὶ ἁγιωτάτων ἀνδρῶν παραδείγματι, ταῖς μέντοι τῶν ἐξωτέρων φιλοσόφων χαίροντα γνώμαις. ὥσπερ τι κατὰ καιρὸν εἰς τὴν ἑαυτοῦ τρέπειν ὠφέλειαν οὐ μόνον τέρπει, ἀλλὰ καὶ πρέπει.

ΓΝώμας τινὰς τῶν πάλαι σοφῶν ἀναλεξάμενος πέμπω σοι θεοφιλέστατε Φίλιππε. εἰ δὲ μή τι τῶν ἐμῶν, ταπεινῶ ἀναβεβλήσθω. εἰσὶ δὲ αὗται ὡς ἀπορήματα προτεθεῖσαι μὲν ὑπὸ Ἀμάσιδος τοῦ αἰγυπτίων βασιλέως· διαλυθεῖσαι δὲ ὑπό τινος αἰθιοπίας βασιλεύοντος, ὥς φησι πλούταρχος κατ᾽ ἐκεῖνον, μετὰ ταῦτα δὲ ἐν συμποσίῳ τῶν ἑπτὰ σοφῶν ὑπὸ Θαλοῦ, κατ᾽ αὐτὸν Πλούταρχον. ἄλλως, καὶ ὡς ἔοικε βέλτιον ἀποδοθεῖσαι. τούτου δὲ καὶ αὐτὸς κριτὴς ἔσῃ. οἶδα δὴ γάρ σε καὶ τῶν ἐξωτέρως φιλοσοφούντων ταῖς γνώμαις, ὡς δεῖ, χαίροντα, καὶ κατὰ τοῦτο οὐκ ἀπᾴδειν τοῦ τῆς καθ᾽ ἡμᾶς σοφίας σχήματος· Βασίλειος ὁ μέγας καὶ ὁ θεῖος Ἱερώνυμος, προσμαρτυροῦσι τῷ λόγῳ. ὁ μὲν διδάσκων ὡς δεῖ καὶ τὰ κατ᾽ ἐκείνους ἡμᾶς ἐᾶν ὅτι μετιέναι, ὁ δέγε θεῖος ἱερώνυμος πολλαχοῦ μεστὸς φαινόμενος τῆς τῶν ἑλληνικῶν παιδείας· οὐχ ἥκιστα δὲ καὶ ἐν οἷς διέξεισι περὶ Ἀπολλωνίου τοῦ τυανέως καὶ τῆς ἰνδῶν τῶν βραχμάνων σοφολογίας. καὶ περὶ τούτων μὲν ἅλις. πρῶτον δὲ τίθεικα τὰς τοῦ αἰθίοπος ἀποκρίσεις, πρὸς τὰς τοῦ Ἀμάσιδος ἀπορίας, μετὰ ταῦτα δὲ τὰς τοῦ Θαλοῦ, τοῦ τῶν ἑπτά, διορθώσεις τε, καὶ ἔτι ἀποκρίσεις.

Ἄμασις	ὁ Αἰθίοψ	ὁ Θαλῆς.
τί πρεσβύτατον;	χρόνος	θεός· ἀγέννητον γάρ
τί μέγιστον;	κόσμος	τόπος· τὸν γὰρ κόσμον οὗτος περιέχει.
τί σοφώτατον;	ἀλήθεια	χρόνος· τὰ μὲν εὕρηκε, τὰ δὲ εὑρήσει
τί κάλλιστον;	φῶς	κόσμος, πᾶν γὰρ τὸ κατὰ τάξιν τούτου μέρος ἐστί.
τί κοινότατον;	θάνατος	ἐλπίς· καὶ γὰρ οἷς ἄλλο μηδέν, αὕτη πάρεστι.
τί ὠφελιμώτατον;	θεός	ἀρετή· καὶ γὰρ τὰ ἄλλα, τῷ χρῆσθαι καλῶς, ὠφέλιμα ποιεῖ
τί βλαβερώτατον;	δαίμων	κακία. καὶ γὰρ τὰ πλεῖστα βλάπτει παραγινομένη.
τί ῥωμαλεώτατον;	τύχη	ἀνάγκη. μόνη γὰρ ἀνίκητος.
τί ῥᾷστον;	ἡδύ	τὸ κατὰ φύσιν.

Θαλῆς ἔφη τὸν χρόνον οὐκ εἶναι πρεσβύτατον, τὸ μὲν γὰρ αὐτοῦ γεγονός, τὸ δὲ ἐνεστός ἐστι, τὸ δὲ μέλλον. καὶ ὁ μεθ᾽ ἡμᾶς ἐσόμενος χρόνος καὶ πραγμάτων τῶν νῦν, καὶ ἀνθρώπων νεώτερος ἂν φανείη. ἡ ἀλήθεια οὐκ ἐστὶ σοφώτατον, τοῦτο γὰρ ὅμοιον τῷ, τὸ φῶς ὀφθαλμὸν εἶναι, λέγειν· ἡ δὲ περὶ θεῶν καὶ δαιμόνων ἀπόκρισις θράσος ἔχει καὶ κίνδυνον τῷ λέγειν ταῦτα περὶ ἐκείνων. ἄλογος δὲ καὶ ἡ περὶ τῆς τύχης. οὐ γὰρ ἂν μετέπιπτε ῥᾳδίως ἰσχυρότατον οὖσα τῶν ὄντων καὶ ῥωμαλεώτατον. οὐδὲ ὁ θάνατος κοινόν· οὐ γὰρ οἱ ζῶντες αὐτοῦ μετέχουσιν· οὕτω μὲν τὰ τοῦ αἰθίοπος ἀνασκευάζει Θαλῆς· σὺ δὲ ταῦτα ἐυμενῶς τε ἀπόδεξαι, καὶ τῷ ἀδελφῷ σου Δομινίκῳ, καὶ τῷ θείῳ ἡγεμόνι τῆς ἱερωτάτης ἡμῶν συντάξεως, ὡς δῆλον με σύστησον. ἔρρωσο, μεμνημένος τοῦ σοῦ Γρηγορίου.

Digitized by Google

PHILIPPO SAULIO EPISCOPO GREGORIUS.

Nonnullas veterum ſententias, atque in eaſdem Thaletis Philoſophi correctiones, & explanationes Philippo Saulio mittit, quem novit, ſummorum, & ſanctiſſimorum virorum exemplo, ſententiis etiam prophanorum Philoſophorum delectari, quas commode aliquando decet, & juvat in proprium uſum vertere.

VEterum tibi mitto ſapientum ſententias nonnullas, quas collegi, Philippe Deo chariſſime. Quod ſi nihil hic meum eſt, illud ſcito, in aliud me tempus differre maluiſſe. Sunt autem illæ quaſi quæſtiones quædam, ab Amaſide in Ægypto regnante propoſitæ, eaſque primum, ut de illo ſcribit Plutarchus, Rex quidam Æthiopiæ declaravit, deinde vero in convivio ſeptem ſapientum a Thalete, ut auctor eſt idem Plutarchus, aliter quidem, ſed melius, ut videtur, explanatæ. Sed ejus rei tuum eſto judicium. Nec enim ignoro, te & profanorum Philoſophorum, ut decet, ſententiis delectari, neque ſapientiæ ornatum, quæ apud nos in honore eſt, propterea faſtidire. Jam Baſilius Magnus, Divus item Hieronymus conſilium meum probant: quorum ille docet, quemadmodum, quæ apud profanos inveniuntur, nos aliquando uſurpare deceat; Hieronymus vero Græcorum diſciplinis refertus apparet, cum ſæpe alias, tum maxime in his, quæ de Apollonio Tyanæo diſſerit, atque de Indorum Brachmanum philoſophia: ſed de his ſatis. Primum autem ad Amaſidis quæſtiones reſponſa Æthiopis adhibui, deinde vero Thaletis unius e ſeptem correctiones, tum reſponſa.

Amaſis	*Æthiops*	*Thales.*
Quid antiquius?	Tempus	Deus. Increatus enim.
Quid maximum?	Mundus	Locus. Illum enim ambit.
Quid ſapientius?	Veritas	Tempus. Quæ alia invenit, alia autem inveniet.
Quid pulcerrimum?	Lux	Mundus. Quidquid enim ordinatum eſt, illius pars eſt.
Quid communius?	Mors	Spes. Quibus enim nihil eſt aliud, ipſa tamen adeſt.
Quid utilius?	Deus	Virtus. *Hac enim ut aliis bene utamur efficit.* Vel forte melius: Quæcumque enim alia bene utentibus utilia facit. Vel bene utendo.
Quid nocentius?	Dæmon	Vitium. Quod pleraque, ſi adſit, inficit.
Quid fortiſſimum?	Fortuna	Neceſſitas, ſola quippe invicta.
Quid facilius?	Suave	Quod eſt juxta naturam.

Tempus eſſe antiquiſſimum Thales negavit; namque partim præteritum, partim præſens eſt, partimque futurum. Tempus autem illud, quod nos ſubſequetur, & rebus, & hominibus, qui nunc ſunt, recentius erit. Non eſt omnium ſapientiſſimum veritas: id enim perinde eſt, ac ſi lucem ipſam oculum eſſe, contenderes. De Diis autem, & Dæmonibus reſponſum quod attinet, audax non nihil eſt, & talia de iis affirmare periculoſum. Rationi diſſonum illud de fortuna: neque enim tam facile conſideret, ſi rerum omnium, quotquot ſunt, fortiſſima eſſet, ac robuſtiſſima. Neque communis mors eſt; viventes quippe illius expertes ſunt. Ita Æthiopis reſponſa Thales labefactat. Jam vero tu hæc benigne accipito, & me tamquam ſervum cum fratri tuo Dominico, tum vero divino illi Sanctiſſimi Ordinis noſtri Principi commendato. Vale memor tui Gregorii.

Φιλίππῳ Σαυλίῳ Γρηγόριος.

Ἀπὸ τοῦ γράφειν ἀπείργετο Γρηγόριος ὅτι τῷ φίλῳ παραινοῦντι χαρίσασθαι οὐχ οἷός τ' ἦν· ἀλλ' ὅμως ὀψὲ δὴ γράφει τῇ Φιλίππου φιλανθρωπίᾳ πεποιθώς, οὗ καὶ φιλίᾳ ἑαυτὸν ὁλοψύχως ἐπιδίδωσι.

Ἐγὼ πρὸς σὲ γράψαι ταῦτα πολύν τινα χρόνον ὤκνουν, ὁμολογῶ· ἡ δὲ αἰτία, θεσπέσιε Φίλιππε, οὐχὶ τὸ μὴ δύνασθαί με σοι χαρίσασθαι φίλων ἀρίστῳ, καὶ λογιωτάτῳ τῶν καθ' ἡμᾶς· ἐπειδὴ γὰρ τῶν ὑμετέρων τις κοσμίως, καὶ φιλόφρων πολλάκις με προὔτρεψεν ἀφικέσθαι πρὸς ὑμᾶς, δίς που καὶ τρίς τὸ πρᾶγμα σκεψάμενος, εὗρον ἀδύνατόν μοι παντάπασι τὰς ἐνταῦθα παρεῖναι διατριβάς· πάντα δὲ τὰ κωλύοντα μαθήσῃ παρὰ τοῦ προειρημένου. οὕτω μὲν οὖν ὤκνουν, ὡς ἔφην, πρὸς τὴν ἐπιστολὴν· φίλον εὖ εἰδὼς ἀεὶ κεῖνο, εἰ καὶ ἄκων· καὶ ταῦτα φίλον τοιοῦτον· σὲ φημὶ τὸν θεοφιλέστατον Φίλιππον. ἀλλ' ἀναμνησθεὶς σοῦ τὸ φιλάνθρωπον ὑπὸ σοῦ μὲν ἀπόντος, ὑπὸ δὲ τοῦ σοφοῦ καὶ θείου Διονυσίου παρόντος πάλιν ἐθάρρησα· προτραπεὶς ἐπιστεῖλαί σοι· καὶ πρὸς τὸ μέλλον ἀποβλέπων σου δέομαι γράφειν εἴτι δυναίμην σοι χαρίσασθαι προστάττοντι· εἴθε δὲ καὶ παρών μοι προσέταττες ὁσημέραι· ἔρρωσο.

Χριστοφόρος Λογγόλιος Γρηγορίῳ Κορτησίῳ.

Ὅτι τῷ Οὐιννισιάτων ἐπισκόπῳ ἀντιλέγειν οὐκ ἔξεστιν, ἑλληνιστὶ ἐπιστεῖλαί φησι Λογγόλιος, καὶ οἷον ἐπιστεῖλαι, ὅπως συνδιατρίβοι Γρηγορίῳ ἀνδρὶ δήπου παντάπασιν ἐπαινετῷ. τοιγαροῦν ἀπόντα μὲν θαυμάζει· παρόντος δὲ, συνηθείας ἀπολαύειν ἐλπίζει ἐπὶ τῆς Λήρωνος, ἔνθαπερ ἀναχώρησις αὐτῷ μὲν πανωφελής, Γρηγορίῳ δὲ οὐκ ἄτερ δόξης ἔσεσθαι οἴεται.

Οὐ διὰ τοῦτο προσέταξέ μοι πρός σε ἑλληνιστὶ γράφειν, ἢ ὡς σύγε ταύτῃ ἀντεπιστείλαις· τοῦτο γὰρ ἂν εἴη ὡς ἀληθῶς αἰτεῖν χρύσεα ἀντὶ χαλκείων, μᾶλλον δὲ πολλήν σοι ἀναισθησίαν ὀφλισκάνειν) ἢ ὅτι ἐγὼ κοινοτέρᾳ τῇ τῶν Ἑλλήνων διαλέκτῳ ῥᾷον χρῶμαι τῆς τῶν Ῥωμαίων φωνῆς, καίτοι οὐδ' ἐν ταύτῃ εὖ ἔχων, ἑλληνικὰ δόξειε πῶς ἂν ἐδυνάμην βάρβαρός τ' ὤν, καὶ τρισὶν οὐδ' ὅλοις ἔτεσιν τοσαύτην γλῶτταν μεμαθηκώς· ἐφ' ὅτῳ γοῦν εἴποις ἂν, ὥστε πείθωμαι τοῖς τοῦ Οὐιννισιατῶν ἀρχιερέως ἐπιτάγμασιν, ἀνδρὸς οὐχ ἧττόν σοι διὰ τὴν σὴν καλοκαγαθίαν φιλτάτου. ὃ ἐμοῦ οὐκ οἶδα πῶς κρατήσας καὶ ἄσκει δή που ἐξουσίαν εἰς ἐμ' ἔχοντος, ὅπερ σε ἀεὶ ἐγκαλεῖσθαι, εἴτι ἐνταῦθα ἐλευθερώτερόν τε, καὶ περισσότερον εὑρήσεις, ὥς τοι παντάπασιν ἀμφότερον εὑρήσεις. δεῖ γὰρ, οἶμαι, τὰ τῶν σφαλλόντων ἁμαρτήματα πρὸς τὸν βιαζόμενον, οὐκ εἰς τὸν βιασθέντα ἀναφέρειν· τί γὰρ ἂν καὶ πάθοι τις, ὁπότε φίλος τε καὶ κρείττων ἀνὴρ ἀναγκάζοιτο. εἰ δὲ χαλεπὸν ὁ ἐπιτάττοι ἐπίταγμα καὶ οὐ πάντῃ ἀσφαλὲς ἔοικεν, ἀλλὰ περὶ μὲν τῆς αἰτίας τοῦ πρός σε ἑλληνιστὶ ἐπιστέλλειν ταῦτα. τίνος δὲ ἕνεκα σοι τὸ παράπαν φθάσοιμι γράφων, αὐτὸ τοῦτ' ἐστὶν ἵνα δὴ μετὰ σοῦ ὁποσοῦν γενήσωμαι· ὃν μανθάνω τῶν τε πεπαιδευμένων καὶ εὐσεβῶν οὐδενὶ δεύτερον ὄντα τυγχάνειν. μήτε λόγων δυνάμει, μήτε φιλοσοφίας πολυμαθίᾳ, μήτε ἱερῶν γραμμάτων ἐξηγήσει, μήτε, τὸ μέγιστον ἁπάντων, τρόπων χρηστότητι. καὶ ταῦτα συγγενὲς σοι Παῦλον μιμήσει, ὃς τὰς θεολογικὰς ἐκείνας ἀφορισμοὺς συγγέγραφας, ἔτι διὰ πάντων στόματος ἔπταται καὶ λογιωτάτων χερσὶν ἀεὶ τριφθήσεται· πῶς γὰρ οὐκ ἂν ἐπεθύμουν τῇ σῇ παιδεύσει συνεῖναι, εἰ φύσει πᾶσιν ἀνθρώποις ὑπάρχει ἐφίεσθαι τῆς ἀνθρωπίνης γε τελειότητος. δι' ἣν καὶ τοὺς ἐνταῦθα τοσοῦτον μακαρίζῃ, ὥς τε καὶ ἐγχειρεῖσθαι πρὸς τὸ ἐπιστέλλειν ὀκνηρὸν ἄλλως καὶ μὴ φιλήσαντα· εἰς πεδίον φασὶ τὸν ἵππια προκαλεῖν· οὐ μὲν δὴ, οὔτε νῦν σε προκαλῶ οὔτε δὴ ἀμείβεσθαι βουλοίμην ἄν· μᾶλλον δὲ τὸ ἀντεπιστέλλειν παραιτοῦμαι, ὡς μὴ δηλονότι τοῦ ἀνταμείβεσθαι τὸ ἀπαίδευτον ἐμὸν πάλιν δηλώσαιμι· τοῦτον ἀξιῶ καὶ δέομαί σε τὸν σὸν Λογγόλιον ἀπόντα μὲν ἀεὶ φιλεῖν σοί γε λατρεύοντα· παρόντα δὲ δέξασθαι. εἴποτε εἰς τὴν σὴν Λήρωνα, καὶ τὸ σὸν νησίδιον ἀφίξεται, ἄφθονον ἐκείνην ἡσυχίαν τε καὶ ἐλευθερίαν

τὴν

Digitized by Google

PHILIPPO SAULIO GREGORIUS.

Quod amico hortatori morem gerere non poſſet, deterrebatur a ſcribendo Gregorius; ſcribit tamen nunc demum confiſus humanitate Philippi, cujus amicitiæ ſe totum devovet.

DIU, ut hæc ſcriberem, cunctatus ſum: Fateor. Illud autem cauſæ fuit, clariſſime Philippe, quod tibi amicorum meorum optimo, & prudentiſſimo gratum facere non licebat. Cum enim veſtrum quidam elegans idem, & urbanus ad vos venire me ſæpius hortatus fuiſſet, re bis, terque conſiderata, eas, quibus hic detinebar, occupationes prætermittere omnino integrum mihi non eſſe animadverti. Quæ autem impedierint, ex eo, quem dixi, noſces. Ego vero propterea, ut dixi, ne hanc epiſtolam darem tergiverſabar. Tametſi probe noveram me, quamvis invitum, injuria amicum afficere, atque talem amicum. Te appello, ſanctiſſime Philippe. Humanitatis tamen tuæ memor, nec minus tui abſentis, quam ſapientis, atque optimi Dionyſii præſentis hortatu has ad te literas denuo mittere aggreſſus ſum. Impoſterum, ſi quid tibi jubenti gratum facere poſſim, de eo per litteras, ut certiorem me facias, etiam atque etiam rogo. Utinam quotidie a me aliquid præſens expoſtulares. Vale.

CHRISTOPHORUS LONGOLIUS GREGORIO CORTESIO.

Græce ſe ſcribere ait Longolius, quod Venuſino Epiſcopo jubenti contradicere non licuerit; ſe vero ſcribere ut aliquo modo Gregorium conveniat, virum nempe numeris omnibus undequaque commendatum. Ejus, quem nunc abſentem ſuſpicit, præſentis conſuetudine frui ſperat in Lerinenſi ſeceſſu, quem & ſibi utiliſſimum, atque una Gregorio non ingloriam conſilit.

NON iccirco ad te græce ſcribere in animum induxi, vel ut eodem tu ſermone mihi reſcribas; (hoc enim eſſet, ut verum fatear, aurea pro æneis efflagitare, imo impudentiſſime facere) vel quod græcæ linguæ mihi major facultas ſit, quam Romanæ: in qua ſane cum non valde profecerim græcas ad te litteras dare qui poſſim ſcilicet homo barbarus, neque tribus totis annis in ea tam difficili lingua verſatus. Quid ita porro inquis? Nempe ut Venuſinorum Epiſcopi juſſis parerem viri non minus tui propter probitatem tuam amantiſſimi, quam mei, neſcio quo fato dominantis, ac veluti poteſtatem habentis. Hunc accuſes oportet, ſi quid hic jejunius, ſi quid etiam redundantius inveneris: invenies autem utrumque. Peccata quippe, niſi fallor, in eum, qui compellit, rejicienda ſunt, non in eum, qui compellitur. Quid enim illi fiet, cui amicus, idemque potentior vim inferat, eique negotium ſpiſſum, nec omnino tutum imponat? Nimirum, cedat, neceſſe eſt. Sed, cur tibi græce ſcripſerim, hactenus. Quam autem ob rem te ſcribendo omnino anteverterim? ideo eſt, ut tecum quomodo eſſem, quem audio doctorum hominum, & religioſorum nemini ſecundum eſſe tum eloquentia, tum abſoluta philoſophiæ cognitione, tum ſacrarum litterarum expoſitione, tum vero, quod caput omnium eſt, morum ſuavitate. Accedit conſanguinei tui Pauli imitatio, cujus theologicæ inſtitutiones in lucem editæ, adhuc per omnium ſermones, atque ora volitant, & ſapientiſſimorum hominum manibus perpetuo teruntur. Quid enim tuæ me diſciplinæ adjungere non optarem, cum natura omnibus hominibus inſitum ſit hominis perfectionem propriam concupiſcere? Cujus rei gratia ab his adeo beatus prædicaris, ut etiam alioqui tergiverſantem, nolentemque ad ſcribendum incitare ſoleas: hoc eſt, ut ajunt, equitem in campum provocare. Verum enim vero neque te nunc provoco: neque te mihi reſpondere vellem, imo vero reſponſionem tuam a me deprecor: ne ſcilicet iterum tibi reſcribendo imperitiam meam denuo manifeſtem. Illud tantum oro, atque efflagito, ut abſentem tuum Longolium amore tuo ſemper proſequaris tanquam ſervum; præſentem vero amice

τὴν παρ᾽ ὑμῶν μεθ᾽ ὑμῶν καρπωσόμενος, ὅπερ ἂν σε ποιήσασθαι νομίζω. τῇ μὲν ὅτι καὶ εἰ μὴ ἴσως συμφορὰ ἐπέλθοι, ἥκειν, ἐπιζήτησα. τῇ δὲ διὰ τὸ σοὶ οὐκ ἀλόγως ἔσεσθαι, εἰ ἐν τῷ μουσείῳ σου διατετριφυῖαν ἐπὶ τὴν κορυφὴν ταῖς ἐμαῖς μελέταις ἐπιθήσω. ἵνα, ἐμοί γε δοκεῖν μόνον καθ᾽ ἡμᾶς σπουδὸς ἐστι τῇ φιλοσοφίᾳ χώρησις. οὔποτε παυσαίμην ἂν γράφων πρὸς τὴν σὴν παίδευσιν, εἰ μὴ τό τε δέος καὶ ἡ ἀπαιδευσία τὸ σιγᾶν κελεύσειεν. ὥς τε μοι συμβέβηκεν τοὐναντίον τοῦ Θουκυδίδου λέγοντος, ὅτι ἡ ἀμαθία μὲν θράσος, ὄκνον δὲ τὸ λελογισμένον ἀπεργάζεται. προσαγορευέσθω μοι ὁ κοινὸς τῶν καλῶν κἀγαθῶν φίλος Αὐγουστῖνος Γριμόαλδος τῶν αἰτιπολιτῶν ἐπίσκοπος· ὅσπερ παρὰ σοῦ. ὡς καὶ σὺ παρ᾽ ἐμοῦ σπουδάσασθαι περὶ πολλοῦ ποιήσειν, φησὶ Σίλβιος ὁ ὑμῶν· διὸ προσειπέτω ὁ αὐτὸς παρ᾽ ἐκείνου ἐπιμελῶς καὶ προσέτι πάντες οἱ ἐκεῖ Μοναχοί σου. ἔρρωσο. ἐν Ῥώμῃ. Πυανεψιῶνος ἐνάτῃ φθίνοντος.

ΤΕΛΟΣ.

excipiàs; ſi tandem aliquando in Lerinam tuam proficiſcatur, parvamque in Inſulam deveniat, honeſta illa, quæ apud vos eſt, libertate, & quiete vobiſcum fruiturus: quod te facturum eſſe certo ſcio: Tum quia ſi non utilia, certe non inutilia rogavi; tum etiam, quoniam inglorius tibi non ero, dum in tuo Muſæo commoratus, ultimam ibi meditationibus meis manum imponam: ubi ſolum, meo quidem judicio, conſentaneus eſt philoſophiæ ſeceſſus. Numquam a ſcribendo tibi tam erudito homini ceſſarem, niſi mea mihi & ignorantia, & reverentia ſilencium imperarent. Ut mihi contra ea, quæ ajebat Thucydides eveniat: Audaces ſcilicet imperitiam, ſegnes vero ſapientiam facere. Salutatus mihi ſit bonorum omnium, & honeſtorum hominum communis amicus Antipolis Epiſcopus Augustinus Grimaldi, cui a te me commendari, ſicut & tu commendatus eſt a me, magni eum facturum, ait Silvius veſter: Quapropter meis verbis ipſe illum ſtudioſiſſime ſalutet, nec non & omnes alios tuos Monachos. Vale. Romæ XII. Calendas Novembris.

F I N I S.

INDEX NOMINUM

Eorum quibus a Corteſio ſcriptæ ſunt Epiſtolæ in hac Secunda Parte contentæ.

Adurnus (Hieronymus). Epiſt.	72 76 77 78
Bellincini (Franciſcus).	120
Bembus (Petrus) Cardinalis.	140
Borlaſca (Vincentius, de).	86
Bentinus (Michael).	109
Calcagninus (Cælius).	26
Camilli (Caſſianus).	80 83 84 85
Collegium Mutinenſium Canonicorum.	158
Dionyſius Monachus.	41 42 61 63 95 111 124
Æliſæus Monachus.	7 8
Enriotus (Perpetuus).	110
Ferrus (Jacobus) Ninenſis.	6 140
Fliſcus (Joannis Baptiſta).	82
Fregoſius (Federicus). 43 47 52 54 55 57 57 65 66 81 103 108 112 113 114 115 116	
Ghinucci (Hieronymus).	130
Gregorius Monachus.	12
Grimaldi (Auguſtinus).	33 34 40 67 70 96
Grimaldi (Hieronymus).	87
Hieronymus Monſeratenſis Abbas.	11 16
Julianus Monachus.	4 14
Lamberti.	5 64
Lando (Petrus) Dux Venetiarum.	156
Langeo (Gulielmus).	15 105
Leo X. Pontifex Maximus.	3
Longolius (Chriſtophorus).	9 37
Lutianus Monachus.	128 134
S. Marcelli (Dionyſius) Cardinalis.	154
Medices (Joannes).	1 2
Monelianus (Hieronymus).	68
Moronus (Joannes).	126
Naugerus (Andreas).	27
Palmarius (Hieronymus).	31
Paulus III. Pontifex Maximus.	141 142
Placentinus (Michael).	101 102
Placentinus (Raffael).	131

Pol-

Polus (Reginaldus). 133 162
Prato (Antonius de). 106
Quidam Amicus. 69
Quidam Abbas. 135
Raſcaſius. 118
Rodulphus Cardinalis. 148
Sadoletus (Jacobus). 19 88 107 160
Sadoletus (Paulus). 132
Sancto Venerio (Franciſcus de). 91 100
Sixus (Pamphilius). 18
Saulius (Stephanus). 25 28 29 30 35 38 39 49 50 90
Saulius (Philippus). 79
Severus Monachus. 94 121
Sforcia (Julius Aſcanius). Cardinalis Camerarius. 150
Salviatis (Joannes, de) Cardinalis. 152
Theocrenus (Benedictus). 13 23 24 32 48 73 76 77 78
Valentini (Euſebius). 117
Vitalis (Monachus). 56 98 119 122 123

INDEX NOMINUM

Eorum a quibus Corteſius litteras accepit in hac ſecunda Parte contentas.

Bembus (Petrus). Cardinalis. Epiſt. 451
Clarius (Iſidorus). 291
Collegium Mutinenſium, Canonicorum. 157
Dionyſius Monachus. 60 62 127 138 139 143
Fregoſius (Federicus). 44 51 53 58
Lindus (Petrus). Dux Venetiarum. 155
Longolius (Chriſtophorus). 10 36
S. Marcelli (Dionyſius). Laud. 153
Moronus (Joannes). 125
Paulus III. Pontifex M. 140
Rodulphus Cardinalis. 147
Sadoletus (Jacobus). 20 89 136 159 161
Silviatis (Joannes, de). Cardinalis. 151
Saxus (Pamphilius). 17
Sancto Venerio (Franciſcus de). 99
Saulius (Stephanus). 46
Severus (Monachus). 93
Sforcia (Julius Aſcanius). Card. Camerarius. 149
Theocrenus (Benedictus). 21 22 45 73 75
Vitalis Monachus 97

Digitized by Google

INDEX RERUM

Quæ in hac Secunda Parte notatu dignæ viſæ ſunt.

A

Abſentia Corteſii ægre fertur a Theocreno. pag. 81
Acciajoli Florentinus in Epiſtola a Fregoſio commemoratur, ſicut editor cujuſdam commentarii in libros Ariſtotelis. 97
Adurnus (Hieronymus) V. Adnot. (a) 114
Afflictio Corteſii ob matris interitum. 182
Albani (Sigiſmundus) a Cardinali Sadoleto Cardinali Corteſio commendatus . 229. Canonicatum Urbinatem optat. 230
Alienatio animi Fregoſium inter Archiepiſcopum Salernitanum, & Grimaldum Epiſcopum Graſſenſem, quam perverſi quidam foverunt. 130
Amicitia Corteſium inter & Longolium Venuſini Epiſcopi officiis inita. 25. Quantum ſibi de ea gratuletur Corteſius. 26. Quantum Longolius. 28
Amicitia Corteſii a Palmario quæſita. 66
Amicitia Corteſii in dies erga Theocrenum validior efficitur. 122
Amicitia Corteſium inter & Hieronymum Adurnum qui tunc Genuæ præerat. 123
Antonius quidam ut vir perelegans a Corteſio laudatur. 19
Auria (Andreas ab) Genuenſis claſſis præfectus. 107
Auria (Bartholomæus ab) Lucianum Grimaldum avunculum per inſidias interfecit. 112. V. Adnot. (a).

B

Bartholomæus Caſtellanus Archidiaconus Avenionenſis in litteris humanis peritiſſimus 47
Bellincini (Franciſcus) Juriſconſultus Corteſii amicus V. Adnot. (a) 177
Bellincini (Cornelius) Corteſii Nepos ad Gregorium a Paulo III. cum Apoſtolica littera & bireto rubro miſſus. 204
Bembo (Petrus) Cardinalis Leonis X. a ſecretis. V. Adnot. (b) 46. gratulatur Corteſio in Cardinalium collegium cooptato. 210. V. Adnot. (a)
Beneficia Genuæ Corteſio collata a Sauliorum gente. 73
Bentinus (Michael) Germanus a quo litteras poſtulat Corteſius ad augendam jam cœptam amicitiam. 166
Beſarionis Monachus Caſſinenſis ut amicus Corteſii & Pauli commemoratur. 141. Valde laudatur. 145. Illi negotia quædam Congregationis ad Cæſarem pertractanda impoſita fuiſſe videntur. 145. 146

C

Calamitates patriæ (ſcilicet Genuæ) quamvis forti animo ſit, ægre fert Fregoſius. 89. 91
Calamitates Genuæ affligunt Corteſii animum. 136
---- Mutinæ & idem. 176
Camilli (Caſſianus) Genuenſis. 128. ejus obitus. 136. quanti in Coſmographia valeret. 137
Calcagnini (Cælius) Nobilis Ferrarienſis vir doctiſſimus V. Adnot. (b) 58. a Corteſio Longolium illi commendatur. 76
Canonici Mutinenſes gratulantur Corteſio de honore illi delato. 223
Cantus obſcœni tota nocte Genuæ per vias audiebantur. 115
Catena (Hieronymus) ejus latina præfatio ad Erſiliam Corteſiam. 3. cur hic iſta habeatur præfatio V. Adnot. (a) 3. ut typis opera inedita Cardinalis dentur rogat Erſiliam. 6
Clarius (Iſidorus) Monachus Fulignei Epiſcopus vir pietate & doctrina inſignis V. Adnot. (a) 187. ſibi ipſi conqueritur (Corteſio ſcribens) quod nunquam cum ipſo Corteſio commorari potuiſſet. 188
Conjuratio Alfonſi Petrucei Senenſis in Leonem X. 54. V. Adnot. (a)
Concha permagna a Corteſio deſcripta. 196
Conſuetudo Sadoleti a Corteſio optata. 46
Conſuetudo Longolii & Saulii qui tunc Lerini commorabantur perjucunda. 59

Com-

Commentarii Theophilacti & Chryſoſtomi a Corteſio commemorantur. 127
Commentarii in libros Ariſtotelis ab Acciajolo editi num direptionem evaſerint. 97. incolumes ſunt apud Corteſium. 98
Caput vitas Octaviani Fregoſii. 91
---- Regis Galliæ & regis Navarræ. 156
Corteſiorum Familia multis a Catena laudibus ornata. 6
Conſilium Pauli a Corteſio approbatum. 69
Corſo (Raynaldus) a Catena commemoratur & laudatur. 3. cur ægre patiebatur latinas Corteſii epiſtolas in lucem venire. 4
Collanzo (Alexander) ejus adnotationes ad vitam Sadoleti a Florebello conſcriptam commemorantur. 46. V. Adnot. (b).

D

Damna, quæ in Genuæ calamitatibus evenere Fregoſio. 91
Damnum Reipublicæ litterariæ ob interitum Longolii. 104
---- Ob interitum Camilli. 137
Damnum & dedecus quod futurum erit religioni ſi religioſa Monachorum Italorum familia Lerinenſi cœnobio exulare compellatur. 163
Deſiderium Theocreni alloquendi coram in inſula Lerini. 51. 52
---- Corteſii ſeſe transferri Genuam. 95
---- Lerinam redire. 101
Deſcriptio cujuſdam Ædificii Corteſii juſſu inſtructi. 196. V. Adnot. (a).
Dionyſius Monachus commemoratur. 18. a Corteſio Latina ejus Carmina laudantur. 168. cum illi Taraſconenſes Virgines creditæ ſint, earum in pietate ſtudium, exercitationes in litteris recenſet. 202. 203. gratulatur Corteſio quod in Cardinalium Collegium ſit cooptatus. 212

E

Eliſeus Monacus. 22. 24. Ei tranſmittit Corteſius Saphicum in laudibus Inſulæ Lerinæ inſcriptum quod legitur in Prima [illegible] e hujus editionis numero ſecundo. 154. cum Italica verſione.
Elogium Longolii a Corteſio ſcriptum Epiſcopo Venuſino. 104
---- A Theocreno eloquentiæ & elegantiæ Corteſii donatum nec non ejus amicitiæ & cæteris animi qualitatibus. 112
---- A Corteſio Camillo. 137
---- Paul III. Pontificis Maximi. 206
---- A Dionyſio Monacho Cardinali Corteſio. 218
Enriotius (Perpetuus) 166. cum eo conqueritur Corteſius quod nihil ſcribat.
Epiſtolæ cujuſdam Juliani Monaci a Corteſio laudantur. 18
Epiſtolæ quæ Tabellariorum negligentia periere. 103
Erſilia Corteſia clariſſima fœmina in litteris inſignis multum a Catena in ſua præfatione laudata. V. Epiſtolam ab Erſilia Gregorio XIII. datam. 8
Eucherius: Fragmenta nonnulla operum illius a Corteſio collecta tranſmiſſa ſunt Hieronymo Monferratenſi Abbati. 29. ejus indoles, ætas, pietas. 30

F

Facultas habendi & legendi Lutherianorum libros a Corteſio Pontifici Sadoleti opera poſtulata. 139. obtenta. 140
Ferro (Jacobus) Ninenſis Medicus & Philoſophus. 22. Ad curandum Caroli V. Regis ſalutem vocatus. 159
Fliſcus (Baptiſta) Inurbana rejicitur querela a Corteſio qua Fliſcus Gregorium petiit. 131
Florebellus (Antonius) Mutinenſis ſcripſit Vitam Sadoleti. 46. V. Adnot. (b) In epiſtola Sadoleti Corteſio data honorifice commemoratur. 192 V. Adnot. (b) 198
Fregoſius (Federicus) Archiepiſcopus Salernitanus de quo frequenter in Epiſtolis Corteſianis mentio ſit V. de eo Adnot. (a). 178. in graviſſimis Genuæ calamitatibus multum affligitur. 89. in exilium miſſus multaſque ærumnas paſſus eſt. 91. mutuam cum Corteſio Epiſtolarum frequentiam ſolatio maximo futuram præfatur. Ibid. ſibi ipſi gratulatur confiſus valde incolumitate librorum. Ibid. de quadam ejus oratione honorificum judicium fertur. 93. nihil intentatum relinquit ad revocandam inter Genuenſes concordiam. 103. in tanta perturbatione belli Lugdunum ſeceſſit, neque Italiam petiit ut optaverat. 158. obiit Cardinalis anno 1541. 201
Fregoſius (Octavianus) Dux Genuenſium commemoratus. 79. 80. V. Adnot. (a). 78. in calamitatibus Genuæ in carcerem con-

conjectus eſt. 91. adverſitates forti, & conſtanti animo fert. 98.
Fuga fœdiſſima ducis Lanconii. 156.

G

Gallus (Joannes) muſicæ artis profeſſor a Corteſio Fregoſio commendatus. 172. 174
Genua multis vexata factionibus. 122. V. Adnot. (a) 88
Georgius Monacus: latina Epiſtola de rebus ad Græcam linguam ſpectantibus eruditiſſima a Corteſio ei ſcripta legitur. 84
Germani Hiſpanienſium caſtra apud Papiam invadunt. 155
Ghinucci (Hieronymus) Senenſis Corteſii amiciſſimus. V. Adnot. (a). 108
Gregorius Corteſius: in hac ſecunda parte legitur ejus vita breviter latine conſcripta præmiſſa jam in editione Erſiliæ. Hic non ſunt notabilia in ea vita contenta eo quod hæc omnia extant jam in indice primæ Partis ad vitam Corteſii accurate, & eleganter ab Epiſcopo Cenetenſi conſcriptam. Scribit Cardinali Medices qui non probaverat inſtitutum Monaſticæ vitæ a Gregorio arreptum. 11. Adduxit rationes quibus ductus id perfeceri. 12. approbat conſilium Medicei donandi redditus Commendæ religioſæ familiæ Caſſinati. 13. Sæpius a Hieronymo Monſerratenſi Abbati provocatus ut de Sancto Honorato ſcriberet, renuit ſemper operis difficultate territus; ſcribit tandem Saphicum (quod legitur in Prima Parte hujus editionis numero quarto. 159. / 44. Inſulæ Lerinenſis incola frui ſperat conſuetudine Sadoleti. 46. rogatus a Theocreno eſt ut illi patrocinium obtineat Epiſcopi Graſſenſis. 51. 52. Exponit Saulio querelam Epiſcopi Graſſenſis eo quod Sanllus ipſe Lerinam veniſſet perſonam mercatoris ſimulans. 57. Longolium Calcagnino commendat. 58. eum quoque commendat Naugerio. 59. ait grates Saulio pro libris quos ab eo acceperat. 63. rogat Theocrenum ut operam præſtet in quodam negotio. 67. approbat conſilium Saulii, & poſtulat tranſmitti indicem Græcorum librorum Venetiis impreſſorum. 69. 70. obtinet vacationem a publicis muneribus. 71. Scribit Saulio litteras cui præſertim accepta fert beneficia a Sauliorum gente ſibi collata. 73. Genuæ immoratur ad recuperandam ſalutem. Ibid. queritur Longolio. 75. gratulatur Fregoſio de ampliſſimo Sacerdotio illi commendato. 84. Octaviani Fregoſii animi fortitudinem laudat. 99. Diſtulit redire ad Lerinenſis ob navigationis incommoda. Ibid. conqueritur de Longolii interitu. 103. Quodam negotium favore Moneliani apud Graſſenſem agere promittit. 109. Mercatorem quemdam Grimoaldo commendat. 111. Admonet de quibuſdam rebus Hieronymum Adurnum qui tunc Genuæ præerat. 114. Sub ardentiſſimo ſole diutius commoratus vehementiſſimis doloribus correptus eſt. 121. Recuperavit Adurni opera libros quibus ſpoliatus fuerat. 123. Repulit accuſationes injuſte datas Juliano Grimaldi. 125. Caſſiano Camillo in opere quodam Geographico adjutorem ſe offert. 127. eidem Camillo negotia quædam ſororis Epiſcopi Graſſenſis commendat. 123. conqueritur cum Vincentio de Bor'aſca de Genuæ calamitatibus, poſtea de interitu Caſſiani Camilli, dein eum monet pro patria agere. 137. 138. gratulatur Sadoleto quod apud Pontificem gratia floreat. 139. poſtulat a Sadoleto ut facultatem impetret habendi & legendi Lutheranorum libros. 140. dolet quod renunciatus ſit præſes Cœnobii Lerinenſis. 149. ſatagit interponere auctoritatem Antonii de Prato Epiſcopi & Galliarum Cancellarii ne religioſa monacorum Italorum familia a Lerinenſi cœnobio exulare compellatur 162. commendat Fregoſio quemdam Joannem Gallum pag. 172. quemdam Michaelem Monelium eidem commendat pag. 173. Cœnobii S. Petri Mutinenſis præſes renunciatus eſt. V. Adnotat. pag. 177. Mutina diſceſſit ob animi vexationes quas patiebatur pag. 178. conqueritur vehementer de interitu Sigiſmundæ matris pag. 179. a cœnobio S. Petri Mutinenſis in Peruſinum cœnobium ſe contulit. V. Adnot. (b) pag. 184. multis laudibus a Sadoleto Cardinali Paulo III. Pontifici ad Cardinalatum proponitur pag. 200. a Paulo III. Pontifice Cardinalis creatus eſt anno 1542. pag. 204. grates agit ſummo Pontifici pag. 205. grates agit his omnibus qui de nova ſibi collata dignitate gratulati ſunt; ſcilicet Joanni de Salviatis pag. 210. Cardinali Marcello pag. 201. Venetiarum Duci pag. 2 2. Cardinali Bembo pag. 212. Cardinali

Digitized by Google

nali Rudulfo pag. 214. Cardinali Camerario pag. 116. Collegio Canonicorum Mutinenſium pag. 224
Grimaldi (Auguſtinus) Epiſcopus Graſſenſis Corteſii amiciſſimus V. Adnot. (a) pag. 25. V. Adnot. (b) pag. 24. a Corteſio laudatus pag. 26. extrui juſſit in Larina cubiculum ad uſum Corteſii pag. 100. Sadoleto ſcribit acerbiſſimam necem fratris pag. 112. quid ei poſtea acciderit V. Adnot. (a) pag. 112
Grimaldi (Lucianus) Epiſcopi Graſſenſis frater Princeps Monaci per inſidias Bartholomæi ab Auria ejus nepotis interfectus pag. 122. V. Adnot. (a)
Grimaldi (Julianus) cujus innocentia a Corteſio multa eloquentia ad Hieronymum Adurnam prædicatur pag. 125

H

Hilarius: Fragmenta nonnulla operum illius commemorantur a Corteſio collecta & Hieronymo Abbati Monferratenſi traſmiſſa pag. 29. ejus ſtylus, indoles, ætas, mores. 30
Hiſpanienſes dimittere Papiæ obſidionem coacti 155. victores ſunt 156. victoria abutuntur. 157

I

Incommoda veneris quæ paſſus eſt Corteſius. 121
Innocentia Juliani Grimaldi eleganter a Corteſio demonſtratur. 125
Infortunia Auguſtini Grimaldi Epiſcopi Graſſenſis poſt mortem Luciani ejus fratris 112. V. Adnot. (a).
—— Benedicti Theocreni tempore Genuenſium calamitatum. 119
Julianus Monachus; cujus latinæ Epiſtolæ eleganter cuidam Monacho Dionyſio ſcriptæ a Corteſio laudantur. 18

L

Lambertus Epiſcopus Venuſinus V. Adnot. (a). 19
Landus (Petrus) Dux Venetiarum gratulatur Corteſio quod in Cardinalium Collegium ſit cooptatus 221. V. Adnot. (a).
Langeus (Guglielmus) Regis Galliæ a ſecretis rogatus a Corteſio ut gratia utatur qua pollet apud regem ut qui pro conſtituendis ſtudiis in Lerinenſi cœnobio mittitur regis favorem obtineat V. Adnot. (a). 40. a Galliarum rege in Italiam miſſus ad curanda religionis negotia. 161
Laudes a Corteſio Sadoleto donatæ. 47
—— a Sadoleto Corteſio. 48
—— a Corteſio Theocreno. 36
—— a Theocreno Corteſio. 50
—— a Corteſio Fregoſio. 102
—— a Corteſio Longolio. 104
Legislatores; quodnam eſſe debeat præcipuum eorum munus. 114
Lerinum (Inſula) V. Adnot. (a) 22. propter amænitatem & aeris ſalubritatem laudatur 25. ob ſolitudinem locus ad ſtudia aptiſſimus. 64
Libri Fregoſii in ærumnis Genuæ maxima ex parte periere. 89. multi tamen a Corteſio ſalvati. 91
Libri Corteſii Hieronymi Adurni opera recuperati. 123
Libri multorum tempore Genuenſium calamitatum a Corteſio ſalvati & in manus dominorum quam felicite rediti. 133
Libri Rethorici ad *Herennium* non ſunt Marci Tullii. 168
Longolius (Chriſtophorus) V. Adnot. (a) 8. Epiſcopi Venuſini officiis cum Corteſio iniit amicitiam 20. a Corteſio commendatur Calcagnino 58. ab eodem Naugero. 59. gratulatur Corteſio quod obtinuiſſet abſque officiis id quod poſtulabat 71. ejus interitus 103. ejus laudes. 104
Lotti (Aloyſius) Cardinalis Medicei a ſecretis commemoratur. 13
Lucubrationes Sadoleti de peccato Originali & de Purgatorio. 135
Lucianus Monachus abbas vir in Græcis litteris clariſſimus V. Adnot. (a). 85

M

Machina quædam Mathematica ab Euclide in Globi definitione oſtenſa commemoratur. 109
Mare Liguſticum tempore Genuenſium calamitatum periculoſum. 105
S. Marcelli (Dionyſius) Cardinalis gratulatur Corteſio de nova Cardinalitia dignitate 220. V. Adnot. (a).
Medices (Joannes) Cardinalis: nihil probaverat monaſticam vitam arreptam a
Cor-

Digitized by Google

Corteſio 11. redditus Commendæ dimittit ut impenderentur in religioſa Caſſinatum familia 13. ad pontificatum aſcendit ſub nomine Leonis X. 55. ejus laudes. 16. 17
reator quidam a Corteſio Grimaldo commendatur. 111
ne lianus (Hieronymus). 109
nel ius (Michael) a Corteſio Fregoſio commendatus. 173
oroni (Joannes) Epiſcopus Mutinenſis poſtea Cardinalis V. adnot. (b). 182
Mors Longolii Corteſio gravis. 103
---- Lutiani Grimaldi a Bartholomæo ab Auria ejus Nepote per inſidias interfecti V. Adnot. (a). 112
---- Caſſiani Camilli. 136
---- Sigiſmundæ Corteſiæ Gregorii matris V. Adnot. (a). 179
---- Federici Fregoſii Epiſcopi Salernitani & Cardinalis. 201
Munus Principum legibus & exemplo introducendi bonos mores in populos. 115
Mutina intus exactionibus & militum licentia vexata, extra vero incendiis & rapinis. 176

N

Naugerus (Andreas) ſcriptor & poeta inſignis; a Corteſio Longolius ei commendatur. 59. V. Adnot. (a).
Notitia cujuſdam Nicolai a Corteſio Theocreno quæ ita. 32

O

Opinio Corteſii periiſſe litteras Fregoſio datas. 56
Oratio habita a Fregoſio ad Genuenſes multum a Corteſio laudatur. 93

P

Palmarius (Hieronymus) a Corteſio commendatur. 66
Paulus III. P. M. dat Corteſio litteras Apoſtolicas, & nunciat ei ſe elegiſſe Corteſium ipſum in Cardinalem, anno 1542. p. 204.
Petrucci (Alphonſus) Senenſis, conjurationis in Leonem X. auctor. V. Adnot. (a). pag. 54
Pius (Rudulphus) de Sabaudia, Cardinalis, gratulatur Corteſio, quod in Cardinalium collegium adſcitus ſit. 213. V. Adnot. (a).
Placentinus (Raphael) Monachus. V. Ad. (a). 190
Placentinus (Michael). 155
Pontificatus; quanta ſit ejus amplitudo, & dignitas. 16
Prato (Antonius de) Epiſcopus, Galliarum Cancellarius. V. Ad. (a). 162

R

Raphael Urbinas pictor inſignis a Corteſio commemoratur. 197
Rationes, quibus ductus Corteſius Monaſticam vitam arrepſit. 12
Res in Italia geſtæ poſt Hiſpanorum apud Ticinum victoriam. 157

S

Sacerdotium ampliſſimum Fregoſio commendatum. 84 quid eſſet illud Sacerdotium. V. Adnot. (a). 83
Sadoletus (Jacobus) Cardinalis, Epiſcopus Carpentoractenſis. V. Adnot. (b). 46. a Corteſio laudatur. 47. Scribit Paulo III. P. M., eique proponit Corteſium ad Cardinalatum. 200
Sadoletus (Paulus) Jacobi Cardinalis Nepos cui in Epiſcopatum ſucceſſit. V. Ad. (a). 192
Salviati (Joannes de) Cardinalis, Leonis X Nepos. V. Adnot. (a). 217
Sanſeverinus (Galeatius) Galliarum Regius Scutigerulus etc. 156
Stulius (Stephanus) Nobilis Germanenſis. V. Ad. (a). 54
Saulius (Bandinellus) Epiſcopus Heracleenſis a Iulio II. Cardinalis creatus, etc. V. Adnot.) a). 85
Saulius (Philippus) Epiſcopus Bruniatenſis. pag. 125
Saxus (Pamphilus) Nobilis Mutinenſis, vir in humanis litteris inſignis. V. Adnot. (a). 92
Seraptus (Auguſtinus) Epiſcopi Graſſenſis a Secretis, a Dionyſio Monacho Corteſio commendatur. 102
Scriptores antiqui, quorum opera periere. 39
Severus Monachus Ciſtercienſis. 145. V. Adnot. (a).
Sfortia (Guidus Aſcanius) Cardinalis Camerarius. 215. V. Adnot. (a).
Sigiſmunda Corteſia Gregorii Mater, V. Adnot. (a). 159

T

Theocrenus (Benedictus) Corteſii amicus. V. Ad. (a). 86. Graſſenſis Epiſcopi patrocinium Corteſii opera poſtulat. 51. infortunia quæ paſſus eſt in Genuenſibus calamitatibus. 118

V

Valentini (Euſebius) Monachus Mutinenſis. 174. V. Adnotat. (a).
Virgines Taraſconenſes Dionyſio Monacho creditæ, in litteris exercitæ. 206. 203
Vita Corteſii breviter latine conſcripta. 6
Vitalis Monachus Corteſii Amicus. 176

Digitized by Google

fagoni Codesini....

ommie ... poig. II 1884

Digitized by Google

005659616

Digitized by Google

MC

Digitized by Google